M

A

Dispos. Concion. ex S. Thom. tom. I.

Y

Johann Andreas

R. P. F.

IOANNIS ANDREÆ COPPENSTEIN
Mandalensis Ord. Prædicator. Theol.

Dispositiones Concionum in totum annum, ad sensum literalem, & sæpe mysticum:

Coll. Rom. Soc. Jesu E X Cat. Inscr. B. S.

D. THOMÆ DE AQVINO

COMMENTARIIS IN MATTHÆVM ET IOANN.

ET EX

S. BONAVENTVRÆ

COMMENT. IN LVCAM PASsim in Euangelia Lucæ suppletur.

In gratiam Concionatorum Literalis sententiæ, & Veritatis Euangelicæ, & Autoritatis in explicando solidæ studiosorum.

TOMVS PRIMVS DE DOMINICIS.

Cum Gratia ac Priuilegio S. Cæs. Maiest.

MOGVNTIÆ,
Ex Officina Typographica Ioannis Albini.

ANNO M. DC XVI.

REVERENDISSIMO

ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

ac Domino

D. LOTHARIO

METROPOLITANÆ

ET ELECTORALIS AVgustæ Treuirorum

ARCHIEPISCOPO,

S. IMPERII ROMANI

PER GALLIAS ET REGNVM Arelatense

ARCHICANCELLARIO

ELECTORI,

ADMINISTRATORI PRVMIENSI perpetuo, &c.

Patri Patriæ, Principique suo Clementissimo,

Diu bene, feliciterq; agere, ac æternum viuere beato:

F. IOANNES ANDREAS COPPENSTEIN Mandalensis, Ord. Prædicatorum

Nomine Confluentini Conuentus nuncupabat.

NOMEN, Res, Reiq; vsus speratus me ad Te

† 2 ver-

vertunt, Reuerendiſſime, & Illuſtriſſime Princeps Elector: præterquam quod DEBITVM trahat, ac OFFICIVM.

NOMEN; D. THOMÆ: dignũ Principe. Res, Sacra, & Concionum ex Commentarijs Thomęanis; par Sacro Archipræſuli. Rei Vſus, ac VTILITAS, quantam ex S. THOMA ſperare fas, & expectare: & qualem Cura Tua Paſtoralis exoptat. DEBITVM, ſubditi; idq; in Paternę Protectionis Tuæ Conuentu FF. Ordinis Prædicatorum, in celebri Vrbe Rmæ & Illuſtrimæ C. T. CONFLVENTIA. OFFICIVM, grati animi noſtri, ob Beneficium continuatæ Protectionis, & Paternæ

Affe-

Affectionis Reu$^{\text{mæ}}$ & Illustriss$^{\text{mæ}}$ Cel$^{\text{nis}}$ T. erga nos humiles Filios ſuos.

Addo priuatum illud ex me. Cùm abhinc triennium Tuam candidam Venerandæ Canitiei Lucem Opuſculo de Fraternitate Roſarij IESV ac MARIÆ veneratus fuerim, idq; cum inſigni inde ad Confluentinos Ciues fructu ſpiritali dimanante: equidem & nunc quoque iſthoc Dedicatorij Honoris munuſculo Concionatorio rurſus Ipſam venerari DEBERE mihi videbar: ſpe bona, R$^{\text{mæ}}$ C. T. Parochos tanto hiſce Concionibus vſuros libentius, quanto eas eſſe commendatiores Suo Summo PASTORI,

ex iſta mea Dedicatione cogno-ſcerent. Præſertim vbi easdem ſub SOLE, inque Solo Archipræ-ſulari hoc R^{mæ} & Ill^{mæ} C. T. na-tas conſpexerint. Hocque am-plius, quod, ſicut Patriam hanc-ce noſtram TREVIRENSEM Na-tiuitate Operis THOMÆANI, vel-ut noua luce quadam, illuſtrari contingit; quin & Vtilitate par ſic eandem latius per orbem cō mendari eueniet eo fructu, qu ex Commentariis D. THOMÆ, (hactenus Scholaſticis; nunc por ro etiam Eccleſiaſticis) per Ec-cleſiam non poteſt non exoriri. Illos ingentibus incluſos Tomis Thomæanis ſolæ nôrant Biblio-thecæ nobiliores: manus paſto-rales

rales vix de nomine nôrant: aures vulgares plane ignorabant: animæ Fidelium ex vllo fructu eos ne quidem esse sentiebant. Forte etiam, quia in Tomis ij loquuntur ac docent, vt Scholastici. Ergo ipsos extraxi, ad quæque Euangelia singulariter adaptaui; digessi, dispertij, stylum nil immutaui, etsi à superfluis nonnihil imminui, Rem integram ordine reddidi; & Commentatorem D. THOM. Concionatorem feci. Feci, inquam; certe volui: Si valui; gratulor vtilitati publicæ de Dono Dei. Si minus præstiti; at viam in THOMA concionatoriā aperui, initiumq́ue dedi: dabit olim absolutiora, forte alius; in

 Modo

Modo inquam: nam RES Docto rem habet D. THOMAM: cuius vltra quis Doctor erit?

Interim isthunc conatum meũ qualemcunque, precor humiliter, Princeps Inclyte, clementer aspice; Accipe libenter, Paterne protege, consule boni, ac Bono Tuo Auspicio FAVE: meq; Clientem cum Confratribus, FOVE ad vlteriora lucubrantem. Confluentiæ Mosellorhenanæ, in Cõuentu FF. Ordinis Prædicatorũ, pri die S. Thomæ Aquinatis, Anno cIↃ IↃc XXVI.

Reu^mæ & Ill^mæ Cel^is T.

Seruus in Christo

Fr. Ioann. Andreas Ord. Præd.

L E-

LECTOR ÆQVE:

F

AVE

QVIA Nouum *ex antiquo molitus sum* Opus, *paulo diligentius præfari mihi videtur opus. Sed tria duntaxat.* De D. Thoma: De Re: De me *breuiter. De I. fidenter commemoro. De II. euidenter enumero. De III insinuo.*

I. DE D. THOMA COMMEMORATIO.

Bos mutus hic solo Nomine sat eboat, quis sit, quidq; ferat. Fert noua Veterum, talis in S.Scriptura, qualis in Theologia. Ad hanc autẽ duo, in cæteris, attulit admiranda: Quæstionum tum difficillimarum expositionẽ, *pro re facillimam, cum euidenti singularum demonstratione: tum* plurimarum Dispositionem *prorsus tam singularem, quam admirabi-*

rabilem. Qualem Ecclesia ante Thomam non habuit Theologiam, sed accepit ab Ipso primā, & antiquonouam: nec post Ipsum hodieq; agnoscit aliam, nisi eam Thomisticam. Et sane, quotquot vel post eum, vel hodie vllam Theologiæ partem attingunt stylo; ij, siue scribant aliud quid, siue in ipsum Thomam, vtrique ex Thoma scribunt. Fidenter affirmo, Itaq; sententiarum in Ecclesia Determinator est Thomas.

Et vero par Scripturarum quoque Commētator extitit idem Thomas. Cætera sileo: Ipsius in Matthæum & Ioannem Commentarios hic solos testes appello. Quis ante Diuum Thomam in dictos Euangelistas similia similiter contulit? Quis, ipsius seu æqualibus, seu posteris ad conatum similem viam præiit, facem prætulit, reliquit exemplum? D. THOMAM *hoc in genere commentandi nouit Ecclesia primum; imitatores plures; parem an quenquam? superiorem certe neminem. Neque tamen Ipse, ceu Theologiam sibi totam sumpsit ex proposito: sic & Scripturam Sacram instituit vniuersam sumere pertractandam; sed duntaxat partem, velut pro exemplo.*

Et ad hanc quidem Euangelistarum partē

eadem

eadem illa duo quædam attulit admiranda: nimirum sibi cum SS. Patribus communem ex-positionem *antiquonouam; & nouam in exponendo* Dispositionem, *propriam ipsi, prorsusq́ peculiarem. Vtramque vero sic, vt tum cuiusque Euangelistæ narrationem totam à capite ad vsq; calcem; tum cuiusque capitis hærentem cum alio connexionem, dein cuiusque sententiæ, ac pene verbi nexam inuicem distinctionem vno filo, ductuq́; perpetuo ac simili pertexat. Vere Thomas vbiq; Thomas est: Scopũ serit vbiq;, & acu rẽ vtrobiq;: siue cũ in Theologiæ sententiã; siue cũ in Scriptura literã exponit.*

Addo Sanctum, ex quo sufficio Supplementum. S. BONAVENTVRAM, *inquam, instinxit, ac excitauit Deus, & primum, & felicissimum imitatorem D. Thomæ, in vtriusq; quà Theologiæ, quà Scripturæ Exponendæ modo, viaq; Disponendæ. Is in Francia; hic in Italia, æquales ætate, sanctitate, professione Religionis ac laboris florebant. Magni ambo viri, mirig; Doctores Ecclesiæ! Iam D. Thomas Romæ, Vrbani IV. hortatu cõtextam ab sese catenam auream, Commentariosque in Matthæum & Ioannem vulgauerat, cum ecce, præteritum ab D. Thoma Lucam excipit S. Bonauentura, iisque illustrat Cõmentariis, suo dignis nomine &*

Ordine

Ordine. Tum is forte Parisiis Theologiam profitebatur: vnde post ad Cardinalatum meruit euocari. Sed hosce ambos, eodem in studio ac labore commentandi, praecesserant ætate proxima, Prædicatores ambo; HVGO Cardinalis, *qui ex suis in Biblia tanta quanta Commentariis* Alter Augustinus *meruit appellari: &* B. ALBERTVS, *qui cum ex aliis, tum ex Scriptis in Euangelistas* MAGNI *cognomen tulit. Ex neutro quicquam in sua transtulit S. Thomas; Ex vtroque vero non pauca in Lucã S. Bonauentura.* LIQVET *conferenti. Ordinem tamen hic intulit ac methodum vtroque meliorem. Qua causa ex ipso mihi libuit in Euangelia Lucæ huc petere supplementum.*

II. DE RE ENVMERATIO.

Vt scias, quæ ab hoc Opere expectes, & accipias: accipe, & sic certus habe. S. Thomas in dictis Commentariis exequitur ista.

1 Literalem cuiusque loci sententiam examussim.

2. Mysticam subinde attingit.

3. SS. Patrum confert expositiones, inuicemq́ componit.

4. Hæresum ex litera subortos refellit errores,

res, vel ex ipsa Litera, tam solidè & euidenter, quam breuiter: simul sua in autores tela retorquet, & ex Scorpione contra ictus Scorpionis medicinam parat.

5. In sententiis aspectu facillimis Quæstionum difficultates aperit minime vulgares, ac enodat.

6. In locis singularitate ipsa difficillimis, mira cum facilitate, ac breuitate se explicat.

7. In controuersis ac perplexis seu contrarietatem, seu ambiguitatem, adducta vel vna distinctione, conciliat; aut determinat.

8. Non carptim, non saltuatim, non dissimulatim exponit; sed vniuersim, ex ordine, ad apicem, tam omnia, quam singula. Vt, si Literalem quæras sensum, desideres nihil: si mysticum, non multum: si moralem, pene totum. Neque enim hunc vel attingere habuit propositum. Exposuit tamen ita Literalem; vt ab hoc ad Morale euabire cuiuis in promtu esse queat.

9. Rerum alienum adducit adeo nihil: sed omne, quod affert, proprium est loco & literæ sic, vt plane necessarium sit; nec abesse, citra hiatum ac imperfectionem possit.

10. Subtilia sunt aliqua, & à via scientiæ vulgaris remotiora; à triuio autem captus popularis

pularis, nimio procul. Quidam inquam; sed primo *in tanta rerum Euangelicarum & varietate, & multitudine, & magnitudine, quid mirum quandoq; seu profunditatem, seu altitudinem interuenire aliquam?* Dein *diuinæ Scrutator Maiestatis: Ioannes & pectoris Dei incubus, quæ hausit; eructat: nec alia fert, quã plena Deo. Iam eius Cõmentator si allata literæ dissimularet, aut afferret alia; aliena esset: nec Ipse verus Aquilæ pullus foret, qui non aquilinis oculis Solem Diuinitatis recta fixus contueri posset.*

III. DE ME INSINVATIO.

Et vero hæc non eorum, quæ Opus cuiq; loquitur ipsum; sed quæ nosse certò nequis, nisi ex me Ea vero ad tria quædam summa capita refero. Vt sunt, 1. Factum meum: 2. Modus facti: *3.* Factiq; ratio.

1. Factũ meum *est: Totam seriem & catenam Commentariorum D. Thomæ in Matthæum & Ioannem incidere, ac pene articulatim dissoluere factu mihi opus fuit: Et cum Deo feci. Nam sicut qui è solido euangelici contextus Corpore sola de Dominicis Festisq; Euangelia extraheret, inq; ordinem temporum redigeret; ab ipso Euangelistas velut exartuari necesse est: Ita mihi vsu venit, Commentarios*

s in Euangelia quæq; extrahenti è Tomo ſo-
o, vaſtoq; opere Thomæano: ſimul eos ad ſua
oſque Euangelia iuxta temporum ac feſto-
m ordinem coaptanti.

Adde quod è Scholaſtico feci Eccleſiaſticum;
: Commentatore reddidi Concionatorem: è
holarũ puluere, in Eccleſiarum ſolem eduxi:
rte volui ignoratum, & vulgo inuſitatum, ef
cere notum pluribus, & exinde vſitatum: et-
m inquam Concionatorib non ſolum Com-
ientatoribus nouis. Qui vt in dictis Euange-
ſtis ad literam ſic exponendis Diuo Thomà
on habent ſeu ætate, ſeu ſoliditate priorem, i-
a nec è poſteris in Litera meliorem. Boni ta-
nen ſunt non pauci: ſed è Diuo Thoma boni, in
enſu literali Matthæi & Ioannis.

Cuius in hoſce duos Cõmentarii velut in-
gentib. immerſi, concluſiq; Tomorum tot ocea-
nis ſteterunt hactenus; & adire eos haud cuiuſ-
uis erat. Erit autem exinde cuiuſuis, in parabi-
li & manuali hoc Opere: Quod quidẽ attento
memoriq; lectori, ac vetera hæc Thomæana no
uis conferenti Cõmentariis, fontem aperiet ri-
uulorum fluminũ, imò mariũ magnorum; quæ
hodie, velut ex ſe nata Cõmentaria inundant.

Inde tamen nolim euenire mihi, quale iſti
apud Tulliũ; qui Cornicũ oculos confixiſſe
dicti-

dictitabatur; quod arcanas Iureperitorum formulas publicasset. Nam & Virgilio laudi est, in suos Æneidum multa ex Homero transfudisse, etiã vel dißimulato nomine fontis. Quin & Doctoribus, ex Thoma in Thomam commentari, est gloriæ: ex Thoma in eosdem elucubrari quid Euangelistas, nemo sanus Commentatorum cuiquam exprobrarit.

Equidem ipse hic vel Ipsum ex ipso tibi reddo Thomam. *Et* meum hoc, *verbo*, Factum est. *Qui stylum vertisset, his additis, omißis illis, aut mutatis, forte Opus fecisset suũ: Sed & fucum. Ego citari malo Thomam; quã infucari Andream. Proinde nunc Modum Facti cognosce.*

2. MODVM FACTI, hactenus sileo: 1. quatenus hunc eloquitur Factum, præque se fert Opus ipsum. 2. Is vero liquebit clarius, conferenti Extractum hocce meum cum ipso Tomo Thomæ.

3. Aspice tamen cuiusque Scopum *Euangelij: circumspice* Partitiones: *dispice partiũ adnumerata* Membra: *inspice membrorum distinctos* Articulos: *complectere demum oculis ac animo totius velut corporis cõformationem: Cognosces, opinor, cum omnium, tum singulorum methodum, perpetuo eandem, eãdemq;*

mque partitionem, quandam exhibere to- is Euangelij explicationem. Et hoc si Rerum ectes Modum.

4. *Si stylum, & verba; hæc & istum castè ser- sic: Vt, (quod ille:* Fide; Cæsarem vehis:) *ere queam ipse tibi:* Fide; Thomam legis. *go fidenter cita Thomam pro concionibus: c Thomam legis. Adeo in Partium execu- ne ipsa tibi do* Verba Thomæ; *etsi non o- nia. Omitto, quæ omissa voluisses ipse; Re sal- omni: Etiam in Scopis ipsis seu componen- s, seu proponendis, quoad potui, verba S. Tho æ delegi. Esto, ad quamuis aliam phleboto- iā cum putri humore sanguis eat; ad meam nc sanguinis nihil exiit Thomæ: Ita spondeo. eu mihi: quem ornatum, auctum, adoratum lo; istum ego Diuum ab vlla sui decori par- Prædicatore digni, imminutum voluissem? on ita mei, Sui, Dei sim immemor vnquam. cure prædica; Thomam cita:* αὐτός ἔφα. *Ora- lum est, Thomæ verbum: Quis contra cœli nitru ausit oppedere? Nolo, quod hac in re æstiti, scribere: volo, conferentem hæc cum omo Thomæ, cernere. Confido, haud Ipsum c paulo, quam isthic fore lectu gratiorem, a- rtiorem intellectu. Nam Dispositio est quæ- im Expositio.*

dictitabatur; quod arcanas Iureperitorum formulas publicasset. Nam & Virgilio laudi est, in suos Æneidum multa ex Homero transfudisse, etiã vel dißimulato nomine fontis. Quin & Doctoribus, ex Thoma in Thomam commentari, est gloriæ: ex Thoma in eosdem elucubrari quid Euangelistas, nemo sanus Commentatorum cuiquam exprobrarit.

Equidem ipse hic vel Ipsum ex ipso tib reddo Thomam. *Et* meum hoc, *verbo*, Fa ctum est. *Qui stylum vertisset, his additis, o mißis illis, aut mutatis, forte Opus fecisset su Sed & fucum. Ego citari malo Thomam; qu infucari Andream. Proinde nunc Modu Facti cognosce.*

2. MODVM FACTI, hactenus sile 1. quatenus hunc eloquitur Factum, præque fert Opus ipsum. 2. Is vero liquebit clari conferenti Extractum hocce meum cum i Tomo Thomæ.

3. Aspice tamen cuiusque Scopum Eu *gelij: circumspice* Partitiones: *dispice par adnumerata* Membra: *inspice membror distinctos* Articulos: *complectere demum culis ac animo totius velut corporis cõforn tionem: Cognosces, opinor, cum omnium, t singulorum methodum, perpetuo eandem,*

dei

demque partitionem, quandam exhibere totius Euangelij explicationem. Et hoc si Rerum spectes Modum.

4. *Si stylum, & verba; hæc & istum castè seruo sic: Vt, (quod ille:* Fide; Cæsarem vehis:*) dicere queam ipse tibi:* Fide; Thomam legis. *Ergo fidenter cita Thomam pro concionibus: hîc Thomam legis. Adeo in Partium executione ipsa tibi do* Verba Thomæ; *etsi non omnia. Omitto, quæ omissa voluisses ipse; Re salua omni: Etiam in Scopis ipsis seu componendis, seu proponendis, quoad potui, verba S. Thomæ delegi. Esto, ad quamuis aliam phlebotomiã cum putri humore sanguis eat; ad meam hanc sanguinis nihil exiit Thomæ: Ita spondeo. Heu mihi: quem ornatum, auctum, adoratum volo; istum ego Diuum ab vlla sui decori parte Prædicatore digni, imminutum voluissem? Non ita mei, Sui, Dei sim immemor vnquam. Secure prædica: Thomam cita: αὐτὸς ἔφα. Oraculum est, Thomæ verbum: Quis contra cæli tonitru ausit oppedere? Nolo, quod hac in re præstiti, scribere: volo, conferentem hæc cum Tomo Thomæ, cernere. Confido, haud Ipsum hîc paulo, quam isthic fore lectu gratiorem, apertiorem intellectu. Nam Dispositio est quædam Expositio.*

3. *RATIO FACTI est mihi ab* D. Thoma, ab Re, à Concionatore, ab Auditore, & à Meipso. *I. Ratio. Ab D. Thoma.* 1. *Vt, qui scripsit ista Ecclesiæ ac vsui; hoc amplius prosit vtrique.* 2. *Vt tam Prædicationes Concionatorum in templis ad Fideles; quam lectiones Professorum in Scholis ad discipulos corroboret, atque coornet allegata Doctoris Angelici D. THOMÆ Aquinatis Autoritas.* 3. *Vt tot inter hodie Commentatores, autores bonos, autorum Autor D. Thomas super Matthæum ac Ioannem, in vllam vel obscurationis, vel obliuionis tenebram forte paulatim adductus non iaceat.* 4. *Vt Fons fluminum hoc pateat notior pluribus, quo manuale Opus meum ex Ipso, propinatum Ecclesiæ, vulgatius plurium sub gustum, oculos, manusq; succedet.* 5. *Vt non solum D. Thomæ laus in Ecclesia etiam inde clarescat in maius; sed in cœlis quoq; indies ex hoc beatitatis ipsi gloria accrescat.* 6. *Demum ac primum, Vt pro me Peccatore, indigno Prædicatore, Confratre Ipsius indigniore, Deum Deiparamq; hoc intensius exoret; quo paruitatem meam ac prauitatem pro Sese impensius laborare videt.*

II. RATIO Ab RE. 1. *Ob dena illa, superius enumerata à me, capita Rerum.* 2. *Ob vnum*

num hoc, (quod dena illa complectitur, pluraque alia, ad capitis instar papauerini:) Quia scil. Rerum hîc Euangelicarum est Autor D. Thomas. Qua vna commendatione, quicquid dixeris, minus erit: & alio Diui huius laudes eloquio dicere, est eas ingenio deterere. Næ tu mihi oppidò quam falleris, si in hisce D. Thomam sui esse dissimilem suspiceris. Non sic illũ suum ingenium, non gratia Dei, non seipse deseruit, vt velut Thomam ex Thoma exuens, minus dignum quid Thoma dictârit, ac vulgârit. Idem vbique Thomas est.

III. RATIO FACTI est mihi ab CONCIONATORE zeloso. *Huius vero caput esse duplex video. Alterum Commodi: Incommodi alterum.*

Caput prius, *est commodi hac via promouendi à me tam proprij cuiusque Prædicatoris; quam Doni publici. Nimirum, vt si cui allubescat ad persequẽdum in concione vel Textum, vel huius sensum literalem; & vtrumque vel vniuersim totum, aut partim: vel ad Euangelij Summam excursim perstringendam: seruatâ in his omnibus methodo certa, perspicua, atque constanti; vt, inquam, is paratam hic inueniat,* in Textu *quidem hærentem sibi cum Dispositionis ordine Catenam;* in Sensu lite-

 ræ, *cer-*

ræ, certam cum euidenti Demonſtratione Veritatem; in Euangelij Serie & Exegeſi *tota, miram cum Perſpicuitate Breuitatem*; in Parte *qualibet, abſolutam cuiuſque ſententiæ cum ſatisfactione Expoſitionem*; in Summa *complectenda cum Facilitate & Certitudine Viam ac Scopum. Quæ quanta ſint ad populum dicturo præſidia; expertos concionandi, quam inexpertos exiſtimare malo.*

Ego autem, cùm iſta in D. Thomæ Commẽtariis latere, per attentã lectitationem ac prædicãdi vſum, didiciſſem; fodere inſtitui, ac velut auri venam perſequi reconditam ſub ingenti mole Tomorum tot Doctoris, eruiq́; aurum; quod hoc in Opere Diſpoſitionum mearum à me tibi cernis eliquatum ſic, vt aurum habeas non infectum; ſed factum iam, formisq́; ſuis cuſum ac ſignis in vſum.

Dices: *Vſus huius Operis non cuiuſuis aptus erit aut Prædicatoris ingenio, ſeu ſtudio; aut Concionis captui ſeu loco: Neq́; Thomas ore docens Scholaſtico, ſeruiet viro Eccleſiaſtico: & factus eruditis auribus, non capietur à popularibus.*

1. Ita quidem, inquam; *ſed Ipſum feci tibi Eccleſiaſticũ, planeq́; popularem. Rem accepi, Verba ſeruaui neceſſaria, Modum introduxi*

Dige-

Digerendo, Partiendo, Interpolando, & alia talia, quæ conferentem malo cernere, quàm me dicere. Spero, apta fore pleraque ad Vsum communem, ad Captum popularem, Affectumque salutarem. 2. Deinde *orbi ista paro, & Ecclesiæ vniuersim, non vni vel Concionatorũ classi, vel auditorum ordini singulatim: Proinde nec omnia esse possunt aut debent omnium; nec singula cuiusque: sed aliquorum aliqua; & aliorum alia.*

Istud tamen affirmo: Hocce meum requirit Opus Lectorem vigilem, nõ oscitantem, sobriũ, non caput obsaturato ventre obuaporatum; castum, non attonita Veneris mente fascinatũ, sedatum animo, intraq́ꝫ se collectum ac præsentem, studio mediocrem, ac ingenio.

Alterum nostræ ab Concionatore rationis caput erat, cauendi incõmodi causa. *Enimuero quam sæpe vir intelligens audit fluctuare in cathedris Concionatores, cum siue Literam, siue Mysterium alicuius sentẽtiæ attingunt? In promtu causa est. Quia, cùm aut solidos Commentatores, vt vastiores mole ac pretio, comparare sibi nequeant, aut volumen euoluere pigeat; nescio è quibus se riuulis inebriant raptim, velut canis è Nilo, vt in Suggestibus gnauiter subinde errantes aut in vtraq;*

 vacil-

vacillent; aut in circulum eant; aut dent verba popello. Neu dent, do illis hîc S. THOMAM: *& Ipsissimum per me Talem, Fontemq́ue ex Fonte meri meracissimi.*

IV. RATIO FACTI *est ab* AVDITORE.

Hic, tametsi varium sit, & mutabile vulgus, nec in vno acquiescat aliquo, tamen vt plurimum hoc plurimis accidere assolet & gratissimum, & salutare; si orator Christianus premat textũ, si exequatur ordine; si distincte partiatur, & membrum ex membro nectat: si propria afferat Euangelio: non procul ad aliena diuagetur; nec longe repetita congerat. Istis & huiusce generis compluribus abunde fit satis ex vno hoc D. Thoma: vt Prædicator in medium proponat digna auribus, digna loco, officio digna, Diuo digna Thoma.

V. RATIO FACTI ab Meipso. *1. Vt, quæ Thomæana iam diu mihi sum expertus vsuperopportuna, Christi Fidelibus salutaria, aptaq; concioni iuxta docta, & indocta; vt inquam eadem & aliis darem experiunda. 2. Vt in eo, (quod molior Opus, cum Deo,) D. Thomã præsupponam, inde porro superstructurus Meditata. Quibus tamen & aliud præibit Opus, ex* B. ALBERTI MAGNI *Operibus extrahendum ac concinnandũ: haud paulo, quam istud,*

(quæ

(quæ spes est,) seu Concionatoribus vtilius, seu Ecclesiæ salutarius euenturum. Quo me Deus adiuuet. *3. Ad vltimum, Istorum, cunctorumque laborum à me pro Ecclesia susceptorum est, Estoque* RATIO: *Vt inde peccatorum meorum aliqua fiat* SATISFACTIO, *& vitæ meæ apud Deum mihi constet* RATIO, *feliciterque perennet. Cæterum Seruus inutilis Deo meo deseruio.* ITA VOVEO: *omnibus his Ecclesiæ subiectis, vti subiectus ego.*

LECTOR VALE,

F

AVE:

Hoc tamen MONEO:

Læditur à Mendis paßim Distinctio & Ordo.

Quia

Litera Scriptoris non culta, & multa litura
Nostra, dedit tot menda: Tamen quæ prompta cuique
Correctu esse queunt. Veniam concede roganti.
Forte breui reddent Curæ *meliora* Secundæ.
Sedulus interea, precor, hisce FRVARE.

VALETO.

LICENTIA.

EGo vero ſtudium tuum vehementer approbo, Dilectiſsime Frater: eoque libentius petitam à me licentiam tibi impertio; atque etiam, vt datâ tibi gratiâ vtaris ſedulo, moneo.

Quare Nos *Fr. Seruatius Iüngeling SS. Theol. Doct. Magiſter Prouincialis S. Ordinis Prædicatorum per Teutoniam, tibi R. P. F. Ioanni Andreæ Coppenſteinio Mandalenſi, Ordinis Prædicatorum Theologo* permittimus, vt tuas Diſpoſitiones Concionum, ex D. Thomæ Commentariis in Matthæum & Ioannem concinnatas, ipſis D. Thomæ verbis ſeruatis, cum Supplemento è S. Bonauentura in Lucam, prælo des, in lucem, inque vſum ac Bonum Eccleſiæ publicum emittas. Datum Moguntiæ 12. Februarij, Anno M. DC. XVI.

Fr. Seruatius Iüngeling Prouincialis, &c.

DISPO-

DISPOSITIONES CONCIONVM IN DOMINICAS EX D. THOMAE AQVINATIS COMMENTARIIS.

DOMINICA I. ADVENTVS.

Cum appropinquassent Ierosolymis, &cæt. Matth. 21.

Consule & Dominicam Palmarum super eadem pompa.

SCOPVS. Matthæus tripartito euangelicam suam instituit enarrationem; vt de Seruatoris in hunc orbem ingressu; de progressu eiusdem in mundo; deq; egressu potiora prosequeretur. Et hoc tertium hic exorditur. In cuius præambulis istud quoque recitat nunc vnum: Quod Dominus æmulos suos ad acriorem extimulet inuidiam, extimulatricem mortis ipsi propediem inferendæ; sed cum vellet ipse. Permi-

ſit itaque libens ſummos quoſque ſibi deferri honores: qui velut ſudes forent in oculis inuidorum.

PARTITIO.

I. *De dato Diſcipulis mandato.*
II. *De cauſa mandati, & honorifica executione.*
III. *De turbæ ſtudio ac honore erga Dominum.*

PARS I.

De mandato Domini ad diſcipulos.

TRia hic. Primo, Locus. Secundo, Perſonæ quibus fit mandatum. Tertio, mandatum.

De I. Locus ponitur, cum dicit [*Et cum appropinquaſſet,* &c.] Paulatim Euangeliſta narrauit acceſſum Chriſti ad Hieruſalem. Primo, quomodo à Galilæa venerat per Hiericho, & ibi cœcos illuminarit, quæ erat in confinibus. Poſt dicit [*Cum appropinquaſſet,* &c. *ad mõtem Oliueti.*] Dicitur ſic, quia ibi multæ ſunt oliuæ. Et diſtat ab Hieruſalem vno milliari. Bethphage vicus erat ſacerdotalis, quia Sacerdotes ſeruiebant templo per hebdomadas. In die autem ſabbathi Sacerdos recedens à templo veniebat vſque illuc; quia non licebat ire niſi mille paſſus. Quique ibant ad templum in die ſabbathi, inde recedebant. 2. *Vel* Bethphage idem eſt quod domus maxillarum, quia hoſtiæ maxilla erat portio Sacerdotis.

Moraliter Hieruſalem interpretatur viſio pacis; & ſigni-

ſignificat ſocietatem bonorum. Pſalmo 121. *Ierusalem quæ ædificatur vt ciuitas,* &c. Vnde volens appropinquare Hieruſalem, venit per Bethphage, & per domum confeſsionis, Romanor. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeßio ad ſalutem.* 3. Bethphage ſita eſt in monte oliueti, vbi eſt abundantia olei. Eſai. 5. *Vinea facta eſt in cornu olei.* Per oleum ſignificatur miſericordia. Quia habet proprietatem lætificandi, Pſalmo 103. *Vt exhilaret faciem eius in oleo.* Sic miſericordia exhilarat. *Hilarem enim datorem diligit Deus,* 2. Corinth. 9. Item valet oleum ad lucernas accendendas. Dominus præcepit, quod oleum lucidiſsimum offerretur ei. 2. Vtile eſt ad ſanandum dolores; & ſignificat gratiam Spiritus Sancti, quæ ſanat. Vnde Lucæ 10. *Samaritanus infudit oleum & vinum,*

De II. *(Tunc miſit duos diſcipulos ſuos, dicens illis.)* 1. Significauit miſsionem Apoſtolorum in hunc mundum. Matt. 10. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Sed *duos,* vt ſignificaret charitatem, quæ conſiſtit ſaltem inter duos. Vnde Lucæ 10. *Miſit eos binos & binos.* 2. Vel ſignificat vitam actiuam & contemplatiuam. 3. Vel duos ordines prædicantium, ſcil. Iudæorum & gentilium, vnde Galat. 2. *Qui operatus eſt Petro in apoſtolatu, operatus eſt mihi inter gentes.* 4. Vel duos, qui mittendi erant ad gentes, ſc. Petrum & Philippum.

De III. Facit tria. Primo mandat eis ſalutarem diſcurſum: Secundo, dat man-

datum de solutione. *Tertio*, de contradicendo. [*Ite in castellum, quod contra vos est.*] Ad litteram: quoddã erat castellum, quod ex opposito erat. Ad significandum mundum, in quem misit eos Dominus, Marci vlt. *Euntes in vniuersum mundum.* Et iste erit contra vos. Ioan. 15. *Elegi vos de mundo, ideo vos mundus odit.* Dicit ergo: [*Ite*, &c. Aliquid præcipit, & aliquid prænunciat. Præcipit: *Ite*, &c. Prænunciat: [*& inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea.*] Alij non faciunt mentionem de asina. Vtramque inuenerunt.

Moraliter. I. Per asinam & pullum significantur homines brute viuentes, qui quoad hoc, similes sunt bestiis. Psal. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* 2. Per asinam significatur Iudæa; per pullum populus gentilis. *Per asinam Iudaa:* Quia triplex est proprietas asini. Primo est animal stultum, vnde dicitur asinus, id est, sine sensu, insensatus. Sic homo est, relinquens legem Domini, Deuteron. 32. *Populé stulte & insipiens.* &c. 2. Est oneribus deputatus: sic populus Iudaicus oneribus legis est grauatus. Petrus Act. 15. *Hoc est onus, quod nec nos, nec patres nostri ferre potuerunt.* 3. Item Asinus est animal ignobile: Sic illi ignobiles dicuntur, qui cõtemnunt mandata Domini.

Sed *ligatum* vinculis, sc. ignorantiæ, Sap. 17. *Vna enim catena tenebrarum omnes erant ligati.* 2. Erãt ligati vinculo peccati. Prouerb. 5. *Iniquitates sua capiunt impium.*

II. [*Soluite & adducite mihi.*] Hic inducit populi solutio-

ſolutionem. *Soluite* à vinculis ignorantiæ per doctrinam. Pſal. 106. *Eduxit eos de tenebris & vmbra mortis*: Item, *ſoluite* à vinculis peccatorum. Vnde Petro dixit Matt. 16. *Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*. Pſal. 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*. Vnde iſti populum conuertentes adduxerunt ad Ieſum. 1. Corint. 1. *Nunquid Paulus*, &c. Eſa. 66. *Annuntiabunt gloriam meam in gentibus*. Sed ſicut dicit Apoſtolus ad Titum 1. *Oportet Epiſcopum habere doctrinam, vt ſit potens exhortari in doctrina ſana*. Ideo dicit: *Soluite*. Hoc ad doctrinam pertinet.

III. Quod vero ſequitur: [*& ſi quis aliquid vobis dixerit*, &c.] ad poteſtatem pertinet. Vnde *ſi quis dixerit* contradicendo, i. ſi quis voluerit contradicere [*dicetis, quia Dominus his opus habet; & confeſtim dimittet*, &c.] In hoc oſtenditur virtus Chriſti, quia non propter Apoſtolos dimiſiſſent; niſi hoc fieret opere Chriſti, inuiſibiliter cor immutantis. Vnde ſignificabat, quod ipſe eſſet Deus: Quia ſolius Dei eſt immutare cor. Nam *cor hominis in manu eius*. Item, quia dicit *confeſtim*, indicat, vt ſicut illi ſtatim dimittebant; ipſi etiam ſtatim dimitterent peccata.

Vel ad literam: Parum detinebit, & ſtatim dimittet Dominus: quia ſolum indiget ad diem. Sed *quæſtio* eſt ſecundum myſticam expoſitionem: Nonne dicitur, *Bonorum noſtrorum non indiget*? Dico: Nō indiget, niſi ad noſtrā neceſsitatē, & ad ſuam gloriam. Iohel. 2. *Quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit*. Omne quod inuocat nomen meum.

PARS II.

De ratione mandati & executione.

HIc duo considerandi. 1. Ne crederet quis hoc factum esse sine ratione, ideo rationem ostendit: *Vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetam,* &cæt. Istud dicitur per Zachariam capite 9. Hoc *vt*, non tenetur causaliter, sed consecutiue. Non enim facit, quia Propheta dixerat, sed potius ecõuerso. Finis enim prophetiæ est Christus. (*Dicite filiæ Sion*, &c.) Annuntiate filiæ Sion. 1. *Hæc* dicitur plebs Hierusalem, quæ subiecta erat monti Sion. 2. Significatur tota Ecclesia; quia *Sion* specula interpretatur. *Annuntiate studia eius inter gentes.* Psal. 9. Prænuntiatur dignitas. (*Ecce Rex tuus.*) Iudæi diu passi fuerant tyrannos, vnde expectabant Regem, sicut dictum est Hieremiæ 40. *Regnabit Rex*, &cæt. Et ponit quatuor, quæ dignitatem Regis commendant. Consequenter item quatuor, quę in tyrannis inueniuntur. *Primo*, affinitas, quia magis afficitur homo ad magis sibi coniunctos. Deu. 17. *Non poteris super te facere regem, nisi* &c. Vnde dicit (*Ecce Rex tuus*, &cæt.) id est, de gente tua. 2. Sed quandoque reges degenerant in tyrannos: quia quærunt vtilitatem suam, quod est contra morem regis, ideo dicitur (*Venit tibi,*) id est, in vtilitatem tuam, Abac. 3. *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* 3. (*Mansuetus.*) Mansuetudo pertinet ad regem, quia infligere pœnam, ferocitatis est. Prouer. 16. *Misericordia & iustitia custodiunt regem.*

egem. Ideo Dauid à populo dilectus fuit, quia mãuetus fuit. 4. Requiritur humilitas. Quia Dominus superbos respuit, ideo dicit: (*Sedens super asinam.*) Matt. 10. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*

II. In genere: *Euntes discipuli.* Ecce datur obediẽtiæ exemplũ. Exo. 24. *Omnia quæ præcepit Dominus, faciemus.* Deinde in specie, (*& adduxerunt asinam & pullum.*) Significatur, quod conuertent & Iudæos, & gentiles. Rom. 1. *Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.*

Et imposuerunt super eos vestimenta sua.) Vestimenta sunt virtutes eorum. Col. 3. *Induite vos ergo sicut electi Dei sancti & dilecti, viscera misericordiæ,* &c. 2. Vestimẽta imposuerunt, quia in exemplum aliis fuerunt. Phil. 3. *Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram,* & cæt.

(*Et eum desuper sedere fecerunt.*) Ad literam successiue super vtrumque. Quia mystice, super corda Iudæorum & gentilium.

PARS III.

De turbæ studio ac honore erga Dominum.

POstquam determinauit de ministerio discipulorum, determinat de gloria turbæ. Et *primo* de gloria quam exhibent ei in opere: *Secundo*, quam exhibent ei verbo.

De I. (*Strauerunt vestimenta, & ramos de arboribus,* &c.) Et quare? Ad faciendũ ei honorem, sicut ma-

gnis Dominis aduenientibus sternitur via. 2. Quia via erat lapidosa; ideo ne læderetur, sternebant.

Mystice. Discipuli strauerunt vestimenta super asinam; quæ significant virtutes, quas à Deo acceperunt, & istas communicauerunt Gentilibus & Iudæis. Sed vestimenta turbæ sunt legalia; quæ propter Christum sunt dispersa. Phil. 3. *Quæ fuerunt mihi lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.* 3. Per vestimenta corpora, Apoc. 3. *Habes paucos in Sardis, qui custodierunt vestimenta sua.* Illi ergo, qui in via strauerunt vestimenta, fuerunt primi martyres, Rom. 12. *Non desendentes vosmetipsos charissimi, sed date locum iræ.*

(*Alij cædebant ramos de arboribus.*) Isti sunt rami, qui fructificare debebant, per quos significantur sancti Patres. Ille ergo ramos abscidit, qui eos ad Christum conuertit. Psal. 1. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est*, &c.

De II. *Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur.*] Hic est honor exhibitus ei verbo. Sed à quibus? à præcedentibus & sequentibus, scil. ab his, qui ante aduentum fuerunt, & post. Et vtriq; petunt salutem, & habent à Christo. 2. Corin. 6. *Eandem habentes remunerationem*, &c. Turbæ autem salutem petebant, vnde (*clamabant dicentes: Osanna filio Dauid*, &c.) Hæc salus incipitur in præsenti; & perficietur in futuro. Mat. 1. *Ipse enim saluum faciet populum suum*, &c. Vnde dicebant: *Osanna*, &c.

Multi dicunt, quod significat redemptionem: Sed idem est quod *obsecro, salua, Anna* affectum dicit obsecrantis, Psal. 11. *Saluum me fac*, &c. Et istam petunt

etunt à *filio Dauid.* Ita scriptum est Hierem. 23. *uscitabo Dauid germen iustum,* &c.&sequitur: *In diebus illis saluabitur Iuda.* Et poterit hoc facere, quia filius Dauid? Non; sed quia (*venit in nomine Domini.*) Quare? Quia venit confitens Dominum, Ioann.5. *go veni in nomine Patris mei, & non suscepistis me.* Est ergo vna salus, liberatio à peccatis, Esai. 35. *Ipse veniet & saluabit nos.* Item alia salus, per quam liberantur ab omni pœna, Esai. 60. *Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet.* Et hoc in *excelsis*, id est: Des primo salutem in terris, & postea in cœlis.

Sequentis textus explicatio continuatur in Feria III. post Dom. I. Quadrag.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen, Matth.24.

Antecedentium explicatio continuatur in Dom.26. post Pentecosten.

Ordinaria Euangelij lectio recitatur ex Luca cap. 21. Sed in hunc nihil D. Thomas. Vide tamen ante Dom. III. Aduentus, ex Bonauentura supplementum.

SCOPVS. Responderat ante Dominus percunctantibus discipulis de Ierosolymæ destructione: hic de suo ad iudicium aduentu docet ab signis modoque aduenienda.

PARTITIO.

I. *De signis cœlestibus, quæ præibunt iudicium.*
II. *De Domini aduentu ad iudicium.*
III. *De congregatione Sanctorum ad iudicium.*

PARS I.

De signis in cœlo præcedentibus iudicium.

ERunt hæc duplicia: Elementorum, & Hominum. De I. genere dicitur, (*Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum.*) Hoc habet sensum literalem quoad vltimum aduentum refertur, quoad alium mysticum.

1. *Dices.* Esa. 30. *Et erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis septempliciter,* &c. Quomodo igitur Sol obscurabitur? *Dico*: Distingue tria tempora. Tempus ante aduentum; In aduentu, & post aduentum. Ante aduentum Christi huiusmodi obseruationes fient, de quibus hic dicitur; & Ioel. 2. *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Non mutabuntur secũdum substantiam; sed secundum comparationem. Quia tanta erit claritas Christi & Sanctorũ, vt nec apparebit claritas eorum, Esa. 24. *Erubescet Luna, & confundetur Sol.* At post diem iudicij augebitur claritas Lunæ & stellarum. Et tunc erit verum, quod dicitur Esai. 30. *Solis lumen erit septempliciter sicut lumen septem dierum.*

2. Sed *videtur falsum*, quod dicitur, quod stellæ cadent

dent de cœlo. Quia vna stella maior est tota ter-
i. *Rabanus soluit* per literam, Marc. 13. quod *stellæ nt decidentes in lumine*, id est, in lumine minora-
Vnde ista minoratio poterit esse? Ex duobus quod lumen illuminati minoratur; vel in seipso propter interpositum aliquod, vt si nubes inponatur, vt cum eclipsatur Luna, minuitur lumen eius. 2. *Dicit Orig.* Dupliciter potest intelligi. imo, quod hoc interpositum erit ignis, qui ante ristum præcedet, & consumet omnia vsque ad dium spacium aëris: quantum scil. eleuatæ sunt uæ diluuij. Quem ignem sequetur multus fuis, ita vt eo tenebrentur luminaria cœli. 3. *Vel po dici*: Quod quidam tenebant ista corpora esse rruptibilia: & sicut elementa immutabuntur; & ista. De istis tribus habetur vna autoritas, Ac. 6. *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus; & na tota facta est sicut sanguis, & stellæ de cœlo ceciderit*, &c.

II. *Stellæ cadent de cœlo.*) Stellæ de cœlo videntr cadere, quando suo lumine priuantur. Sic erit immutatio in corporibus cœlestibus.

Item, in Angelis, vnde dicit: (*Et virtutes cœlorum uebuntur,*) id est, Virtutes quæ Deo ministrant.)ocet Aug. quod omnia corpora administrãtur r spiritum vitæ; vnde dicuntur moueri in effe-t, quia in aduentu Domini cessabit motus cœli. ide dicuntur moueri, quando illa, quæ ad suum ficium pertinent, in alium statum mutantur. Vel Angeli mouebuntur, non commotione noris; sed admirationis de virtute Christi.

3. Vel

3. Vel commouebuntur commotione gaudij super glorificatione Sanctorum. De hoc potest accipi, quod dicitur Iob 26. *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad motum eius.*

III. (*Et tunc apparebit signum filij hominis in cœlo.*) Hic ponitur signum Filij hominis super Angelos existentis. 1. Signum victoriæ Christi. Quia quando totus mundus innouabitur; signabitur, quod obtinuit victoriam omnium per passionem suam; quod modo non apparet. 2. Vel apparebit signũ crucis; ad ostendendum, quod tota ista gloria est per passionem eius. 3. Significabitur, quod omnem iudiciariam potestatem acquisiuit per passionem suam, Iob 36. *Si voluerit nubes extendere quasi tentorium suum*, &c. Et sequitur: *per hæc enim iudicat populus.* 4. Apparebit ad confundendos malos, qui Christum noluerunt sequi. 5. Signum crucis erit clarius quam Sol.

De II. Sed quis erit effectus? (*Tunc plangent omnes tribus terræ:*) videntes tantam Christi potestatẽ, quam despexerunt; & tantam sapientiam, cui nõ obedierunt, & tantam claritatem Sanctorum. Vnde dicent Sap. 5. *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce nunc quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* Item, tribus cœli, id est, illi qui portauerunt imaginem cœli, Esa. 40. *Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* &c. Imputabunt sibi ipsis, quod talia sustinent, Apoc. 1. *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt,*

runt, & plangent se super eum omnes fines terræ. & Zac. 12. *Aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum vt doleri solet in morte primogeniti.* Hæc est literalis expositio.

Sed si referatur ad secundum aduentum, tunc tantum exponitur *mystice*. Origen. ait: 1. Per Solem diabolus signatur; per Lunam Antichristus. De his dicitur Iob 31. *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clare, & lætatum est in abscondito cor meum*, &c. *Vidi*, id est, approbaui, *Solem*, id est, ea quæ videntur habere claritatem & sanctitatem. & ea ficta falsaque tunc apparebunt, 1. Cor. 4. *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium* Simul tota doctrina, tota claritas tunc apparebit. Quia imago Christi apparebit in omnib. 2. Vel per Solem Ecclesia signatur: quæ propter tribulationes videbitur non lucere.

Quæres: Quare dicit post tribulationes? *Respondet* Origenes, & post, & simul. *Item*, stellæ, id est, illi qui post videbantur splendere. *Virtutes cæli*, id est, Sancti mouebuntur.

PARS II.

De Domini aduentu iudiciali.

I. QVomodo venit? (*Videbunt filium hominis*, & cæt.) Et qui videbunt? Omnes homines. Secundum naturam diuinam non videbitur, nisi à mundo corde. Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniã*

ipsi

ipsi Deum videbunt. Secundum humanam, videbunt eum etiam & mali. *Videbit omnis caro Salutare Dei nostri.* Ideo videbunt *Filium hominis*, quia idem est filius hominis, & Dei; sed non videbunt vt filiũ Dei, sed vt filium hominis. Ioan. 5. *Dedit ei iudiciũ facere, quia filius hominis est.*

Quæstio: Vtrum tam boni, quam mali sint eum visuri in specie gloriosa? Dico: Quod sic. 1. Ratio, Esai. 26. vbi disputans Dominus cum Propheta, dicit: *Non videbit gloriam Domini*: Et respondet Propheta: *Domine exaltetur manus tua, vt non videant*: cui respondit Dominus: *Videant, & confundantur.* Ergo boni videbunt ad lætitiam, mali ad cruciatum & tristitiam. Quando enim quis timet puniri, quanto magis potestas iudicis contra ipsum apparet maior; magis affligitur: sic quanto Christus apparebit gloriosior, tanto cruciabuntur plus mali. Et hoc signatur, cum dicitur.

II. *Venientem in nubibus cœli.*) Hoc respondet huic, quod supra dixerat. *sicut fulgur*, &cæt. In fulgure duo sunt, splendor & terror. Splendor aliquam iucunditatem repræsentat; sed terror fit ex sono; & nubes ad refrigerium fit. Esa. 28. *Et erit sicut nubes rorida in die messis, quæ tunc iucunda est.* 2. Nubes habet obscuritatem, & quando spissa est, est terribilis propter fulgura & pluuias, quæ ex nubibus oriuntur: & hoc conuenit terrori impiorũ. Psalm. 96. *Nubes & caligo in circuitu eius.* 3. Competit vt in nubibus veniat ad designandum Diuinitatem Christi, quia maiestas Dei apparuit in nube. *Exod.16.* Vnde dicitur 3. Reg. 8. *Dicit Dominus,*

quod

uod habitaret Dominus in nebula, ideo in nubibus ve-
iet. 4. Competit, ad ostendendum humanita-
em eius. Quia Act.1. *Videntibus illis, eleuatus est*, *&*
ubes suscepit eum ab oculis eorum: & audierunt ange-
os dicentes: *Quemadmodum vidistis eum euntem in cœ*
um, sic veniet. Vt ergo ostendatur, quod sit ille idē,
qui in nube sublatus est; apparebit in nube. 5. Cō-
etit etiam ad significandū glorificationem, Quan
do n. transfiguratus est, *apparuit nubes lucida*; & tūc
fuit vna, sed in iudicio erunt plures. Quia tunc so-
um tribus apparuit, sed tunc pluribus apparebit.
Apoc. 1. *Ecce veniet in nubibus, & videbit eum omnis o-*
culus.

III. Quid erunt istæ nubes? 1. Non erunt, nisi
quædam claritates redundantes ex corpore Chri-
sti & aliorū Sanctorum. 2. Orig. dicit, quod erunt
Angeli assumentes, non solū intelligibiliter, sed ve
raciter ministrantes. In primo enim aduentu ve-
nit humilis, Zac. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*,
&c. sed post veniet in nubib. cœli, (*cum virtute mul*
ta & maiestate.) In primo n. aduentu duo fuerunt.
Habuit n. infirmitatē & ignominiā. Infirmitatem,
quia 2. Cor. 13. *Crucifixus est ex infirmitate.* Ignomi-
niam, quia Esa. 52. *Sic inglorius erit inter viros aspectus*
eius, & forma eius inter filios hominum.

Consequēter infirmitati opponit virtutem, de
qua dicit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in ter-*
ra, & hæc data est ei per generationem, inquan-
tum filius Dei. Sed ipse promeruit inquantum
homo, & hoc manifestabitur, quando omnes an-
geli, & omnia elementa ministrabunt ei.

Item.

Item, contra ignominiam dicit, quod veniet in maiestate; quasi Iudex viuorum & mortuorum.

PARS III.

De congregatione Sanctorum ad iudicium.

PRimo, ponit ministros. *Secundo*, congregatos: *Tertio*, vnde congregantur. De I. Ministri sunt angeli, Psal. 102. *Ministri eius, qui facitis voluntatem eius*, &c. Sed dicit (*cum voce magna, & tuba.*) In resurrectione triplex virtus operabitur. 1. Virtus diuina: 2. Virtus humanitatis Christi, quia eius resurrectio est causa nostræ; 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes mortui sumus, ita in Christo omnes resurgemus.* 3. Operabitur ibi virtus angelica ad quędam præambula, scil. ad colligendos pulueres. Et hæc tria tangit, 1. Virtutem angelicam, cum dicit: (*Mittet angelos.*) 2. Virtutem Dei, cum dicit: (*Cum tuba.*) 3. Virtutem humanitatis in hoc, quod dicit: (*Et in voce magna.*) De ista Ioan. 5. *Omnes qui audierint vocem filij Dei, viuent.* Oportebit, vt illa vox sit magna, quia *dabit voci suæ vocem virtutis.* Psalm. 67. Per tubam bene signatur diuinitas. Quia maior est vox tubæ, quam vox humana. Apoc. 11. *Et audierũt vocem magnam de cœlo dicentem eis: Ascendite huc:* & paulo post: *Et septimus angelus tuba cecinit, & facta sunt voces magnæ in cœlo*, &c. Nota. Tuba satis ei congruit: quia Num. 10. *Mandauit Dominus Moysi duas tubas fieri, & clangebant tubis ad concilium, ad festa, ad pugnam, & ad commotionem castrorum.*

De

De II. Sic erit in iudicio: quia erit ibi conciliũ, d est, adunatio omnium Sanctorum, quia *non re-urgent impij in iudicio, neque peccatores in concilium iu-'orum*, Psalm. 1. Item, erit tunc solemnitas sem-iterna. Item, erit ibi pugna contra malos: Zachar. ltimo: *Sed & Iudas pugnabit aduersus Hierusalem.* I-em erit ibi cõmotio castrorum, quia Sancti trans-erentur ad vitam Sanctorum, Zach. 2. *Et applica-ntur gentes multæ ad Dominum in die illa.* Item, qui-am modo congregantur, sed non omnes: tunc mnes, Matt. 25. *Congregabuntur ante eum omnes gen s*, &c. Hic congregantur solum electi, quia solum ongregantur, vt regnent cum ipso. Psalm. 49. *ongregate illi sanctos eius*, vnde dicit: (*Et congregabunt ctos eius.*)

De III. Sed vnde congregabuntur? 1 (*A qua-or ventis cœli.*) A summis cœlorum vsque ad ter-inos eorum. Venti cœli distinguuntur per qua-or partes mundi. Ab Oriente prouenit Subso-nus: Ab Occidente Fauonius. A Septentrione oreas. A Meridie Auster: & sub his omnes alij cõ-entur, vnde (*à quatuor ventis cœli*) id est, ab omni-s partibus mundi. Sequitur.

A summis cœlorum, &c.) Istud potest dupliciter poni. 1. Origen. dicit sic: (*Congregabuntur.*) Pos-aliquis dicere, quod solum ista congregatio es-viuorum & non mortuorum: quod remouet ostendendum, quod etiam mortui congrega-ntur: ideo dicit: *à summis cœlorum.* 2. Scitis, quod ncti ascendunt in cœlos; & quidam sunt infe-res; quidam superiores; quia secundum modũ

 meri-

meritorum erit modus pręmij, vnde hoc est quod dicit August. Quod à quatuor ventis, hoc est propter corpora: Quod à summis cœlorum, hoc dicit propter animas. 3. Remigius dicit sic, & est in gl. *Congregabo*, &c. Posset quis credere, quod solum esset congregatio ab extremis terræ; sed quid erit de meditullio terræ? Vnde (*vsque ad terminos eorum*) Et vult dicere, quod non solum fiet congregatio ab extremis terræ, sed à cœlo, id est, à meditullio mundi.

II. CONCIONIS DISPOSITIO.

Ab arbore fici discite parabolam. Matt. 24.

SCOPVS. Prosequitur porro de aduentu suo.

PARTITIO.

I. *De certitudine aduentus Christi.*
II. *De incertitudine temporis.*
III. *De euentu certitudinis.*

PARS I.

De certitudine aduentus Domini.

MAgna dixerat, & quibusdam incredibila modo tripliciter certificat. *Primo*, similitiudine: *Secundo*, assertione. *Tertio*, ratione.

Ab arbore fici, &c.] Dicit Chrysostomus: Quando vult Deus ostendere aliquid, semper inducit similitu-

itudinem naturalem. Arbores in hyeme vitam
pent, tamen occulte: vnde non producunt fo-
neque fructus; sed in principio veris incipiunt
lulare, & tunc apparet vita. Sic etiam Sancti
ido non apparent. Coloss. 3. *Mortui estis, & vita*
ra abscondita est cum Christo in Deo: Sed tunc vita
ictorum apparebit, eorum scilicet, qui non se-
:entur tempore Antichristi. Tunc veniet æstas,
:st, æterna retributio. Psal 125 *Euntes ibant & fle-*
t mittentes semina sua, & sequitur: *Venientes autem*
ient cum exultatione portantes manipulos suos.

Per ficum significatur Synagoga. De qua Luc.
Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea
.

Cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis,
;.) Hoc potest exponi sic: *Ramus tener* Antichri-
s est, cuius potestas parum durabit. Vt ficui fo-
multi adhærebunt ei; & tunc potestas eius ma-
estabitur. 2. Vel potest exponi in bono. *Per*
num virtus & fortitudo Sanctorum. Quando
clesia incipiet finiri, virtus Christi & Sanctorum
parebit, qui sustinebunt eam. Cantic. 3. *Ficus*
tulit grossos suos.

Ita & vos cum videritis hæc omnia, &c.) Id est, cum
leritis signa præcedentia euenire, (*scitote, quod*
pe est in ianuis.) Iacob. 5. *Ecce merces operariorum*
rorum, quæ defraudata est à vobis, clamat, & clamor
um in aures Domini Sabaoth introiuit.

Nota, Augustinus facit vim in hoc, quod di-
, *omnia*, cum dicit: *Cum videritis hæc omnia*,
cæt.

Dominus prope est.) Si velimus, dicamus, quod nihil pertinet ad finem mundi, sed ad aduentum Christi per Ecclesiam. Vnde quod dictum est: *Videbunt*, &c. *Venientem in nubibus*, id est, in prædicatoribus (*Cum virtute magna*) quoniam dat Dominus verbum euangelizantibus virtute multa. Tunc *veniet cum maiestate*: quoniam ista dat ei reuerentiam: Secundum expositionem aliorum, referre ad finem mundi possumus. S c August. exponit: *Prope est*, id est, aliqua sunt signa, quod prope est, vnde quod dictum est, *Videbunt*, &c. refertur ad omnia supra d cta, scilicet, ad signa, fulgura, & terræmotum.

De II. Manifestauit per similitudinem, nunc manifestat per assertionem, scil. cum iuramento dicens: (*Amen*, &c.) id est, infallibiliter verum est, quia (*non præteribit generatio hac*, &c.) Dicit Origen. quasi in promptu esset, quod audietis. Posset enim quis credere, hæc esse dicta de destructione Hierusalem, & in ea completa, & multi superuixerunt vsque ad tempus illud; vnde (*non præteribit generatio hæc*) id est, homines nunc viuentes. (*donec omnia fiant.*) Sed magnũ esset omnia dicta ad destructionem Hierusalem referre: ideo aliter dicendum: Quod omnes fideles sunt vna generatio, Psal. 23. *Hæc est generatio quærentium Dominum*, & præmiserat, quod *Domini est terra*, &c. vnde vult dicere (*non præteribit*, &c.) id est, non cessabit fides Ecclesiæ vsque ad finem mundi. Contra aliquos, qui dicebant, quod duraret vsq; ad aliquod tempus. Quod Dominus redarguit dicens Matth. vlt. *Ecce ego vobiscum*

iscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem æculi.

De III. Ponit rationem, (*Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*) q.d. facilius est cœlum & terrã transire, quam verba mea. Esa. 40. *Verbum autem meum manet in æternum.* Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Vnde verbum est causa cœ, & causa semper validior est suo effectu; ideo, &c. t non dicitur, quod cœlum & terra transeant, uod esse desinant; sed quia transibunt in alium atum. Apocal. 21. *Vidi cœlum nouum & terram nom.*

Secundum Orige. Boni per cœlum signantur; er terram mali. Esai. 1. *Audite cœli, & auribus perie terra.* Vtrique transibunt: boni in vitam æternm; mali in ignem æternum. Et quod dicitur, rbum Dei non præterire: non dicitur, quod nõ anseat secundum substantiam verbi, sed secunm id, cujus est. Vnde hoc, vt dicit Or ge. habet æter alia, quia non præteribit verbum Domini. erba autem Moysi & aliorum prætereunt. Quia rba Moysi sunt signa præsentis Ecclesiæ; sed ver. Christi prænuntiant statum vitæ æternæ. Ideo rba Moysi transeunt, id est, quod promisit Moy, transit: quod Christus, non; quia promisit futuram gloriam, quæ non transit. *Item*, Verbum Christi secundum quod est de terrenis, & temporalibus, transit.

PARS II.

De incertitudine temporis iudicij.

DVo hic: *Primo*, ponit temporis incertitudinem: *Secundo*, hortatur per similitudinē: *tertio*, ostendit euentum futurum.

De I. *De die autem & hora nemo scit, neque angeli cœlorum.*) Quod dicit de angelis cœlorum manifestū est, & non habet magnam dubitationem. Quia est cognitio naturalis in eis, & hęc non se extendit nisi ad ea, quæ secundum cursum naturæ fiunt. Iudicium autem non fiet nisi secundum voluntatem Dei. Item, est alia cognitio gloriæ, & sic tantum sciunt, sicut quibus Dominus vult reuelare; & istud sibi retinuit. Malach. 3. *Ecce veniet Dominus, & quis poterit scire aduentum eius.* 1. Thess. 2. *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.*

Est *quæstio* hic secundum Hier. Quia dicit Marcus c. 13. *Nec etiam filius hominis*, ex quo videtur Arrius suam hæresim confirmare. Quia si pater scit, quod nescit filius: ergo maior est eo. Potest dici, quod filius scit, & quod dies iudicij secundum aliquam rationem determinatus est; & quicquid determinatur à Deo, suo Verbo æterno determinatur: ideo impossibile est quin Verbum sciat.

Sed quare dicitur nescire? 1. August. & Hiero. dicunt, quod consuetus modus loquendi est dicere, nescire aliquid, quando non facit illud sciri. Sicut dicitur Gen. 22. *Nunc cognoui, quod timeas Deū*, id est, cognosci feci. 2. Dicit Origen. quod Chri-

stus

ſtus & Eccleſia ſunt ſicut caput & corpus, quia ſicut caput & corpus ſunt ſicut vna perſona, ita Chriſtus & Eccleſia. Sed Chriſtus aliquando accipit perſonam Eccleſiæ; vt in Pſalm. 21. *Deus Deus meus reſpice in me.* Vnde quod dicitur Chriſtus non ſcire, intelligitur, quod Eccleſia non ſcit, Act. 1. *Non eſt veſtrum ſcire tempora vel momenta,* &cæ. Nota: Dicit Auguſt. quod ipſe volebat oſtendere ex quibuſdam ſignis, aduentum iudicij non poſſe ſciri determinate; quia nõ determinat quodcunque tempus. Probatio dicit, quod non poſsit ſciri: Quia ſicut eſt in ætatibus hominis; ita eſt in ætatibus mundi. Vnde ſicut vltima ætas hominis non habet certum terminum, ſed aliquãdo protenditur pluſquam aliæ; ſic & de vltima mundi dici debet: & poterit plus durare, quam omnes alię ætates.

De II. *Sicut autem fuit in temporibus Noe, ita erit & aduentus filij hominis,* &c.) Supra Dominus poſuit incertitudinem horæ ſui aduentus: nunc autem adhibet ſimilitudinem. & *Primo* ponit eam: *Secundo exponit.* I. Proponit autem ſimilitudinem conuenientem. Quia dum loqueretur de fine mundi, quieuit in fine mundi. Legitur enim duplex conſummatio. Vna per aquam, 2. Petri 2. Per ignem 2. ia. Et ſi originali mundo non pepercit; octauum tamen Noe iuſtitiæ præconem cuſtodiuit, diluuium mundo impiorum inducens, minus parcet vltimo ſæculo.

At prima conſummatio fuit ad amputanda peccata carnalia: Geneſ. 6. *Videntes filij Dei filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex*

omnibus quas elegerant, &cæt. Ideo contra ardorem huius concupiscentiæ, debuit esse consummatio per aquam. In fine autem mundi peccatum erit, quia refrigescet charitas. Ideo ignis conuenienter erit in pœnam. Quare, (*Sicut in tempore Noe*) finis incertus fuit, Genes. 6. *Finis vniuersæ carnis*, &cæt. & sicut illi, qui adhæserunt Noe, saluati fuerunt; (*sic in aduentu* Filij *hominis*) qui adhærebunt Christo, salui fient.

II. Exponit istam similitudinem quantum ad incertitudinem. (*Sicut enim erant in diebus ante diluuium*, &c.) Duo tangere videtur, Desperationem de futuro aduentu; & Causam eius. 1. Quod homo non speret futurum aduentum, est, quia versatur in curis carnis, & ambulat secundum eius concupiscentias, Iacobi 5. *Epulati estis super terram, & in luxuriis vestris enutristis corda vestra*, ecce 1. (*comedentes & bibentes:*) non quod comedere & bibere sit peccatum; sed ponere ibi finem suum, est peccatum. De luxuria ecce. (*Nubentes, & nuptui tradentes*, &c.) sequitur: (*Et non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes.*) qui non adhæserunt Noæ: qui erat figura Christi. *Ita erit aduentus filij hominis.*

Dices: Habetur Luc. 17. *Arescentibus hominibus præ timore*, & supra, *Sol obscurabitur*: Quomodo ergo securi erunt homines, vt comedant & luxurientur? *Duplex est responsio. Dicit* 1. Hieron. Verum est, quod circa tempora Antichristi multæ erunt tribulationes, & hoc ad probationem electorum; & post restituentur tranquillitati, & in illa tranquilli-

uillitate mali vacabunt lætitiæ, vnde Lucas lo-
uitur secundum statum tribulationis: Matthæus
item secundum tempus quod immediate præ-
det aduentum Dei. 2. *Item aliter*: Quidam sunt
oni, quidam mali: Et vniuersaliter Ecclesia patie-
r tribulationem, & boni punientur à malis. vn-
: Matth. 10. *Odio eritis omnibus hominibus propter
men meum*: qui patientur, erũt boni; qui vero ex-
cebunt huiusmodi tribulationes, erunt mali.
uod ergo dicitur hic: *Comedentes*, &c. Intelligi-
r quoad malos; quod in Luca dicitur, *arescenti-
s*, &c. intelligitur quoad bonos. 3. *Vel sic*: Cum
equenter accidat, quod boni emendantur per
bulationem; mali autem nõ; ideo mali arescent,
oni autem non.

PARS III.

De euentu incertitudinis.

[T*Vnc duo erunt in agro, vnus assumetur, & alter re-
linquetur*, &cæ.] I. Potest hoc exponi secun-
um Chrysostomum, quod in omni hominum
nditione & officio quidam erunt reprobi, qui-
m electi. Qui boni, assumentur; qui mali, relin-
ientur. Quomodo? Sicut dictum est alibi; *quia
nient angeli & assument bonos*, ad Christum ex v-
oque sexu. Nam: [*Tunc erunt duo in agro vno.*] Li-
raliter laborantes. [*Vnus aßumetur*] tanquam ele-
us, [*alter relinquetur*] tanquam reprobus. Item,
uæ erunt molentes in mola vna, vna assumetur, altera

relinquetur. Item *duo in lecto vno*, &c. Chrysost. dicit: Diuites non laborant, sed quiescunt: ideo assignãtur per illos, qui in lecto iacent, & de istis, *vnus assumetur, & alter relinquetur*.

II. *Allegorice* exponit Hilarius. 1. Per agrum signatur mundus, per duos homines populus fidelium & infidelium: De istis *vnus assumetur*, populus fidelium, *alter relinquetur*, infidelium. 2. Lex vetus per molam signatur, quæ grauis & ponderosa est. Act. 15. *Hoc est onus quod nec nos nec patres nostri ferre potuimus*. Et eorum qui veterem legem recipiunt, aliqui recipiunt Christum, alij non. Omnes illi dicuntur in mola molere, qui veterem legem recipiunt. Et illi quidem assumuntur, qui veterem legem, quoad moralia, cum noua recipiunt: illi vero qui non; relinquuntur. 3. Qui Christum recipiunt, sunt sicut iacentes in lecto, quia per lectum signatur memoria passionis. Et de talibus, quidam assumuntur, quidam relinquuntur. Quidam enim conformant se passioni per bona opera; quidam non.

Moraliter potest exponi. Vt ad tres status fidelium referatur. Quia sunt tria genera hominum: Contemplatiui, Prælati, Actiui. Nullus status securus est, quin aliqui damnentur in statu. 1. Status contemplationis per lectum significatur. De hoc in Canticis: *Lectus noster floridus*: & tamen aliqui in hoc statu damnantur. 2. Status actiuorum per molentes in mola signatur, quia pondus habẽt, & sunt soliciti. Luc. 10. *Martha, Martha solicita es*, &c. vnde inuoluuntur sæcularibus; & inter eos aliqui damnan-

mnantur. 3. Per agrum in quem homines ex-
nt ad laborandum, signantur prælati, Canti. 7.
ni dilecte mi, egrediamur in agrum: & in talibus qui-
m assumuntur, & quidam relinquuntur.

Continuatur explicatio textus in 2. de Communi Con-
forum.

III. DISPOSITIO CONCIONIS.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Erunt signa in Sole, &c. Luc. 21.

SCOPVS. Prius aperuerat Dominus euertendæ signa Ierosolymæ, propria hic & peculiariaænunciat prodigia aduentus sui ad iudicium, culique consummationem.

PARTITIO.

I. *De signis cælestibus & elementaribus.*
II. *De signis in natura rationali, & intellectuali.*
III. *De Iudice apparente.*
IV. *De consolatione iustorum & ficulnea.*

PARS I.

De signis cælestibus & elementaribus.

SOlem & Lunam specialiter nominat, vt præcipua luminaria, in apparentia, & efficacia. enes. 1. *Fecit Deus duo luminaria magna*, &c. In his

erunt

erunt signa obscurationis. Ioël. 2. *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Horribilis propter illorum obscurationem. Psal. 103. *Fecit Lunam in tempore. Sol cognouit occasum suum. Posuisti tenebras*, &c. De hac Sap. 17. *Nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam!* Vnde hæc luminaria, quæ in principio posita sunt in signa temporis per lucem suã. Gen. 1. *Fiant luminaria in firmamento cœli, & sint in signa & tempora*, &c. In fine temporum in signa sunt finis, per lucis occultationem. Apoc. 6. *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus & Luna tota facta est sicut sanguis; & stellæ de cœlo ceciderũt super terram. Et statim post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum.*

NOTA. Sicut luminaria sunt signa naturaliũ, secundum operationes naturales; sic sunt in signa eorum, quæ supra naturam eueniunt, per signa in eis super naturam facta. Nam 1. in designationem mirabilis virtutis Christi Sol stetit. Iosue 10. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Ayalon, &c. Stetit itaque Sol in medio cœli, &c. spacio vnius diei.* 2. In designationem nobilis Incarnationis, Isa. 38. *Reuersus est Sol decem lineis per gradus, quos descenderat.* Quia homo post nouem ordines Angelorum decimum tenet locum. 3. In designationem vero admirabilis passionis, tam in capite, quam in membris Sol obscuratus est in passione capitis, Luc. 23. *Tenebræ factæ sunt in vniuersam terram*, &c. Similiter in passione Corporis. Apoc. 8. *Percussa est tertia pars Solis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars stellarum*: quod refer-

rtur ad corpus. Quia Apoc. 12. *Draco traxit ter-
partem stellarum.*
II. Quoad naturam elementarem ait: [*Et in ter-
pressura gentium præ confusione* &c.] Bedæ Glossa:
*ia appropinquante suo elemenia quasi pauentia nu-
t.* Sapient. 5. *Accipiet armaturam zelus illius, & ar-
bit ad vltionem inimicorum, &c. & ibunt directè emis
nes fulgurum, & tanquam è bene curuato arcu nubium
terminabuntur.* & in certum locum insilient. Et à
trosa ira plenæ mittentur grandines, & excan-
escet in illos aqua maris. Implebitur illud Exodi
5. *In spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ: ipse enim
ominus, qui conturbat mare.* Isai. 51. *& intumescunt
uctus.* Et iustè: Quia Isai. 57. *Impij quasi mare feruens,
uod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in con-
ulcationem.* Erit confusio aquarum, vt in Ægypto
actum. Exodi 9. *Grando & ignis mista pariter fere-
antur.* In hac confusione erit sonitus terribilis.
Psalm. 28. *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis in-
tonuit, Dominus super aquas multas.* Sonitus hic vox
est Iudicis. Vnde Apoc. 1. *Oculi eius tanquam flam-
ma ignis, & pedes eius similes aurichalco velut in camino
ardenti, & vox illius tanquam vox aquarum multarum.*
Ezech. 1. *Audiebam & sonitum alarum, quasi sonum a-
quarum multarum, & quasi sonum sublimis Dei,
cum ambularet. Quasi sonus erat mul-
titudinis, vt sonus castro-
rum.*

PARS

PARS II.

De signis in natura rationali & intellectuali.

I. QVoad naturam rationalem subdit: (*Arescentibus hominibus*,&c.) Implebitur illud Matt. 21. *Media nocte clamor factus est*, &c. Arescūt, qui vixerunt secundum carnem. Nam Isa. 40. *Omnis caro fœnum, &c exsiccatum est fœnum*,&c. Iac. 1. *Exortus est Sol cum ardore, & arefecit fœnum*: Sol iustitiæ veniens ad iudicium. Beda: *In expectatione examinis, multi, qui in hoc mundo florere videbantur, exarescent*; Secundum Exo. 15. *Irruat super eos formido & pauor in magnitudine brachij sui*,&c. Tunc in quibus securitas fuit & gaudium, erit metus, timor & luctus. Quia 1. Thess. 5. *Cum dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus*. Vnde Chrys. *Nec erit resistendi virtus, nec latendi locus; nec satisfactionis facultas: ex angustia omnium rerum nihil remanet, nisi luctus.* vnde Mat. 24. *Parebit signum hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ.*

II. Quoad naturā intellectualem, ait. (*Nam virtutes cœlorum mouebuntur*,) 1. Angeli. Iob 26. *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius*. Non timore pœnæ, sed reuerentiæ, & honore diuinæ vindictæ. Iob 41. *Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur*. Vnde vt qui stans in rupe subiectam cernit vrbem conflagrare, terretur: sic, &c. Hieron. *Quid faciet virgula deserti, vbi timore concutitur Cedrus Libani paradisi?* Isa. 6. *Cōmota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta est fumo.*

fumo. Chrysost. Operis Imperfecti. *Si rex processurus ad bellum contra alium mandat expeditionem, in populo Dignitates omnes mouentur, exercitus excitatur, tota ciuitas feruet: quanto magis Rege cœlesti exurgente iudicare viuos & mortuos Angelicæ Virtutes commouentur? Terribiles ministri terribilem Dominũ præcedent; ante ipsum pro candelabris fulgura viua procedent; pro tubis horrenda tonitrua. Vere magna vox cui omnia obediunt elementa: quæ peccatum scindit, inferos aperit, vincula mortis dirumpit.*

PARS III.

De Iudice apparente.

V. QVoad Iudicem apparentem ait: (*Tunc videbunt filium hominis, &c.*) Apoc. 1. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Dan. 7. *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum: & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, &c. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.* Terribilissimus aduentus, Isa. 2. *Incuruabitur sublimitas hominũ, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus solus in die illa: & idola penitus contererentur, &c. Et ingredietur scissuras petrarum; & in cauernas saxorum, à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram.* Ideo Psal. 49. *Deus manifeste veniet Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet: & in circuitu eius tempestas valida.*

Hiero-

Hieronymus quædam horribilia narrat, quæ se in Iudæorum annalibus reperisse ait. Die 1. eriget se mare super altitudinem montium. Psal. 92. *Mirabiles elationes maris.* Die 2. sic absorbebitur, vt vix videri posset. Naum 1. *Dominus in tempestate & turbine via eius, & nebulæ puluis pedum eius: increpans mare, & exsiccans illud; & omnia flumina ad desertum deducens.* Psalm. 56. *Dixit, & stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus eius,* &c. Die 3. Marinæ beluæ ascendentes super mare dabunt rugitus vsque ad cœlum. Iob. *Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris* futurum iudicium. Die 4. Ardebit aqua. Isa. 64. *Vtinam disrumperes cœlum, & descenderes, à facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis.* Die 5. Herbæ & arbores dabunt rorem sanguineum. Apoc. 14. *Calcatus est lacus extra ciuitatem, & exiuit sanguis de lacu vsque ad frenos equorum.* Die 6. Ruent ædificia. Apoc. 16. *Et facta est ciuitas magna in tres partes, & ciuitates gentium ceciderunt.* Matth. 24. *Non relinquetur lapis supra lapidem,* &c. Die 7. Petræ collidentur. Vt in passione Domini factum. Die 8. Generalis terræ motus. Matt. 27. *Terræ motus factus est magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram.* Die 9. Adæquabitur terra. Apoc. 16. *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Isa. 40. *Omnis mons, & insulæ de suis locis motæ sunt.* Die 10. Exibunt homines de cauernis suis, & ibunt velut amentes, ac muti præ stupore. Hic: *Arescentibus hominibus,* &c. Die 11. Aperientur sepulcra, & stabunt ossa super.

Ezech.

Ezech. 37. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulcris vestris popule meus.* Die 12. Stellæ cadēt de cœlo. Matth. 24. Die 13. Morientur homines, & cum mortuis resurgent. 1. Cor. 15. *Omnes quidem moriemur; sed non omnes immutabimur: in momento*, &c. Die 14. Ardebit cœlum & terra: 2. Petr. 3. *Adueniet dies Domini vt fur, in quo cœli magno impetu transient: elementa vero calore soluentur. Terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur.* Die 15. Fiet cœlum nouum, & terra noua, resurgent homines, & fiet iudicium. Apocal. 22. *Vidi terram nouam & cælum nouum*, &c.

PARS IV.

De consolatione iustorum & ficulnea.

HIs *autem fieri incipientibus.*) Postquam discipulos erudiuit ad prouidentiam, hic erigit ad cōfidentiam. Et hoc tripliciter. *Primo*, exhortatione consolatiua. *Secundo*, similitudine manuductiua. *Tertio*, Assertione certificatiua. De I. (*His autem*, &c. *leuate*, &c.) ex hilaritate. Quia, dum finitur mundus, cuius amici non estis, *prope est redemptio vestra*, quam quæsistis. *Respicite* ergo per fidem. Luc. 18. *Respice, fides tua te saluum fecit. Respicite* futura, quæ non videntur. 2. Cor. 4. *Non contemplantibus vobis, quæ videntur, sed quæ non videntur*, &c. Hoc fit fide. Hebr. 11. *Est fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Leuate* per spem: *quoniam appropinquat redemptio vestra.* Ad quam su-

 spiratis.

ſpiratis. Rom. 8. *Creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc. Non ſolum autem illa, ſed & noſipſi, primitias ſpiritus habentes; & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalui facti ſumus.* Hæc ſpes facit tribulationes patienter ferri. Romanorum 12. *Spe gaudentes in tribulatione patientes.* Quia Roman. 8. *non ſunt condigna paſſ.* &c.

Debent iuſti leuare capita per firmam expectationem: Oculos per claram conſiderationem. Pſalm. 122. *Ad te leuaui oculos meos*, &cæt. Geneſ. 13. *Leua oculos tuos, &c. Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo*, &c. Leuare vocem per prædicationem. Iſaiæ 52. *Vox ſpeculatorum tuorum: leuauerunt vocem, ſimul laudabunt.* Leuare manus ad operationem Pſ. 62. *Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus tuas.* 1. Tim. 2. *Volo viros orare in omni loco ſine ira & diſceptatione.*

De II. Quoad ſimilitudinem [*Dixit illis ſimilitudinem.*] Comparat arbores hominibus, & maximè ficulneam, quoad ortum, occaſum, & fructum. De ortu Iſai. 1. *Erit tanquam lignum, quod plantatum*, &c. De occaſu, Iob 14. *Lignum habet ſpem, ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit, & rami eius pullulant.* Sic & homo, cum moritur. De fructu Matthæi 13. *Omnis arbor quæ non facit*, &cæt. & Lucæ 13. *Succide illam* ficulneam, *vt quid terram occupat*: Matthæi 21. *Videns fici arborem ſecus viam, & nihil inuenit in ea*, &c. Chryſoſtomus Operis Imperfect. *Sicut impoſſibile eſt, arborem ſecus viam fructus ad maturitatem ſeruare: ſic difficile eſt hominem iuxta mundum viuentem iuuentutem*

tem *immaculatam conseruare.* Arbores post hyemem fructificant, hominem verum post tribulationem, Canticorum 2. *Iam hyems transiit,* &cæt. *cus protulit grossus suos, vineæ florentes dederunt odom suum.* Hebræorum 12. *Omnis disciplina in præsenti videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitia.*

Post tribulationem ex ea fructus colligitur in state beatitudinis. Vnde ait: *Cum videbitis hæc eri, scitote, quoniam prope est regnum Dei.* Glossa: *Quia tunc mœroris nebulæ transibunt, & æterni dies vi e claritate Solis fulgebunt.* In hac æstate Isaiæ vigesimoquinto: *Aufert Deus lachrymam ab omni facie.* Tobiæ 3. Post tempestatem tranquillam facit, & post lachrymas & post fletum, cessabit etiam frigus cupiditatum. Bernardus: *O vera meridies, plenitudo feruoris & lucis Solis spatio, dedicatio paludum, fœorum depulsio: O vernalis temperies. O æstiua venustas. O autumnalis vbertas, O quies & feriatio hyemalis,* &c.

De III. Quoad assertionem ait: (*Amen dico vobis:*) Glossa: *Certo expectate.* Generationem vero intelligit mortalem. Ecclesiast. 1. *Generatio præterit & generatio aduenit*; Transit de mortalitate ad immortalitatem. Sed non ante consummationem dictorum Iob 14. *Homo cum dormierit, non resurget, donec alteratur cœlum.* Ideo subdit: *Cœlum & terra transibunt*, quantum ad figuram exteriorem Psalmo 101. *Initio terram fundasti.* 1. Corint. 7. *Præterit*

 figura

figura huius mundi. Isa. 51. *Cœli sicut fumus liquescent & terra, sicut vestimentum atteretur.* Isai. 65. *Ecce ego creo cœlos nouos & terram nouam.* Ideo transeunt vt temporalia.

E contra: [*Verba autem mea non transibunt,*] quoad sententiam. Nam Psalm. 118. *In æternum Domine permanet verbum tuum.* Gregorius hom. 1. hic: *Omne quod apud nos durabile est, ad æternitatem durabile non est, & quod apud me transire cernitur fixum & sine transitu tenetur.* Vnde Isai. 40. *Exsiccatum est fœnum,* &c. *Verbum autem Dei nostri manet in æternum.*

NOTA. Mundus transit quoad omne suum appetibile. 1. Trãsit celsitudo. Sap. 5. *Quid nobis profuit superbia aut diuitiarũ iactantia. Quid contulit nobis? Transierunt omnia.* 2. Transit pulchritudo Psal. 36. *Sicut herba transeat, mane transeat, & non floreat.* Psal. 89. *Glorietur frater humilis in exaltatione sua, Diues autem in humilitate sua: Quoniam sicut flos fœni transibit.* 3. Transit quoad dulcedinem, 1. Ioan. 2. *Mundus transit & concupiscentia eius.* Prouerb. 5. *Fauus distillans labia meretricis.*

His transitoriis, qui adhæret, transit tripliciter. 1. à culpa in culpam. Sap. 2. *Coronemus nos rosis antequam marcescant: Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra,* &c. 2. De culpa in pœnam, Sap. 2. *Vmbræ transitus est tempus nostrum.* Iob 7. *Dies mei velocius transierunt, quam à texente tela succiditur.* 3. à pœna in pœnam, Iob 24. *Ad nimium calorem transiet ab aquis niuium.*

Qui autem transit à transitoriis, triplicem facit transitum: 1. A culpa ad pœnitentiam. Actuum 12. *Trans-*

nseuntes primam & secundam custodiam, peruenerũt ortam ferream. Hunc figurabat transitus maris ɪri, Exo: i 14. 2. A pœnitentia ad pœnitentiã, clesiast. 23. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis , & à generationibus meis adimplemini.* Hic figura-: *Exodi* 16. per desertum: in quo Israelitæ Manna ıstarunt. 3. A sapientia ad vitam æternam. Ps. .*Transiuimus per ignem & aquam*, &c. Ioan. 13. *Scis quia venit hora eius, vt transiret*, &c. Hic figuratur ɪsu. 4. in transitu Iordanis; *Cum ingreßi sunt terram omißionis Festinauit populus, & transiit. Cumq; transsent omnes, transiuit & Arca.* Qui hunc triplicem fa-ıt transitum ille solus Hebræus est, & reuera pacha celebrat, quod est transitus Domini.

DOMINICA III. ADVENTVS.

Cum audisset Ioannes in vinculis. Matt. 11.

Antecedentium expositio continuata reperitur in 4. de Communi vnius Martyris.

SCOPVS. Transiit Dominus, vt doceret & prædicaret, & hoc propter tria. Vna ratio est, vt quod verbo dixerat, monstraret exemplo, Act. 1. *Cœpit Iesus facere & docere.* Item, vt ostenderet, quod etiam impiis est prædicandum. Vnde ad Roma. 1. *Sapientibus & insipientibus debitor sum.* Item, vt aliis daret locum prædicandi, vt habetur 1. Corin. 14. *Quod si aliquid fuerit reuelatum sedenti, prior taceat.*

Ioannes autem cum audisset, &c.] Posita est doctrina

 Christi

Christi, & confirmata, & instructi sunt prædicatores. Hic confutantur rebelles. Et *primo discipuli* Ioannis: *Secundo*, Scribæ.

PARTITIO.

I. *Respondet discipulis.*
II. *Satisfacit turbæ dubitanti.*
III. *Probat excellentiam Ioannis.*

PARS I.

De responso ad quæst. discipulorum Ioannis.

PRimo ponitur quæstio: *Secundo*, quæstionis solutio. De I. [*Cum audisset* .] Ponitur occasio, quare misit istos. Idem habetur Luc. 7. tamen alio ordine: dicit enim, quod erat (*in vinculis,*) vt Matt. 4. Tunc incepit Iesus miracula facere. Et hoc erat conueniens, vt Sol non appareret, dum nubes esset. Matt. 11. *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, (opera)* i. miracula Christi, (*mittens duos,*&c.) Quidam volunt ex hoc condemnare Ioannem, vt qui dubitarit, an esset Christus. At constat, quod dubius in fide est infidelis. 1. Ambro. super Lucam dicit: Hæc quæstio non fuit infidelitatis, sed pietatis. Non enim loquitur de aduentu in mundum, sed de aduentu ad passionem. Vnde miratur, si venerat ad patiendum, sicut dicit Petrus: *Propitius esto tibi Domine,*&c. Matt. 16 ¶ 2. Sed contra dicit Chrysost. Ioannes à principio præsciuit, cum dicit: *Ecce agnus Dei,* Ioan. 1. Constat ergo, quod sciuit eum fore

ore hostiam immolandam. Et commendatur hic Domino, quod sit *plusquam Propheta*; sed Prophetæ nouerũt futura. 3. Alia ratio est Gregorij. Quod non est quæstio de aduentu in mundum, nec ad passionem; sed de descensu ad inferos, quia Ioannes protinus erat iturus ad inferos, ideo voluit certificari. *Tu es, qui venturus es?* &c.

Sed contra hoc obiicit Chrysostomus: Apud inferos non est status pœnitentiæ; vnde videtur frustra dicere istud. *Dico.* Hoc non est contra Gregorium: Quia voluit, non vt nunciaret captiuis conuersionem, sed iustis, vt gauderent. Alia respõsio. Legimus quod Dominus multoties interrogarit, non quia dubitaret, sed vt calumniam tolleret. Vt Ioann. 11. interrogauit de Lazaro, *vbi posuistis eum?* non quia ignoraret, sed vt illi qui ostenderent sepulchrum, non possent negare, nec calumniari. Sic fuit de Ioanne. Quia discipuli eius calumniabantur de Christo, ideo ipse misit, non quia ipse dubitaret, sed ne ipsi calumniarentur; sed confiterentur. Sed quare non ante miserat? Quia ante semper erat cum eis, & ideo certificabat eos: sed cum debuit discedere ab eis, voluit vt ipsi per Christum essent certi. Dicit ergo: *Tu es,* &c.) Patres nostri expectauerunt te, vt habetur Exod. 4.

De II. *Et respondens ait illis,* &c.] Christi responsio: Ioannes habuit multos discipulos, Ioannis 4. Erat ergo inter eos contentio; quia videntes opera Christi præferebant Christum Ioanni. Videntes abstinentiam Ioannis, præferebant Ioannem Christo. Vnde *primo* quæstionẽ ponit: *Secundo*

commendat Ioannem. Dominus respõdet de aduentu ad passionem. Veniet tempus, quo Deus passurus est, & multi scandalizabuntur, quia *Iudæis scandalum*. 1. Cor. 1. Secundum Chrysost. ostendere vult, quod ille venit, quem Prophetæ prędixerunt. Per Prophetas tria erant promissa. Aliquando aduentus Dei; in aliquibus aduentus noui doctoris; in aliquibus aduentus sanctificationis & redemptionis. Quomodo ergo cognoscemus, quod iste veniet? respondet 1. Esa. 35. *Ecce Deus veniet & saluabit nos*, &c. Vnde videbitis ista miracula. (*Nunciate ergo Ioanni quæ audistis*) in doctrinis, (*& vidistis*) in miraculis. 2. Promittebatur doctor, Ioel. 2. *Filij Sion exultate*, sequitur, *quia dedit vobis doctorem iustitiæ*. (*Cæci vident*, &c.) Et hoc ad literam.

Si quæris, quando veniet? Esai. 61. *Spiritus Domini super me, ad annunciandum mansuetis misit me*, vel ad euangelizandum. & hoc significatur, cum dicitur: (*Pauperes euangelizantur.*) Aliquid proprium voluit significare, q. d. veniet ponere nouam doctrinam. (*Pauperes euangelizantur*,) i. euangelizatur paupertas. Vnde Matt. 5. *Beati pauperes spiritu*, &c. & Luc. 4. *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me.*

3. Veniet aliquis sanctificatus sanctificans peccatores. Vnde Esa. 8. *Dominum exercituum, ipsum sanctificate*. Vnde aliquibus promittebatur sanctificatio, quibus sanctificatis alij scandalizabuntur, ideo dicitur. (*Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me.*) Hebr. vltim. *Propter quod & Iesus vt sanctificaret per proprium Sanguinem populum, extra portam passus est*,

s est. Ideo ostendit signa de aduentu. ¶ *Mord'iter.*
er h c significatur totus processus sanctificatio-
s hominis. *Primo* enim peccatoris accidit cæci-
s, quando ratio obtenebratur. Psalm. 57. *Super-*
cidit ignis, & non viderunt Solem. & Esaiæ 43. *Educ*
as populum cæcum, & oculos habentem. 2. Claudus
citur, quando ad diuersa mens trahitur. 3. Reg
. *Vt quid claudicatis in duas partes.* 3. Fit vlcerosus
insidiis, & leprosus, quia tunc retrahi non po-
st, & alios inficit. 4. Et post surdus efficitur,
ia castigatio non auditur. 5. Vlterius moritur,
phes. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis.* Et o-
nes istos sanat Dominus. 6. Vltimo fit pauper
iritu, ita vt non sit in eo sanitas. Psalm. 37. *Quo-*
am lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sani-
in carne mea, &c. Et istos Dominus sanat, & sa-
ti in quandam soliditatem mentis cōscendunt,
i est vera pax: *Pax multa diligentibus legem tuam, &*
n est illis scandalum, Psal. 118.

PARS II.

Satisfit turbæ dubitanti.

TVrbæ audierant testimoniū Ioannis de Chri-
sto: sed modo videbantur dubitare. Tria e-
n poterant habere in corde; quia triplici ratio-
mutat quis verbum suum: Vel propter animi
nitatem, Vel propter aliquod commodum, Vel
ia ex humano spiritu primitus nesciat verita-
m, & post cognoscat illam. Psal. 93. *Scit enim Deus*

quoniam cogitationes hominum vanæ sunt: Ideo *primo* excludit ab eo leuitatem: *Secundo*, appetitum cõmodi: *Tertio* ostendit, eum propheticam habere veritatem. De I. [*Illis abeuntibus*, &c.] Docet nos Dominus magnam ciuilitatem, quia noluit Ioannem laudare discipulis suis præsentibus; sicut nec aliquem in sua præsentia. Prou. 27. *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus & non labia tua.* Quia si bonus est, qui laudatur, erubescit: si malus, adulatur. (*Cœpit Iesus dicere ad turbas. Quid existis in desertum videre? Nunquid existis ad vidēdum arundinem?*) Nō. Sed existis videre hominem firmum. Arundo autem de facili mouetur, vnde animus, cito mutabilis, vẽtus reputatur. Ephes. 4. *Vt non simus iam paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento.*

De II. Non est leuis pro aliquo commodo. (*Sed quid existis videre?*) Omnes enim diuitiæ ad aliquam vtilitatem pertinent corporis; & hoc vel in cibo, vel in vestitu: & constat, quod in nullo horum facit vim: Non est ergo credendum, quod pro aliquo commodo hoc dicat. Vnde (*Quid existis videre*) (*Hominem mollibus vestitum?*) Quare non facit mentionem de cibo, quia poterat esse dubium. Vestiebatur de pilis camelorum. Vnde *qui mollibus vestiuntur*, non sunt in deserto, sed *in domibus regum*, vt laute vescantur.

Aliter exponitur secundum Chrysostomum. Aliqui ex natura leues fiunt; aliqui ex delitiis, vt Oseæ 4. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Primum amouet per prius dictum: secundum per hoc, *mollibus vestitum*. Ideo non est inconstans ex

delitiis

delitiis vitæ. *Quæstio* de delitiis vestitus. Vtrum sit peccatum? Quia si non esset peccatum, non imputaretur illi diuiti, qui *quotidie induebatur purpura & bysso*. Luc.16.

Respondet Augustinus, quod talia non sunt consideranda: sed affectus vtentis. Quilibet enim debet indui ad modum simul conuiuentium; ideo magis intuenda est consuetudo. Nam in aliquibus terris omnes, aut plures induuntur serico. Vnde aliqui strictius induunt, aliqui latius. Et vtroque modo distinguitur: si restrictius, aut intentione bona; & hoc est bonum: aut propter vanam gloriam; & hoc malum. Si latius aut propter superbiã & hoc malum: aut propter significationẽ, vt Pontifex & Sacerdos; & hoc bonum.

Mystice, per homines qui mollibus vestiuntur, significantur adulatores. Ille enim mollibus vestitur, qui verbis blandis molitur, vt in ore hominis superbi quærant gloriam, Prou. 29. *Princeps qui libẽter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.*

3. Si dicas: Non est inconstans, sed humano spiritu loquitur, ideo hoc amouet (*Sed quid existis videre? Prophetam,*) q. d. spiritu prophetico loquitur. Fuit Propheta, Luc. 1. *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis*, &c. Extollit eum super Prophetas dicẽs: (*Dico vobis etiam plusquam Prophetam.*) & hoc quantum ad tria. Primo, quia Prophetæ est futura prædicere. Iste autem non solum futura, sed etiam præsentia ostẽdit dicens: *Ecce agnus Dei*, &c. 2. Non solũ Propheta, sed etiã Baptista: Mat. 3. 3. Præcursor, Lucæ 1. *Præibis n. ante faciem Domini parare vias eius*, &c.

Item.

Item quantum ad modum, miraculosius enim egit, quam Propheta, quia iste ex vtero prophetauit, alij non; Luc. 1. *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in gaudio in vtero meo*, &c.

PARS III.

Probat excellentiam Ioannis.

PRIMO per autoritatem. *Secundo* per specialia eius priuilegia. De I. Dixi, quod sit plusquam Propheta, de quo Malach. 3. (*Ecce ego mitto angelum meum, qui præparabit viam tuam ante te*, &c.) Ecce excellentiæ Ioannis. 1. Vocat eum angelum. Angelus enim est supra Prophetam, quia sicut sacerdos est medius inter Prophetam & populum; sic Propheta inter Angelos & Sacerdotes. Angelus autem inter Deum & Prophetas. Vnde: *Angelus qui loquebatur in me*, Zach. 1. Angelus est nomen officij, non naturæ; Ioannes angelus dicitur ex officio. 2. Differentia est inter Angelum & Prophetam; quia Angeli manifeste vident, Matth. 18. *Dico enim vobis, quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Angeli semper vident faciem Dei, Prophetæ vero non: Sic Ioannes specialiter Christum vidit, ideo dicit: (*meum.*) 3. Dicit (*ante faciem meam*. Regem præcedunt multi, sed magis familiares præcedunt faciem. Sic Ioannes tanto honorabilior, quanto propinquior. Item iste præparabat viam, quia baptizabat.

De II. *Amen dico vobis*, &c.] Supra commēdauit Domi-

ominus Ioannem per auctoritatem Prop etæ,
nc intendit eum commendare propriis verbis;
autoritatem Prophetæ exponit. Et tria facit:
ommendat ipsum quantum ad differentiam o-
nis ordinis & status. Et *primo*, secundum diffe-
ntiam cœlestium & terrestrium: *Secundo*, legis
Euangelij. *Tertio*, quantum ad differentiam præ
ntis sæculi & futuri. Et primo ostendit eum ex-
lentem inter terrestres: secundo ostendit eum
norem inter cœlestes.
I. *Dico vobis, inter natos mulierum*, &c.) Proprie lo-
tus est, cum dixit, (*surrexit*) Quia omnes nascũ-
filij iræ, Ephes. 2. *Eramus natura filij iræ, sicut &*
eri. Quicunque ergo potest ad statum gratiæ
uenire, surgit. Et significanter loquitur, (*surre-*
) vt ab hac vniuersalitate excludatur Christus:
ia mulier corruptionem sonat, sed fœmina se-
m. Si alicubi inuenitur filius mulieris, vt in Io-
ne: *Mulier, ecce filius tuus*; sexum tunc nominat,
n corruptionem.
I. Sed quid est, quod dicit, (*Inter natos mulierũ*,
.) Est ne propter hoc maior omnibus? *Dicit Hie-*
rmus: Non sequitur, si non surrexit maior; ergo
maior. Chrysost. ergo dicit, quod maior est o-
ibus. Secundum enim primam expositionem
o, quod argumentum illud in Angelis vbi est
lo, valorem haberet, vt ille, quo non est alius
ior, sit maximus; sed inter homines non habet
itatem. Quia inter homines non est ordo se-
dum naturam; sed solum secundum gratiam;
icatur maior omnibus patribus veteris testa-
menti,

menti,non eſt inconueniens. Ille enim maior & excellentior eſt, qui ad maius officium eſt aſſumptus. Abraham enim maior eſt inter patres, quoad probationem fidei. Moyſes vero quoad officium prophetiæ. Deut. vlt. *& non ſurrexit Propheta vltra in Iſrael ſicut Moyſes*, omnes iſti præcurſores Domini fuerunt. Nullus autem fuit in tanta excellentia & fauore: ideo ad maius officium eſt aſſumptus. Luc. 1. *Erit enim magnus coram Domino.*

Qui autem minor eſt, &c. Occaſione iſtorum verborum quidam locum calumniandi inuenerunt. Volunt enim omnes Patres veteris teſtamenti damnare. Si enim maior eſt aliis, ſequitur, quod alij non ſunt de numero ſaluãdorum: quia per regnũ cœlorum præſens Eccleſia deſignatur. Si ergo Ioannes non fuit de præſenti Eccleſia, non fuit de numero electorum: ergo minus alij. Et hæc opinio eſt erronea. Quia conſtat id, quod Dominus dicit, in laudem Ioannis introduci.

Poteſt autem hæc locutio exponi tripliciter. *Primo*, vt regnum cœlorum ordo beatorum intelligatur. Qui inter illos eſt minor, maior eſt quolibet viatore. Ideo præſentem ſtatum appellat Dominus pueritiam. Corinth. 13. *Cum autem factus ſum vir, euacuaui, quæ erant paruuli.* Vnde nominat viatores paruulos. Et hoc verum eſt intelligendo de maioritate actuali. Actu enim maior eſt, qui comprehenſor eſt; ſecus de maioritate virtuali. Sicut parua herba maior dicitur virtute, licet alia maior ſit quantitate. ¶ 2. Poteſt exponi ita vt per regnum cœlorũ præſens Eccleſia deſignetur. Et hoc eſt,

est, quod minor non dicitur vniuersaliter; sed minor tempore. Matt. 3. Et Ioann. 1. *Qui post me venit, ante me factus est.* Vnde ille qui minor est, maior est illo. 3. Potest exponi, quod aliquis dicitur maior dupliciter. Vel quantum ad meritum, & sic multi Patriarchæ sunt maiores aliquibus noui testamenti. Vt dicit Aug. quod cœlibatus Ioannis non præfertur coniugio Abrahæ, aut comparando statum ad statum, sicut virgines meliores coniugatis; non tamen quælibet virgo melior quolibet coniugato. Vnde Ioann. habet istam dignitatem, quod est in quodã confinio, quia maior viatorib. sed minor comprehensoribus, vnde tenet locum medium.

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Miserunt Iudæi ab Ierosolymis. Ioan. 1.

SCOPVS. Supra ostendit Euangelista, quomodo Christus innotuit testimonio Ioannis ipsis Apostolis; hic plenius explicat ipsum testimoniũ, & primo ponit testimoniũ Ioannis ad turbas. Secundo vero, testimonium, quod perhibuit de Christo discipulis suis, ibi (*Altera die iterum stabat.*) Si autem bene cõsiderentur, quæ dicta sunt, duplex testimoniũ Ioã. ad Christũ inuenitur. Vnũ, quod tulit Christo in eius præsentia: aliud in eius abscentia; nisi n. in eius præsentia testimonium Ioannes tulisset, nõ dixisset (*hic erat.*) Et nisi in eius absentia non dicere (*quem dixi vobis.*) Primo ergo, Euangelista explicat testi. Ioan. quod tulit de Christo in ei⁰ absentia. quod tulit in eius præsentia, ibi (*Altera die vidit.*)

Diffe-

Differunt autem hæc duo teſtimonia, quia primũ tulit interrogatus: alterum ſpontaneus. Et ideo in primo teſtimonio, non ſolum ponitur teſtimonium quod tulit; ſed etiam ipſa interrogatio. *Primo* autem fuit interrogatus de perſona: *Secundo*, de officio, ibi, (*Et qui miſſi fuerant.*)

PARTITIO.

I. De prima interrogatione ad Ioannem.
II. De ſecunda.
III. De tertia quæſtione.
IV. De confeſſione Ioannis, qui erat.

PARS I.

De prima interrogatione ad Ioannem.

DVo hic. Primo Interrogatio. Secundo Reſponſio. De I. *Tu quis es?* In hac interrogatione eſt magna Iudæorum reuerentia ad Ioannem; qui mittunt ad eum, eius teſtimonium inquirentes. Illa ex quatuor colligitur. Primo, ex mittentium dignitate. Non enim Galilæi miſerunt; ſed illi, qui præcipui fuerunt in populo Iſrael: ſcilicet, Iudæi qui ſunt de tribu Iuda, habitantes iuxta Hieruſalem. Paral. 5. *De Iuda elegit Dominus.* &c. Ioan. 4. *Salus ex Iudæis eſt.* Secundo, ex loci præeminentia: Quia *ab Hieruſalem*; quæ eſt ciuitas ſacerdotalis, & diuino cultui mancipata, Ioann. 4. *Vos dicitis*, &c. Iſai. 73. *Ante altare hoſt.* &c. Tertio ex nunciorum autoritate qui ſolennes erant, & ſanctiores in populo.

pulo. Quia *Sacerdotes & Leuitæ*. Isa. 41. *Vos Sacerdotes Domini*, &c. Quarto, ex hoc quod miserunt, vt Ioannes de se testimonium perhiberet: quasi tantam fidem habentes dictis suis, vt crederent Ioanni de seipso etiam testimonium perhibenti. Vnde dicitur. (*Vt interrogarent eum, Tu quis es?*) Quod Christo non faciebant, imo dicebant ei, Ioan. 8. *Tu testimonium perhibes de te ipso*, &c.)

De II. Consequenter, cum dicit (*Et confessus est*, &c.) Ponitur Ioannis responsio. Ideo autem ingeminatur hoc (*& confessus est*,) vt ostendat humilitatem Ioannis; quia licet esset tantæ autoritatis apud Iudæos, vt eum crederent Christum, non tamen honorem sibi non debitum vsurpabat: Imo (*confessus est, quia non sum ego Christus.*) Sed quid est hoc, quod dicit (*confessus est, & non negauit?*) V[...]etur autem, quod negauit, quia dicit, se non esse Christum. *Dicendum*: Ideo non negauit veritatem, quia dicit se non esse Christum: aliàs negasset veritatem. Iob 31. *Vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clare*, &c. *negatio contra Deum altissimum*, &c. Non negauit ergo veritatem, quia quantumcunque haberetur magnus, non est elatus in superbiam vsurpans sibi honorem alienum (*Et confessus est, quia non sum ego Christus*:) quia vere non erat. Ioan. 1. *Non erat ille lux*, &c.

Sed cum hi qui missi erant, non quærerent, an esset Christus; sed quis esset: Quare Ioannes respondit: *non sum ego Christus*? *Dicendum*, quod magis respondet ad mentem quærentium, quam ad quæstionem. Et potest accipi dupliciter. 1. Secundum

dum Origenem enim Sacerdotes & Leuitæ bona intentione venerant ad ipsum. Cognouerant enim ex Scripturis, & præcipue ex Prophetia Danielis, quia iam venerat tempus aduentus Christi. Vnde videntes sanctitatem Ioannis suspicabantur eum esse Christum. Ideo miserunt ad Ioannem, quasi scire volentes per hoc, quod dicunt ei: (*Tu quis es?*) an ipse se Christum fateretur. Hinc eorum respondet menti: (*Non sum ego Christus.*) 2. Chrysostomus vero dicit, quod fraudulenter interrogabant. Nam Ioannes cognatus erat sacerdotum, vtpote principis sacerdotum filius; erat etiam sanctus; & tamen testimonium perhibebat Christo, cuius genus humile videbatur. Vnde, & dicebant: *Nonne iste est fabri filius?* & ignotus erat eis; ideo cupientes magis habere magistrum Ioannem, quam Christum, mittunt ad eum, volentes eum per blanditias allicere, vt sibi honorem hunc attribuens, confiteatur se esse Christum. Quam quidem malitiam videns Ioannes, dicit: (*Non sum ego Christus.*)

PARS II.

De secunda interrogatione.

SCiendum, quod à populo Iudæorum sicut expectabatur Dominus venturus; ita expectabatur Elias Christum præcessurus. Malac. vltim. *Mittam vobis Eliam*, &c. Ideo videntes qui missi erant, quod Ioannes non confitebatur se esse Christum, instant, vt saltem confiteatur, si est Elias. (*Quid ergo?*

go? Elias es tu?) Quidam Hæretici dicunt, quod anima de corpore transmittitur in corpus. Et hoc dogma tunc temporis erat in autoritate apud Iudæos; vnde credebant, quod propter similitudinem operum Ioannis ad Eliam, anima Eliæ esset in corpore Ioannis: & habent pro se, quod dicit Dominus: Matt. 11. de Ioanne: *Si vultis scire, ipse est Elias.* Sed tamen contrariatur eis responsio Ioannis dicentis: (*non sum Elias.*) Hæretici respondent, quod Ioannes ex ignorantia respondit, nesciens, an anima sua esset anima Eliæ. Sed contra Origenes. Valde irrationabile videtur, quod Ioannes tanquam Propheta à spiritu illuminatus, & de Deo vnigenito tanta narrans, ignoraret de seipso; an vnquam eius anima fuerit in Elia. Non hac ergo intentione quærebant: (*Elias es tu?*) Sed quia habentes ex Scripturis, 4. Regum 2. quod Elias non fuit mortuus, sed viuus raptus per turbinem in cœlum: inde credebant eum subito inter eos apparuisse. Sed contra hoc est, quod Ioannes ex notis parentibus natus erat, & natiuitas eius omnibus nota erat. Lucæ 1. *Mirati sunt vniuersi, & ponebant in corde suo, dicentes: Quis putas puer iste erit?* Ad quod potest dici, quod non est incredibile, quod ita existimarent de Ioanne, sicut dictum est: quia & simile habetur Marc. 14. quod Herodes credebat de Christo, quod esset Ioannes, quem ipse decollauerat, & tamen diu antequam Ioannes decollatus esset, Christus prædicauerat, & notus fuerat; & ideo ex simili amentia & crassitudine, Iudæi quærebant à Ioanne, an ipse esset Elias.

Sed quid est hoc, quod dicit Ioannes: (*Non sum*) scilicet Elias, cum Christus dixerat Matt. 11. *Ipse est Elias. Soluit* angelus, Luc. 1. *Ipse præcedet ante eum in spiritu & virtute Eliæ*; in suis scil. operibus. Non fuit ergo Elias in persona, sed in spiritu & virtute, quia scilicet similitudinem Eliæ in suis operibus ostendebat. Potest autem attendi similitudo quantum ad tria. *Primo*, quantum ad officium: Quia sicut Elias secundum Domini aduentum præueniet; ita iste præcessit primum, &c. Vnde Angelus: *Ipse præcedet ante Iesum*, &c. *Secundo*, quantum ad viuendi modum; Quia Elias in desertis morabatur, parco vtebatur cibo; & duris vestibus operiebatur; 3. Reg. 19. & 4. Reg. 1. Et Ioannes *In desertis erat, cibus eius locustæ, & mel siluestre; & zona eius de pilis camelorum. Tertio*, quantum ad zelum, quia Elias maximi zeli fuit: vnde dicebat 3. Reg. 19. *Zelo zelatus*, &c. sic & Ioannes zelo veritatis mortuus est: vt patet Matt. 15.

PARS III.

De tertia quæstione.

PRimo quæritur, cum dicatur, Luc. 1. *Tu puer Propheta altissimi vocaberis*, &cæt. Quid est, quod Ioannes interrogatus, si esset Propheta, respondit, se non esse Prophetam? Tripliciter respondetur 1. Ioannes non est Propheta simpliciter, sed *plusquam Propheta*. Alij namque Prophetæ solum futura prædicabant à remotis. Abac. 2. *Si moram fecerit*, &c. Ioannes vero Christum præsentem annũciauit,

nuit, quasi digito ostendens, Ioann. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ideo Matt. 11. Dominus dicit eum esse plus quam Prophetam.

2. Respondetur secundum Origenem: Quia Iudæi ex malo intellectu tres excellentes personas futuras credebant circa aduentum Christi, scilicet ipsum Christum, Eliam, & quendam alium maximum Prophetam: de quo Deuter. 18. *Prophetam suscitabit vobis Dominus*, &c. Et licet hic maximus Propheta, secundum veritatem non sit alius, quã Christus; tamen secundum Iudæos alius est à Christo: ideo non quærunt simpliciter, vtrum sit Propheta; sed an sit ille Propheta maximus. Quod quidem ex ordine quæstionis apparet. Nam primo quærunt, *an sit Christus.* Secundo, *an sit Elias.* Tertio *an sit Propheta ille.* Et ideo in Græco ponitur articulus ὁ *hic* quasi anthonomasice.

3. Respondetur: Quia Pharisæi mouebantur contra Ioannem, quod sibi baptizandi officium præter ordinem legis, & traditionem eorum assumpsisset. De tribus autem habetur in veteri Testamento, quibus competere poterat baptizare, s. de Christo, Ezech. 16. ex persona Christi dicitur: *Effundam super vos aquam mundam*, &c. Item de Elia, 4. Reg. 2. Qui diuisit aquas Iordanis, & transiens raptus est. Item, de Elisæo, qui Naaman Syrum lauari fecit septies in Iordane, vt lauaretur à lepra: 4. Reg. 4. Videntes ergo Iudæi Ioannem baptizare, credebant eum aliquem istorum esse, sc. Christum, vel Eliam, vel Elisæum, & ideo cum dicunt hic (*Propheta es tu?*) Interrogant, an sit Elisæus. Et

 dicitur

diciturſingulariter(*Propheta*)propter multa miracula,quæ fecerat,vnde ille 4. Reg.4. *Vt autem ſciat Prophetiam eſſe in Iſrael*,& ſecundum hoc reſpondet (*Non ſum*) Eliſæus.

PARS IV.

Confeßio Ioannis, ſe eſſe, qui erat.

PRimo ponitur interrogatio nunciorũ. *Secundo*, reſpõſio. De I. *Quis es? vt reſponſum demus*,&c]q. d.ad hoc miſsi ſumus,vt ſciamus,*quis es?* ideo dicas nobis,(*quid dicis de te ipſo?*)Sed attende Ioannis deuotionem:iam impleuit,quod Apoſtolus dicit Galat.2.*Viuo ego iam non ego*,&c.& ideo nõ reſpondet: Ego ſum filius Zachariæ, vel talis & talis, ſed ſolũ illud,in quo Chriſtum ſequebatur.

De II. [*Ego vox clamantis*,&c.]Dicit autem ſe vocem eſſe:quia vox origine poſterior eſt verbo, ſed notitia prior. Nam verbum in corde conceptum, per vocem prolatam cognoſcimus, cum ſit ſignũ eius.Deus aũt Pater præcurſorem miſit Ioannem in tempore factum, vt Verbum ſuum ab æterno conceptum annunciaretur:& ideo congrue dicit (*Ego vox.*) Quod aũt addit[*clamantis*,]poteſt intelligi dupliciter,vt ſ. ſit,vel Ioannis in deſerto clamãtis,& prædicantis;vel Chriſti clamantis in ipſo,ſecundum illud 2.Cor.vlt. *An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Chriſtus?*

Clamat autem propter quatuor. *Primo*, Clamor manifeſtationem importat;&ideo vt oſtendat,quod Chriſtus in Ioanne,& in ſe manifeſte loqueba-

quebatur, clamat. Io. 7. *In nouißimo magno festiuitatis*, &c. In Prophetis autem nō clamauit; quia prophetiæ in ænigmate & figuris datæ sunt. vnde Ps. 17. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris. Secundo*, Quia clamor fit ad distantes: Iudæi autem elongati erant à Deo, ideo necesse erat, quod clamaret, Ps. 87. *Elongasti à me amicum & proximum. Tertio* clamat, quia surdi erant. Isai. 42. *Quis surdus, nisi seruus meus?* Quarto clamat, quia cum indignatione loquitur, quasi iram Dei meruerunt. Psalm. 2. *Loquetur ad eos in ira sua*, &c.

Sed attende, quod clamat (*in deserto*) quia Luc. 3. *Factum est verbum Domini super Ioannem*, &c. Ratio, & literalis, & mystica. *Literalis*: Vt in deserto manens, immunis esset ab omni peccato; & sic dignior esset Christo testimonium ferre; & ex vita sua testimonium suum credibilius esset hominib. *Mystica* autē causa duplex est, nam per desertū, gentilitas designatur, iuxta illud Isa. 54. *Multi filij desertæ*, &c. Vt ergo ostenderet, quod doctrina Dei de cætero non debet esse in Hierusalem tantū, sed in gentib. clamauit in deserto. Mat. 21. *Auferetur à vobis regnū Dei*, &c. Itē, per desertū intelligitur Iudæa, quæ iam deserta erat. Mat. 23. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. Clamauit ergo [*in deserto*] .i. in Iudæa; vt indicaret, quod populus, cui prædicabat, iam desertus esset à Deo. Psalm. 62. *In terra deserta*, &c. Sed quid clamat? (*Dirigite viam Domini*,) quia ad hoc missus fuit, Lucæ 1. *Tu puer Propheta altißimi vocaberis, &c. parare vias eius*, &c. Via autem ad recipiendū Deū parata & recta, est via iustitiæ,

secundum illud Isaiæ 26. *Semita iusti recta est*, & cæ. Tunc enim semita iusti est recta, quando homo totus subiicitur Deo, vt sc. intellectus per fidem, voluntas per amorem: operatio per obedientiam, Deo subdantur, & hoc (*sicut dicit Isaias Propheta*) id est, sicut prædixit, q. d. ego sum ille, in quo ista complentur.

II. CONCIONIS DISPOSITIO.

Qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.
Ioann. 1.

SCOPVS. Supra Ioannes interrogatus, perhibuit testimonium Christo de seipso, quantum ad personam: hic vero quantum ad officium.

PARTITIO.

I. *De quæstione missorum.*
II. *De comparatione Christi ad Iudæos.*
III. *De comparatione Christi ad sese, deque eius excellentia.*
IV. *De loco vbi iam dicta contigerunt.*

PARS I.

De quæstione legationis.

HIc quatuor occurrunt. *Primo*, interrogantes. *Secundo*, interrogatio. *Tertio*, responsio.

De I. Interrogantes sunt Pharisæi, (*& qui missi fuerant,*

fuerant, erant ex Pharisæis.) Secundum Origenem, non sunt iidem cum Sacerdotibus & Leuitis, qui missi sunt à Iudæorum vniuersitate. Quia sacerdotes & Leuitæ disciplinati erant, & reuerentes; humiliter, & cum reuerentia Ioannem interrogant de eius dignitate, vtrum scilicet Christus esset, an Elias, an Propheta: Isti vero, qui ex Pharisæis erãt, secundum nomen suum diuisi & importuni, contumeliosas voces prætendunt Baptistæ, vnde (*dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es?* &c.) 2. Secundum Gregorium, Chrysostomum & Augustinum, isti qui ex Pharisæis, sunt illi iidem, qui missi fuerant à Iudæis Sacerdotes & Leuitæ. Quædam enim secta erat inter Iudæos, qui propter exteriorem cultum diuisi erant ab aliis, vnde & Pharisæi, id est, diuisi vocabantur; in qua erant aliqui de Sacerdotibus & Leuitis, & aliqui de populo. Vt ergo nuncij maioris autoritatis essent, miserũt Sacerdotes & Leuitas, qui erant ex Pharisæis; vt eis nec sacerdotalis ordinis dignitas, nec religionis deesset autoritas.

De II. Ideo autem dicit (*erant ex Pharisæis,*) vt rationem quæstionis baptismi Ioannis, pro qua missi non fuerunt, assignet. q.d. missi fuerunt, vt interrogarent à Ioanne quis esset: sed quod quærunt. (*Quid ergo baptizas,*) fecerunt, quia erant ex Pharisæis, quibus eorum religio ausum præbebat. Secundo, dicit Gregorius, vt ostendat, qua intentione quæsierunt à Ioanne (*Tu quis es:*) Pharisæi enim inter omnes alios insidiose & calumniose se habebant ad Christũ. Vnde ipsi dixerũt ei Mat 12.

In Beelzebub principe dæmoniorum, &c. Ipſi etiam inierunt cum Herodianis *conſilium, vt caperent Ieſum in ſermone*, Matt. 22.

Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, &c.] Nota, non quærunt, vt ſciant, ſed vt impediant, quia n. videbant multitudinem populi ad Ioannem currere, propter nouum ritum baptizãdi, & extraneum à ritu Phariſæorum, & legis inuidebant Ioanni, conabanturque impedire baptiſmum eius, q.d. non debes baptizare, ex quo negas te eſſe aliquem illorum trium, in quibus figuratus eſt baptiſmus, ſc. (*Si tu non es Chriſtus*,) qui habiturus eſt fontem in ablutionem peccati: & ſi *non es Elias*, ſiue *Propheta*, i. Eliſæus; qui ſicco veſtigio Iordanem tranſierunt. 4. Reg. 2. Similes iſtis ſunt inuidi, animarum profectum impedientes, qui dicunt videntibus, nolite videre, &c. Iſa. 30.

De III. Reſponſio autem eſt vera, vnde dicit: (*Reſpondit eis Ioannes, dicens*: *Ego baptizo in aqua*. q.d. Non debetis mirari, ſi ego, qui non ſum Chriſtus, nec Elias, nec Propheta, baptizo; quia baptiſmus meus non eſt completiuus, ſed imperfectus. Nam ad perfectionem baptiſmi exigitur lotio corporis & animæ; & corpus quidem ſecundum naturam lauatur aqua; anima vero non niſi ſpiritu. vnde (*Ego baptizo in aqua*,) i. corpore lauo corpus. Veniet autem alius, qui perfecte baptizabit, ſc. in aqua & Spiritu Sancto, Deus & homo, qui & corpus aqua, & ſpiritum ſpiritu lauabit, ita vt ſanctificatio ſpiritus deriuabitur ad corpus. Acto. 1. *Ioannes quidem baptizauit aqua*, &c.

PARS

Pars II.

De comparatione Christi ad Iudæos.

AD Iudæos autem cōparat eum, dicens, (*Medius autem vestrum*, &c.) q.d. ego imperfectū ɔus feci; sed est alius, qui perficiet opus meū, (*Qui terit medius vestrum*, &c.) Hoc exponitur multiiciter. 1. secundum Gregor. Chrysost. & Aug. t referatur ad communem Christi conuersatioꝫm inter homines; quia secundum naturam huanā aliis hominibus similis apparuit. Phil. 2. *Qui m in forma Dei esset*, *&c. habitu inuentus vt homo*. Id) dicit, (*Medius vestrum stetit*, &c.) i. multotiens cōrsatus est, quasi vnus ex vobis. Luc. 22. *Ego in edio vestrum sum*, &c. *Quem vos nescitis*,) i. hoc quod eus factus est homo, capere non potestis. Item scitis, quam magnus sit secundum naturam dinam, quæ in eo latebat. Iob 36. *Ecce Dominus mavincens scientiam vestram*, &c. Et ideo, vt Augucit: *Accensa est lucerna Ioannes vt inueniatur Christus*. al. 130. *Paraui lucernam Christo meo*. 2. Secunım Origenem dupliciter. *Primo*, vt referatur ad hristi diuinitatem, & sic, (*medius vestrum*) id est, in edio omnium rerum (*stetit*,) scilicet, Christus: uia ipse, quà Verbum à principio creaturæ imuit vniuersam creaturam. Hieremiæ vigesimocundo: *Cœlum & terram ego impleo*, (*quem tamen s nescitis*,) quia *in mundo erat*, *& mundus eum non gnouit*.

3. Vt referatur ad causalitatē humanæ sapientiæ, & dica-

& dicatur, (*medius vestrum stetit.*) id est, in intellectu omnium relucet. Quia quicquid lucis, & sapientiæ est in hominibus, prouenit eis ex participatione Verbi, & dicit (*in medio*) quia in medio hominis corporaliter est cor; cui attribuitur quædam sapiētia & intellectus: vnde licet intellectus non habeat organum corporale, tamen quia cor est principale organum, consueuit accipi pro intellectu. Vnde in medio stare dicitur secundum hanc similitudinem, inquantum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*quem tamen vos nescitis*) quia *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*]

Quarto modo exponitur, vt referatur ad propheticam Christi prænunciationem, vt sic respondeatur principaliter Pharisæis, qui continue scripturas veteris Testamenti, in quibus prænunciabatur Christus, inquirebant, & tamen eum non cognoscebant, & sic (*Medius vestrum stetit*, id est, in sacra Scriptura, quam vos semper reuoluitis. Matthæi 5. *Scrutamini Scripturas*, &c. (*Quem tamen vos nescitis*,) quia cor vestrum induratum est, propter infidelitatem, & oculi vestri excæcati sunt; vt non agnoscatis præsentem, quem creditis futurum.

PARS III.

De comparatione Christi ad se, deque eius excellentia.

EXcellentiam autem Christi ad seipsum ostendit, quoad ordinem prædicationis, & quoad ordi-

ordinem dignitatis. 1. Quantum quidem ad ordinem prædicationis, Ioannes primo innotuit, & ideo dicit: (*Ipse est, qui post me venit,*) ad prædicandũ, baptizandum & moriendum: Quia Luc. 1. *Praibis ante faciem Domini parare vias eius.* Sed Ioannes quidem præcessit Christum, sicut imperfectum perfectum, & sicut dispositio formam, sicut dicitur 1. Cor. 15. *Non prius quod spirituale,* &c. Nam tota vita Ioannis fuit quoddam præparatorium ad Christum. vnde *Ego vox clamantis in deserto,* sed Christus præcessit Ioannem, & nos omnes, sicut perfectum imperfectum, & sicut exemplar exemplatum, Matth. 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum,* &c. 1. Petr. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum.* 2. Quantum vero ad ordinem dignitatis. cum dicit (*Qui ante me factus est,*) id est, mihi prælatus est, & dignitate præpositus; quia Matth. 3. *Me oportet minui, illum autem crescere.* Immensitatem autem excellentiæ assignat, cum dicit.

Quasi dicat: Non intelligatis ipsum mihi in dignitate præpositum, sicut vnus homo præfertur alteri: sed tam excellenter, vt nihil sim in comparatione ad ipsum. Et hoc patet (*Quia nõ sum dignus, vt soluam corrigiam calciamenti eius.*) quod est minimum obsequium, quod hominibus fieri potest. Ex quo patet, quod Ioannes multum accesserat ad Dei cognitionem, inquantum ex consideratione infinitæ magnitudinis Dei se totaliter vilipendebat, & nihil se esse dicebat. Sicut Abraham, cum Deum cognouisset, dicebat, Genes. 18. *Loquar ad Domi-*

Dominum meum, cum sim puluis & cinis. Sic Iob 41. Cũ Dominum vidisset, dixit: *Nunc oculus meus videt te, idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Sic Isa. 40. postquam vidit gloriam Dei, dixit: *Omnes gentes quasi non sint,* &c. Et hæc quidem expositio est literalis.

Exponitur autem & *mystice.* 1. Secundum Gregorium, vt per calciamentum, quod fit de pellib. mortuorum animalium, intelligatur humana natura mortalis, quam Christus assumsit. Ps. 59. *In Idumæa extendam calciamentum meum,* &c. Corrigia aũt calciamenti eius, est ipsa vnio diuinitatis & humanitatis, quam nec Ioãnes, nec aliquis potest soluere; nec potuit plene inuestigare, cum talis esset, vt hominem faceret Deum, & Deum hominem: & ideo dicit: *(cuius non sum dignus, vt soluam corrigiã calciamenti.)* i. vt explicem mysterium Incarnationis, &c. intelligendum est plene & perfecte. Nam quoquo modo & Ioannes & alij prædicatores licet imperfecte, soluunt corrigiam calciamenti. 2. Exponitur, in veteri lege præceptum erat, Deut. 25. quando quis moriebatur sine liberis, frater defuncti vxorem recipere tenebatur, & ex ea semen fratri suo suscitare: quod si nollet eam in vxorem recipere, tunc propinquus defuncti eam recipere volens, debebat eum discalciare in signum huius cessionis, & illam in vxorem recipere, & domus eius debebat vocari domus discalciati. Secundum hoc ergo dicit: *Cuius non sum dignus corrigiam calciamenti soluere.)* i. non sum dignus habere sponsam, quæ ipsi debetur, Ecclesiam: q.d. non sum dignus, vt vo-

ocer sponsus Ecclesiæ, quæ consecratur Chri-
n baptismo spiritus: Ego autem baptizo in a-
tantum Ioan. 3. *Qui habet sponsam, sponsus, &c.*

PARS IV.

De loco vbi iam dicta contigerunt.

Vaestio. Cum Bethania sit in monte Oliueti, quod est iuxta Herusalem, sicut dicitur Ioan & Mat. 16. q̃uo dicit, quod facta sunt trans Ior em, qui multũ distabat ab Hierusalem? *Dicen*-, secundũ Orig & Chrys. quod non debet dici hania, sed Bethabora; quæ est quædam villa vl- ordanem: & hoc, quod dicit, Bethania corru- m est vitio scriptorum. Sed quia, tã libri Græci latini habent Bethania, ideo dicendum, quod luplex Bethania: vna prope Hierusalem in la- montis Oliueti; alia trans Iordanem, vbi erat ines baptizans.

Quod autem mentionem facit de loco, habet onem literalem & mysticam. *Literalem* secun- n Chrys. Quia Ioannes scribebat Euangelium d viuentibus forte aliquibus, qui & tẽpus quo facta sunt, & locum viderant: & ideo quasi ad orem certitudinem illos testes facit, illorum : viderant. *Mysticam* vero, quia hæc loca con- iunt baptismo. Nam si dicatur Bethania, quæ ius obedientiæ interpretatur, significat, quod esse est per obedientiam fidei ad baptismũ per- ire. Ro. 1. *Ad obediendum fidei in omnibus gẽtibus.* Si dicatur *Bethabora*, quæ interpretatur *domus*

prapa-

præparationis, significat, quod per baptismum præparatur homo ad vitam æternam. Nec vacat mysterio, quod trans Iordanem sit. *Iordanis* enim interpretatur *descensus eorum*: & secundum Origen. significat Christum, qui dicit: *Descendi de cœlo, vt facerem voluntatem Patris mei.* Vnde Eccle. 24. *Ego quasi fluuius Dorix.* Per ipsum autem omnes ingredientes in hunc mundum, mundari conuenit, secundum illud Apoc. 1. *Lauit nos à peccatis nostris in Sanguine suo.*

Conuenienter etiam Iordanis baptismum significat, ipse enim confinium est inter illos, qui acceperunt sortes hæreditatis à Moyse ex vna parte Iordanis, & illos qui acceperunt à Iosue ex alia. Ita baptismus quasi quoddam confinium est inter Iudæos & Gentiles, qui proficiscuntur illuc, vt se lauent ad Christum venientes, vt opprobrium peccati deponant. Sicut etiam filios Israël terram promissionis intrantes oportuit transire Iordanem; ita & per baptismum oportet patriam cœlestem intrare. Dicit autem (*trans Iordanem*,) vt insinuet, quod etiam transgressoribus & peccatoribus baptismum pœnitentiæ prædicabat Ioannes. Vnde & Dominus Matth. 9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.*

DOMI-

DOMINICA INFRA NATIVITATEM.

Erant pater eius & mater mirantes, Luc. 2.

SCOPVS. Natus in orbem hic publicatur orbi per Simeonem & Annam.

PARTITIO.

I. *De Simeonis præconio super Christo.*
II. *De testimonio Christi, quod accepit à sexu fœmineo.*
III. *De dictorum consummatione, & Christi subiectione.*

PARS I.

De præconio Simeonis super Christo.

ERant mirantes.] Nam Christus admirabilis est, 1. quia Mediator. Ester. 15. *Valde mirabilis es Domine, & facies tua est plena gratiarum.* 2. Quia Saluator, ob clementiam mirabilis est. Psal. 67. *Mirabilis Deus in Sanctis suis: Quoniam gratia & misericordia sanctus Deus, & respectus in electos illius.* 3 Admirabilis, quia Doctor, in sapientia. Psal. 92. *Mirabilis in altis Dominus.* Exodi 15. *Quis similis tui in fortibus Domine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate? Terribilis atque laudabilis faciens mirabilia.*

Et benedixit illis Simeon.] Ponitur hic præconij

e tempe-

temperamentum, subiungens Christi infirmitatem post dignitatem. *Primo* ponitur propheticæ benedictionis solatium. *Secundo*, Dominicę passionis mysterium. *Tertio*, maternæ compassionis martyrium. De I. *Et benedixit*] i. benedictos prædicauit: Mariam, quia concepit: Ioseph, quia educauit. Vnde poterat eis dicere Psal. 113. *Benedicti vos à Domino*. Benedicuntur enim parentes in filio, & pro filio. 1 Reg. 2. *Benedixit Heli Elcana & vxori eius*, sc. pro filio eorum.

NOTA 1. Datur benedictio ad confortationem, & consolationem, & commendationem. 2. Vel ideo benedixit, vt indicaret Patrum benedictiones in illo completas esse. Gen. 12. *Benedicam benedicentibus tibi.* 3. Vel ideo, vt insinuet nos per passionem Christi fore ab omni maledicto liberandos. Galat. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.*

De II. (*Ecce positus est hic*, &c.) in indicium: Ioannis 9. *Ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant: Et si vident, cæci fiant.* Et Isaiæ 9. *Erit nobis Dominus in sanctificationem. In lapidem autem offensionis, & in petram scandali; in duabus domibus Israel: In laqueum & in ruinam habitantibus in Ierusalem.* Et sic *positus est* diuino indicio. 1. Petr. 2. *Vobis igitur honor credentibus: Non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes: hic factus est lapis offensionis & scandali, his, qui offendunt verbo.* Et hoc in pœnam peccati.

Simile dicitur de Apostolis 2. Corinth. 2. *Christi bonus odor sumus Deo; aliis vero odor mortis in mortem:*

rtem: *aliis autem odor vitæ in vitam.* ¶ Huius
tio subditur, contradictio erroris: (*In signum,*
contradicitur.) Threnorum 3. *Tetendit arcum*
um, & posuit me quasi signum ad sagittam. Hebræo
m 12. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccato-*
us aduersum semetipsum contradictionem. Et hæc fuit
inæ occasio. Isaiæ 41. *Peribunt viri, qui contra-*
unt tibi. Ecclesiast. 4. *Non contradicas verbo verita-*
vllo modo.

De III. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius,*
cæt.) id est, tui ipsius gladius compassionis. Vn-
competit ipsi hoc: Psalm. 104. *Ferrum pertransiit*
imam eius, dolores, quos pariens effugit tempo-
passionis Christi pertulit. Beda: *Dum perforatur*
icea ille tuus Iesus, omnium quidem, sed specialiter
us, tuam ipsius animam gladius pertransiuit; Quia
n ille expirauerat, vnde te plus quam Martyrem præ-
amus.

Qui non diligebant Iesum, illi ex eius mor-
exultabant. Ideo ait: (*vt reuelentur,* &cæt.) Hoc
nsecutum fuit; ideo *Vt* consecutiuum est. Fuit-
ıe reuelata Iudæorum cordis iniquitas. Oseæ 7.
um sanare vellet Israel, reuelata est iniquitas Ephraim,
malitia Samariæ. Quia Matthæi 10. *Nihil est oper-*
m, quod non reueletur: & occultum, quod non sciatur.
oc autem maxime erit in Iudicio: Ideo 1. ad
or. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat*
ominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, &
anifestabit consilia cordium.

Mystice. Triplex gladius pertransit animam me-
tantis passionem CHRISTI. Primus est

discretionis rectæ fidei. Ephes. 6. *Assumite gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Secundus est iudicij. Apoc. 1. *De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.* Tertius est diuisionis humani desiderij. Matt. 10. *Non veni pacem mittere sed gladium.* Pertransit autem primus gladius animas per fidem. Hebr. 4. *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus: compagum quoque ac medullarum*, &c. Secundus per pœnitentiam. Psal. 149. *Gladij ancipites in manibus eorum.* Tertius per ardorem beneuolentiæ. Cant. 3. *En lectulum Salomonis, &c. Omnes tenentes gladios*, fauoris, & defensionis.

Alius gladius, spiritalis & pessimus, est triplex. 1. Rancoris, 1. Reg. 31. *Arripuit Saul gladium suum, & irruit super eum.* 2. Detractionis. Psal. 56. *Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ; & lingua eorum gladius acutus.* 3. Hæresios, de qua sub titulo meretricis, Prou. 5. *Nouissima illius amara quasi absynthium, & lingua eius acuta quasi gladius biceps.* Psalm. 36. *Gladium euaginauerunt peccatores, &c. vt trucident rectos corde.* Primus est emendus. Luc. 22. *Qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Alius est in vaginam remittendus. Matt. 26. *Conuerte gladium tuum in locum suum.* Quia primus occidit vitam carnalem: secundus spiritalem.

PARS

PARS II.

De testimonio Christi ab sexu fœmineo.

DEcebat Christi aduentum testimonium habere,ab omni genere personarum. Vt inexcusa-iles sint,qui non credunt. Fuit id autem angeli-ım & humanum: Hocque ab simplicibus & per ;ctis: Ab his in vtroque sexu. Nam vterque ad :demptionem spectabat,quia ceciderat. Fuit te-imonium Christi septiforme. 1. Cœleste,Matt. *Vidimus stellam eius in Oriente.* 2. Supercœleste, lat. 2. *Facta est cum angelo multitudo cœlestis exerci-s*,&c. 3. Humanum Pastorum simplicium. 4. Sa entum: *Ecce Magi*, &cæt. 5. Senis: *Nam venit meon in spiritu in templum.* 6. Fœmineum; vt hic ab nna. 7. Infantum, *qui non loquendo, sed moriendo nfessi sunt.* Omnia vni testimoniũ dederunt: quia ıus ipse debuit reparare omnia. Vnde pueris ei :clamantibus, & reclamantibus Pharisæis di-um, Lucæ 19. *Hi si tacuerint, lapides clamabunt.*

In præsentis testimonij fidem astruendam tria ıducuntur. *Primo*, Prophetantis auctoritas. *Secun* ›, Testificantis sanctitas. *Tertio*, Testimonij celeritas.

De I. Autoritas prophetantis colligitur 1. Ex ıunere prophetali. Vnde (*Erat Anna Prophetissa.*) .nna, id est, gratia. Bene prophetat, quæ gratiosa. rouerb. 11. *Mulier gratiosa inueniet gloriam.* Dicere otest ipsa: 1. Cor. 15. *Gratia Dei sum, id quod sum.* Disce ex ea Sapien. 7. quod hæc *in animas sanctas se*

transfert & amicos Dei, & Prophetas constituit. 2. Ex Origine naturali: Vnde (*Filia Phanuel de tribu Aser*) Et sic erat de genere Israël, à quo descenderant Reges, Sacerdotes, Prophetæ, & Christus. De Israelitis dicitur. Rom. 9. *Quorum adoptio est filiorum, & gloria Testamentum, & legislatio, & obsequiũ, & promissa, quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem*, &c. Specialiter erat de tribu Aser; cui dicitur Deuteronom. 33. *Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis. Sicut dies iuuentutis tuæ sic & senectus tua.* Et hoc singulatim dicitur de *filia Phanuel*; id est, facies Domini. Ex quo patet, quod de iis erat, ad quos Psalmo 104. *Quærite faciem eius semper.* Nihil ergo deerat ratione originis ex parte dignitatis parentum; neque ratione antiquitatis dierum; quæ facit ad dignitatem, quoad populum. Prouerbiorum 16. *Corona dignitatis senectus, quæ in viis iustitiæ reperietur.* Ideo (*præcesserat in diebus multis.*) Iob 29. *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.*

De II. Quoad testificantis sanctitatem, in vita actiua, & contemplatiua. Actiua consistit in regimine domus propriæ. Hinc (*Vixerat cum viro suo annis*, &c. *& erat vidua*, &c.) Itaque virginitatem attulit ad matrimonium; & porro conseruauit continentiam coniugalem ac vidualem. Eadem fuit custos sua, Iudith 15. *Ideo fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, & virum alterum nescieris.* Vnde honoranda 1. Timot. 5. *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.* Idem: *Vidua eligatur non minus septuaginta annorum, quæ fuerit vnius*

viri

viri vxor, in operibus bonis testimonium habens. Talis Anna perfecta in vita actiua.

Quoad contemplatiuam dicitur: (*Quæ non discedebat*, &cæt.) Glossa: *Tota viuebat in contemplatione deuota.* Exemplum viduis, vt dicant Psalm. 133. *Hæc requies in sæculum*, &cæt. Contra sunt aliæ. 1. Timoth. 5. *Otiose discunt circuire domos; verbose & curiose loquentes, quæ non oportet.*

Vacabat etiam officiose. Vnde (*Ieiuniis & obsecrationibus seruiens.*) Vt Iudith cap. 8. *Quæ in superioribus domus suæ fecerat cubiculum secretum, in quo cum puellis suis clausa morabatur; habens super lumbos ciliciũ, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ.* Bene 1. Timoth. 5. *Vidua, quæ in delitiis est, viuens mortua est.* Bene iungit ieiunium & orationem: Quia ieiunio sanantur pestes corporis, & oratione pestes animæ. Tobiæ 1. *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna*, &cæt. Vacabat eisdem continue.

Die ac nocte:] Secundum formam Apostoli 1. Timoth. 5. *Quæ vere vidua est & desolata: speret in Deo, & instat obsecrationibus, & orationibus die ac nocte.*

De III. *Et hæc ipsa hora*, &c.) Hic describitur testimonij celebritas, tum ratione temporis congruentis, tum multitudinis consentientis. 1. Ratione temporis congruentis, dicitur: (*Et hæc ipsa hora superueniens, confitebatur Domino.*) In quo apparet, quod diuino instinctu factus est iste concursus; & ideo festum Purificationis dicitur festum obuiantium. Quia Simeon & Anna obuiauerunt. Ioseph & Mariæ, sine aliqua conuocatione.

Hinc die eo fit processio. Et sicut eodem spiritu venit Anna, eodem & prophetauit. Ioël, 2. *Prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ senes vestri*, &c. At Simeonis testificatio explicite describitur, per modum confessionis, non Annæ. Quia docere in Ecclesia non est mulierum. 1. Tim. 2. *Docere mulieri non permitto in Ecclesia, neque dominari in virum, sed esse in silentio.*

NOTA, omnes ætates & status de Christo prophetasse, Simeonem, Zach. Mariam, Elisabetham, demum iam Annam viduam.

2. Ratione multitudinis consentientis subditur. (*Et loquebatur de illa*, &c.) Libenter audiebant, & quasi dicebant. Is. 25. *Ecce Deus noster iste: expectauimus eum, & saluabit nos.* Iam poterat cantare, Psal. 110. *Redemptionem misit Dominus populo suo.* (*Omnibus loquebatur.*) Quia in hoc pendebat salus omnium, Isai. 49. *Sciet omnis caro, quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.*

NOTA. Mystice, in oblatione Domini quatuor personæ offerunt: Ioseph, Maria, Simeon, & Anna. Quia anima quæ sacrificare vult Deo, debet habere quatuor virtutes cardinales. Per Simeonem, id est, audientem, intelligitur Prudentia. Prouerb. 1. *Audiens sapiens sapientior erit.* Per Annam, id est, gratiam, Temperantia. Hebr. 13. *Optimum est gratia stabilire cor, non escis.* Per Ioseph, id est, augmentum, Iustitia; 2. Cor. 9. *Multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Per Mariam, id est Dominatricem, Fortitudo, Prou. 16. *Melior est patiens viro forti.* De his quatuor, Sap. 8. Pruden-

Prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem. Et designantur per quatuor Prophetissas Scripturæ: Mariam sororem Moysis, Exodi 15. Delboram, Iudic. 5. Oldam 4. Reg. 22. & Annam. Per Annam intelligitur temperantia. Per Oldam, id est, discretio, Prudentia. Per Delboram, id est, apem aculeatam, Iustitia, quoad seueritatem & clementiam. Per Mariam, Fortitudo, quoad magnanimitatem & patientiam. Hæ virtutes intelliguntur per filias Virgines Prophetantes quatuor Philippi, Act. 21. Per Philippum, id est, os lampadis, intelligitur sapientia, quæ docet & generat virtutes quatuor.

PARS III.

De prædictorum consummatione, & Christi subiectione sub lege morali.

DVo hic: *Primo*: Respectu legalis præcepti. *Secundo*, Respectu prophetalis vaticinij. De I. (*Vt perfecerunt omnia,*) secũdum quod dicitur Matthæi 5. *Non veni legem soluere, sed adimplere.* Ibid. *Iota vnum, &c. non præteribit à lege, donec omnia fiant.* De II. (*Reuersi sunt in Galilæam,* &c.) Nam Matt. 2. isthuc recesserat, habitans in Nazareth: *quoniam Nazaræus vocabitur.*

Puer autem, &c.] Subiectus Dominus legi ceremoniali, iam docetur etiam subditus fuisse morali. Sed quia hæc attenditur circa cultum maiestatis, studium veritatis, & officium pietatis: quorũ per primum subiicitur homo Creatori, per alterũ

 Docto-

Doctori, per tertiam genitori; ideo tria dicitur. Qualiter sit Christus sub lege morali, quoad cultum Maiestatis.

Et cernitur ibi excellentia virtutis in mente, etsi ætas esset infirmior. (*Crescebat*,) ait Beda, qua puer, non quà Verbum. Quoad mentis perfectionem in virtute additur, (*& confortabatur spiritu*) scilicet in vigore potentiæ, respectu irascibilis; in splendore sapientiæ, respectu rationalis: & feruore gratiæ, respectu concupiscibilis.

De 1. Ezechiel. 3. *Manus Domini erit mecum confortans me.* Colossen. 2. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* De 2. dicitur (*Plenus sapientia.*) Nam *in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Isai. 11. *Et requiescet super eam spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus.* De 3. subditur: (*Et gratia Dei erat in illo.*) Ecclesiast. vigesimoquarto: *In me gratia omnis vitæ & veritatis, in me omnis spes vitæ.* Ioannis primo: *Et vidimus gloriam eius.*

DOMI-

DOMINICA INFRA EPIPHA.

Cum factus esset annorum duodecim. Luc. 2.

SCOPVS. Infantiâ Christi humanis plenâ mysteriis demonstratâ, pueritiam eius hic ita attingit Euangelista, vt absolutissimæ perfectionis idæam exprimat ac repræsentet, quæ istam in ætatem cadere vnquam potest. Eius vero cardo est obedientia subiectionis.

PARTITIO.

I. *De pueri cultu diuino.*
II. *De gloriosa subiectione Christi, quoad studium veritatis.*
III. *De subiectione Christi, quoad officium pietatis in parentes.*
IV. *De clarificatione Christi.*

PARS I.

De pueri cultu diuino.

CVltum diuinum obibat Dominus, tum parentum ducatu; tum instinctu proprio. De I. *Ibant parentes eius.*) Iussu legis, ter in anno, Exodi 23. *ad locum quem elegerit Dominus,* &cæt. Deut. 12. Iste erat Ierusalem: Quia 2. Paral. 7. *Elegi & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi.* Paschæ autẽ die non duob. cæteris omnes ire oportebat. Exo. 12. instinctum proprium; cultui diuino vacabat sine parentum cõsortio, sine cõsilio, sine cõplacito.

Primo

Primo quidem ſine parentum conſortio. Quia etſi cum eis aſcenderit, tamen ab eis receſsit. [*Cum redirent.*] Iuxta illud Iudith 16. *Celebrata ſolennitate, & feſtiuitate, vnuſquiſque redit ad ſua.* Non tamen redit Ieſus, ſed (*remanſit*, &c.) Huius figura fuit Samuel 1. Reg. 2. *Abiit Elcana in domum ſuam, puer autem erat miniſter in conſpectu Domini.* Vnde ſolus *remanſit*, vt melius vacaret orationi. Threnor. 3. *Sedebit ſolidarius & tacebit.*

2. Remanſit ſine conſilio parentum. Quia (*Non cognouerunt.*) Huius figura eſt in Samſone, Iudic. 15 *Qui noluit parentibus indicare de melle in leonis ore.* Ita in diuino obſequio obediendum magis Deo, quam parentibus eſt. Deut. 33. *Qui dixerit patri ſuo & matri: Neſcio vos; & fratribus ſuis, ignoro illos; hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt.* Et ne culpanda videatur ignorantia vel negligentia parentum, ait: (*Exiſtimantes illum eſſe.*) Quia cum viri ſeorſim, & ſeorſim mulieres irent, eum eſſe alter apud alterutrum putabat. Dicere is tunc poterat Pſalm. 141. *Conſiderabam ad dexteram & videbam: & non erat, qui cognoſceret me.*

3. Remanſit ſine placito parentum, quia cum dolore (*requirebant eum.*) Et tamen non inuenerunt, quia tales elongantur ab ipſo. Iob 19. *Noti mei quaſi alieni receſſerunt à me.* Et ideo (*regreſſi ſunt.*) Sed quem non inueniebant in conſortio cognationis; inuenerunt in loco orationis. Pſal. 131. *Ecce audiuimus eum in Ephrata, inuenimus eum in campis ſyluæ: Introibimus in tabernaculum eius.* (*Requirentes*,) Cantic. 3. *Surgam & circuibo ciuitatem, quæram quem*

diligit

ligit anima mea. Cant. 5. *Quæsiui, & non inueni illũ: ocaui, & non respondit mihi. Adiuro vos filiæ Ierusalem, inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei; quia amore ngueo.*

Disce ab eo portare iugum Domini ab adolescentia. Vt 1. Reg. 2. *Samuel ministrabat ante faciem omini puer accinctus Ephot lineo.* Item 2. Nec parentum amore Dei cultum omittendum esse discas. nde Hieronymus: *Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine & scißis vestibus vbera, quibus te nutrierat mater, ostendat: licet in limine pater iaceat: percalcatum perge patrem, fixis oculis ad vexillum crucis euola. olum pietatis genus est, in hac re esse fidelem.* Quia Matt. 0. *Qui amat patrem aut matrem plus,* &c.

PARS II.

De subiectione Christi gloriosa quoad studium veritatis.

POst triduum.) Duo hic. *Primo,* Christi humiliatio in assumta discipuli forma. *Secundo,* eius glo ficatio in aperta prærogatiua sapientiæ.

De I. Saluator discipulus factus ostenditur isto: *Inuenerunt illum in templo sedentem.*) Sesio quietem c humilitatem designat. (*In medio,*) *Ecclesiæ aperuit eius, & impleuit illum Dominus spiritu sapientiæ,* &c. cclesi. 15. Sciebat, Prouerb. 13. *Qui cum sapientibus raditur, sapiens erit: Amicus stultorum similis efficietur. Audientem illos.*) Ecclesi. 32. *Audi tacens, & pro reuentia accedet tibi gratia bona. Quia auris bona audiet cum*

atem ad turbas, & honorem apud seniores iuuenis;
utus inueniar in iudicio, & in conspectu potentium
rabilis ero: & facies principum mirabuntur me. I-
figura præcessit in Regina Saba, Sapien-
Salomonis obstupescente.
ec extranei solum, sed & parentes (*viden-*
dmirati sunt.) Sicut Matthæi septimo: *Ad-*
bantur turbæ super doctrina eius. Et Ioan.7. *Mi-*
ntur Iudæi dicentes, quomodo hic literas scit, cum non
erit?

PARS III.

De subiectione CHRISTI, *quoad officium pietatis erga parentes.*

[Vmiliatio pueri ostenditur, dum *primo* subiacet corripienti. *Secundo*, obsequitur præcinti.

De primo subiecit se, fiducialius interrogan- (*Quid fecisti nobis sic?*) Cum sciret se honorari ere ab eo vt matrem. Prouerbiorum 6. *Con-ta, fili mi, præcepta patris tui, & ne dimittas legem tris tuæ.* [*Dolentes*, &c.] Sicut mater Tobiæ c.10. *me, fili mi, vt quid te misimus peregrinari lumen o-rum nostrorum, & baculum senectutis nostræ, sola-m vitæ nostræ, &c. Omnia simul in te vno habentes, te debuimus dimittere ire à nobis.*

Respondet humiliter & sapienter: [*Quid me erebatis?*) quasi absentem? cum vobis præ-
sens

ſens eſſem. Ierem. 23. *Nunquid non cœlum & terram ego impleo?* Clare oſtendit ſe Dei filium eſſe: idque iſto: (*Neſciebatis, quia in his*, &c.) Ioan. 6. *Deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me.* Ideo Act. 5. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.*

Sed hoc altum nimis: hinc (*Ipſi non intellexerunt.*) Ita Corinth. 2. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt.* Tob. 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.*

NOTA, quod correptus reſpondit humiliter: Aſt dure; inuitatus ad miraculum in Cana: Vt & nos malimus corripi, quam laudari. Eccleſ. 7. *Melius eſt à ſapiente corripi, quam ſtultorum adulatione decipi.*

De II. Subiecit ſe præcipienti. Nam (*deſcendit cum eis*, &c.) Impleto iſto Baruch 3. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Deſcendit humiliter, Cant. 6. *Deſcendi in hortum meum, vt viderem poma conuallis*, id eſt homines: *Quia in excelſis Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit.* (*Et erat ſubditus illis.*) Bernard. hom. ſuper Miſſus. *Quis? quibus? Deus hominibus, Deus, inquam, ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens, tuo te præponis Creatori? Quoties enim hominibus præeſſe deſidero, toties Deum meum praire contendo: Vt tale mihi aliquid Dominus reſpondeat.* Matt. 16. *Vade poſt me Sathana: Quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt*, Vere poterat dicere. 1. Cor. 9. *Omnibus omnium me ſeruum feci.* Ergo & vos, 1. Petr. 2. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Dominum.*

PARS

PARS IV.

De clarificatione Christi.

DVo hic: *Primo*, Matris testimonium. *Secundò*, propriæ virtutis indicium.

De I. [*Et mater eius conseruabat*, &c.] vt pro loco & tempore testimonium perhiberet. Sic Beda in Glossa. Dan. 12. *Tu Daniel claude sermones, & signa librum, vsque ad tempus statutum.* Et quia hoc intelligebat, dicitur (*In corde suo.*) Eccl. 8. *Tempus ad responsionē cor sapientis intelligit.* Similiter Mar. 9. in transfiguratione discipuli continuerunt verbum apud se. Nondum enim venerant, *quibus datum erat nosse mysterium regni Dei.* Matth. 13. Qui etiam mutuò conferrent, vt Gal. 2. *Contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus.*

De II. *Et proficiebat in ætate.*) scil. ex parte corporis. Vt Samuel 1. Reg. 2. *Puer Samuel proficiebat, & crescebat, & placebat tam Deo, quam hominibus.* Et is profectus erat secundum exemplar: sed interior profectus erat secundum euidentiam: de quo ibi: *Et sapientia,*) sc. in intellectu, (*& gratia,*) in affectu. *apud Deum*) sc. honorandum, (*& homines*) ædificandos. *Proficiebat.* & tamen Luc. 1. *Erat plenus sapientia.* Vnde Gregorius: *Proficiebat non accipiendo dona gratiæ, sed cæteris pandendo ad ædificationem.* Ita 2. Cor. 8. *Prouidemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Vnde occultabat suam ad tempus sapientiam; nobis in exemplum: Eccles. 20. *Est tacens, non habens sensum loquelæ; & est tacens*

f sciens

sciens tempus apti temporis. Homo sapiens tacebit vsque ad tempus; lasciuus & imprudens non seruabit tempus. Item nobis in exemplum ostendit sapientiam: secundũ Eccles. 4. *Ne retineas verbum in tempore salutis.* Sed quia non se, sed Deum, & nostram salutem quærebat; ideo coram Deo & hominibus gratiam inueniebat. Prius erat iustitiæ; alterum misericordię. Ideo Prou. 3. *Misericordia & veritas te non deserant, & inuenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo & hominibus.*

Ex dictis liquet, quî intendere debemus cultui Maiestatis diuinæ studio veritatis, & obsequio pietatis. 1. Nam cultus Dei præoccupari debet ab infantia: præferri debet cæteris pro reuerentia diuina. 2. Studium veritatis sit cum debita societate, scilicet peritorum, & ordine debito, vt prius sit discipulus quam Magister.

3. Obsequium pietatis est in hoc, quod subiiciamur patri spirituali, siue corripienti, siue præcipienti. Et tunc sequitur illud, vt proficiamus apud DEVM & homines.

DOMI-

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ sunt. Ioan. 2.

Antecedentium continuata expositio, repetitur in Communi Angelorum.

SCOPVS. Supra Euangelista ostendit dignitatem Verbi incarnati; & euidentiam eius multipliciter, hic consequenter incipit determinare de effectibus & operibus, quibus manifestata est mũdo diuinitas Verbi incarnati. Dominium autem Christi super naturam proponitur nobis per hoc quod naturam mutauit. Quæ quidem mutatio facta est à Christo in signum. Primo discipulis, ad confirmandũ, secundo vero turbis ad credendũ.

PARTITIO.

I. *Factarum descriptio nuptiarum.*
II. *Personarum nuptialium descriptio.*
III. *De Matris Iesu cura.*
IV. *De Filij responso.*

PARS I.

Nuptiarum factarum descriptio.

PRimo quidem quoad tempus, vnde dicit: [*Et die tertio nuptiæ factæ sunt.*] scilicet, postquam prædicta de vocatione Discipulorum fecerat.

Postquam enim manifestatus fuerat testimonio Ioann. voluit etiam seipsum manifestare. *Secundo* vero, quoad locum: vnde dicit: (*In Cana Galilaæ.*) Galilæa namque prouincia est, Cana viculus quidam in ipsa prouincia.

1. Quoad literam, sciendum est, quod circa tẽpus prædicationis Christi est duplex opinio. 1. Quidam namque dicunt, quod à baptismate Christi vsq; ad passionem eius, fuerint duo anni & dimidius. Et secundum hos, hæ nuptiæ eodem anno factæ sunt, quo Christus baptizatus est. Sed his cõtrariatur sententia, & consuetudo Ecclesiæ. Nam in festo Epiphaniæ trium miraculorum commemoratio fit, scil. Adorationis Magorum, quæ fuit primo anno natiuitatis Dominicæ, & Baptismi Christi, quo baptizatus est eodem die, reuolutis triginta annis, & de nuptiis, quæ sunt factæ eodem die reuoluto anno. Vnde sequitur, quod ad minus vnus elapsus fuit à baptismo vsque ad nuptias. In quo quidem anno nil aliud legitur Dominus fecisse, nisi quod dicitur Matt. 4. De ieiunio in deserto, & ea quæ hic Ioan. refert de testimonio Baptistæ, & conuersione discipulorum. A nuptiis autem cœpit publice prædicare, & miracula facere vsque ad passionem; ita vt duobus annis cum dimidio publice prædicarit.

2. *Mystice* autẽ, per nuptias intelligitur coniunctio Christi & Ecclesiæ: quia Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est. Dico autem in Christo & Ecclesia.* 1. Et illud quidem matrimonium initiatum fuit in vtero virginali, quando primum Deus filio huma

nam

nam naturam vniuit in vnitate personæ. Cuius coniunctionis thalamus fuit vterus virginalis. Psal. 18. *In Sole posuit tabernaculum suum.* De istis nuptiis dicitur Matth. 22. *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Tunc scil. quando Deus Pater humanam naturam Verbo suo copulauit in vtero virginali. 2. Publicatum autem fuit, quādo Ecclesia ipsi per fidem coniuncta est. Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in fide,* &c. De istis nuptiis dicitur Apoc. 19. *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni, &c. Venerunt nuptiæ agni,* &c. 3. Consummatum autem erit, quando sponsa, id est, Ecclesia introducetur in thalamum sponsi, in cœlestem scilicet gloriam.

Nec vacat à mysterio, quod die tertio nuptiæ factæ sunt. Primus namque dies est tempus legis naturæ. Secundus, tempus legis scriptæ. Tertius vero dies, tempus gratiæ; in quo Dominus incarnatus nuptias celebrauit. Oseæ 6. *Viuificabit nos post duos dies,* &c.

Locus autem congruit mysterio. *Cana* enim interpretatur *zelus. Galilæa* vero *transmigratio.* In zelo ergo transmigrationis hæ nuptiæ celebrantur; vt denunciet eos maxime Christi coniunctione dignos existere, qui zelo piæ deuotionis feruentes transmigrant de statu culpæ ad gratiam Ecclesiæ. Eccles. 24. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me,* &c. Et *de morte ad vitam,* id est, de statu mortalitatis & miseriæ, ad statum immortalitatis & gloriæ. Apoc. 21. *Ecce noua facio omnia.*

PARS II.

Descriptio personarum nuptialium.

AGitur de tribus, sc. de Matre, de Iesu, & de Discipulis. I. De matre quidem cum dicit: (*Et erat mater Iesu ibi.*) Quæ quidem præmittitur, vt ostendatur, quod Iesus adhuc ignotus erat, & non vocatus ad nuptias, sicut insignis persona; sed ex quadam familiaritate, tanquã notus & vnus aliorum: sicut n. vocauerunt Matrem, ita & Filiũ. Vel forte prius inuitatur Mater, quia ambigebant de Iesu, an inuitatus venturus esset ad nuptias propter summam religiositatem, quam videbant in eo: & quia non viderunt eum, se immiscuisse conuiuiis, & ideo puto, quod primo cõsuluerunt Matrem, an Iesus esset vocandus. Et ideo signanter dixit Euang. primo Matrem adesse iam in nuptiis & Iesum postmodũ fuisse vocatum. *Vocatus est Iesus.*)

Voluit autẽ Christus nuptiis interesse. *Primo* quidem, vt daret nobis humilitatis exemplũ. Neque n. ad dignitatem suam respiciebat, sed quomodo dignatus est formam serui accipere: ita non dedignatus est ad nuptias venire seruorum, (vt dicit Chrys.) Ideo Aug. *Erubescat homo esse superbus, quoniã factus est humilis Deus. Nam inter cætera humilia quæ fecit filius virginis, venit ad nuptias, qui eas, cum esset apud Patrem, instituit in paradiso.* De hoc exemplo dicitur Matt. 11. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Secundo,* Vt errorem quorundam excluderet, qui nuptias damnant. Quia (vt dicit Beda.) Si thoro imma-

immaculato,& nuptiis debita castitate celebratis culpa inesset; nequaquam Dominus ad has venire voluisset. Quia ergo ad nuptias venit, insinuat, quã sit damnabilis eorum perfidia, qui nuptiis detrahunt. 1. Cor. 7. *Non peccat mulier, si nubat.*

III. De discipulis vero agitur, cum dicit: (*& discipuli eius.*) Mystice autem in nuptiis spiritualibus est Mater Iesu, Virgo Beata, sicut nuptiarũ cõciliatrix. Quia per eius intercessionẽ coniungitur Christo per gratiam. Eccl. 24. *In me omnis spes vitæ & virtutis.* Christus autem sicut verus animæ sponsus, Ioan. 3. *Qui habet sponsam, sponsus est*; discipuli vero, vt paranymphi quasi cõiungẽtes Ecclesiã Christo. De quo vno dicebatur 2. Cor. 11. *Despondi vos vni viro,* &c. Et quia in istis nuptiis materialib. aliquid de miraculo pertinet ad Matrem, aliquid ad Christum, & aliquid ad discipulos, ideo consequenter cum dicit: (*& deficiente vino,* &c.) ostẽdit, quid pertineat ad Matrẽ, quid ad Christũ, & quid ad discipulos. Ad Matrem pertinet miraculi procuratio: ad Christũ miraculi consummatio, ibi: *Erant ibi lapidea.*) ad discipulos vero miraculi contestatio, ibi: *Hoc fecit initium,* &c.

PARS III.

De Matris cura.

GEssit Mater Christi mediatricis personam, & ideo duo facit: *Primo*, interpellat ad filium. *Secundo*, erudit ministros. ibi (*& dicit mater eius*, &c.) Circa prius duo ponuntur. *Primo*, matris interpellatio, 2. filij responsio. In matre aũt interpellante,

Primo quidem nota pietatem & misericordiam. Ad misericordiam enim pertinet, vt quis defectum alterius reputet quasi suum. Misericors enim dicitur, quasi miserum habens cor, super miseria alterius 2. Cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Quia ergo Virgo Beata misericordia plena erat, defectus aliorum subleuare volebat, ideo dicit: [*Deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum.*] Secundo, nota reuerentiam eius ad Christum. Ex reuerentia enim quam ad Deum habemus, sufficit nobis, ei tantum defectus nostros exponere, secundum illud Psalm. 37. *Domine ante te omne desiderium meum.* Qualiter autem nobis Deus subueniat, non est nostrum inquirere, Rom. 8. *Nam, quid oremus, sicut oportet nescimus*: ideo Mater eius defectum aliorum simpliciter exposuit dicens: [*Vinum non habent.*] Tertio nota, Virginis sollicitudinem & diligentiam: Quia vsque ad extremam necessitatem non distulit, sed deficiente vino, i. dum esset in deficiẽdo, iuxta illud, Psalm. 9. *Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Quærit* Chrys. Quare ante non incitauit Christum ad miracula? Nam de virtute eius erat instructa per Angelũ, & confirmata per multa, quæ viderat circa ipsum fieri, quæ *omnia conseruabat, conferens in corde suo.* Luc. 2. *Responsio* est: Quia antea, vt vnus aliorum conuersabatur: vnde quia non viderat tempus opportunum, hoc facere distulit. Nunc vero post Ioannis contestationem, & post discipulorũ conuersionem confidenter Christum ad miracula faciẽda prouocat; gerens in hoc figuram Synagogæ, quæ est mater Christi, nam familia-

familiare est Iudæis miracula requirere. 1. Corin. 1. *Iudæi signa petunt*. Dicit ergo ei: [*Vinum non habent.*)

Vbi sciendum est, quod ante Incarnationem Christi, triplex vinum deficiebat, sc. Iustitiæ, Sapientiæ, & Charitatis, seu gratiæ. 1. Vinum enim mordicat, & quantum ad hoc iustitia dicitur vinum Luc. 10. Samaritanus vinum & oleum apposuit vulneribus sauciati, i. cum dulcedine misericordiæ seueritatem iustitiæ, Psal. 59. *Potasti nos vino compunctionis.* 2. Vinum etiam lætificat cor iuxta illud Psal. 103. *Vinum lætificat cor hominis*; & quãtum ad hoc dicitur vinum cuius meditatio maxime lætificat. Sap. 8. *Non habet amaritudinem conuictus illius.* 3. Vinum similiter inebriat. Cant. 5. *Bibite amici, & inebriamini charissimi*: & secundum hoc charitas dicitur vinum. Cantic. 5. *Bibi vinum meum cum lacte meo*. Dicitur charitas etiam vinum, ratione feruoris. Zach. 8. *Vinum germinans virgines.*

Et 1. quidem iustitiæ vinum deficiebat in veteri lege, in qua iustitia imperfecta erat: sed Christus eam perfecit. Matth. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum*, &c. 2. Deficiebat etiam vinum sapientiæ, quæ erat occulta, & figuralis, quia 1. Cor. 10. *Omnia in figura contingebant illis*: sed Christus eam manifestauit. Matt. 8. *Erat enim docens eos, sicut potestatem habens*, &c. 3. Sed & vinum charitatis deficiebat ibi: quia acceperant spiritum seruitutis tantum in timore; sed Christus aquam timoris conuertit in vinum charitatis, quando *dedit spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater*, Ro. 8. Et quando *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, Rom. 5.

PARS IV.

De Filij responso.

DVo hic: *Primo*, Hæresum exclusio. *Secũdo*. Causa responsi Dominici. De I. Ex ea responsione triplicis hæresis occasio sumpta est. 1. Manichæi namque dicunt, Christum non habuisse verum corpus, sed phantasticum: & Valentinus asserit, Christũ attulisse corpus cœleste dicens, quod quãtum ad corpus, Christus nihil pertinet ad Virginem. Et huius erroris fulcimentũ sumit ex hoc: (*Quid mihi & tibi est mulier?*) q. d. Nihil à te suscepi. Sed hoc est contra autoritatem sacræ Scripturæ. Gal. 4. *Misit Deus filium suum, factum ex muliere*. Non enim posset dici ex ea factus, nisi ex ea aliquid sumpsisset. Arguit præterea contra eos Aug. dicens: *Quomodo scitis, quod Dominus dixit: Quid mihi & tibi? Respondens, quia Ioannes Euangelista hoc narrat. Sed ipse etiam Euangelista dicit de Virgine, quod erat Mater eius. Si ergo credis Euangelistæ in eo, quod narrat Iesum dixisse matri: Quid mihi & tibi est mulier? credas etiam in hoc ei, quod dicit: (Et erat mater Iesu ibi:)*

II. Ebion aũt dicens ex virili semine Christum conceptũ; & Heluidius: qui addit: quod Virgo post partum non permansit Virgo. Sumpserunt erroris fulcimentum ex hoc, (*mulier.*) quod videtur corruptionem importare. Sed est falsum. Quia mulier in S. Scriptura quandoq; importat solum sexum fœmineum, secundum illud Gal. 4. *Factum ex muliere*, &c. Patet etiã per hoc, quod Adam ad Deũ loquẽs de Eua, dixit: *Mulier, quam dedisti mihi*, &c. Gen. 3.

Con-

Constat n. tunc Euam adhuc virginem fuisse, cum esset in paradiso, vbi non cognouerat eam. Vnde hoc, quod hic dicitur (*mulier*) non importat corruptionem, sed determinat sexum.

III. Sumpserunt etiam Priscillianistæ erroris occasionē ex hoc: (*Nondum venit hora mea,*) dicentes: Omnia ex fato accidere, & facta hominum certis horis esse subiecta, & etiā Christi. Sed hoc est falsū de quolibet homine. 1. Cum n. homo liberam electionem habeat; libera autem electio competat ei ex hoc, quod rationem & voluntatē habet, & hęc sint immaterialia; manifestū est, quod homo quātum ad electionem, nulli corpori subiicitur, sed potius dominatur. Immaterialia enim nobiliora sunt materialibus. Ideo dicit Philosophus, quod *sapiens dominatur astris.* 2. Præterea, hoc multominus locū habet in Christo: qui est Dominus & conditor siderum. Itaque per hoc (*Nondum venit hora mea*) intelligitur hora passionis ipsi, nō ex necessitate, sed secundum diuinam prouidentiam determinata. 3. Contra eos etiam est, quod dicitur Eccl. 33. *Quare dies diem separat?* &c. respondet, *à Domini scientia separata sunt,* i. diuina prouidentia distincta sunt ad inuicem, non à casu.

De II. His ergo exclusis inuestigemus huius Dñicæ respōsionis causam: (*Quid mihi & tibi est mulier?*) 1. *Secundū Aug.* in ipso sunt duæ naturæ, diuina & humana, & quamuis idem Christus sit in vtraque natura: ea tamen quæ conueniunt ei secundū humanam naturam, distincta sunt ab his quæ conueniunt ei secundum diuinam. Miracula autem

facere

facere competit ei ſecundum diuinam naturam, quam accepit à patre: pati vero ſecundum humanam, quam accepit à matre: Et ideo matri ex genti miraculum reſpondit dicens; *(Quid mihi & tibi eſt mulier?)* q. d. Illud quod in me facit miracula, non accepi à te; ſed illud vnde patior, ideo tunc Te cognoſcam, cum ipſa infirmitas pendebit in cruce: *(Nondum venit hora mea.)* Vnde & in cruce pendens matrem diſcipulo commendauit.

2. Secundum Chryſ. dicitur B. Virgo feruens zelo honoris Filij, voluit, vt ſtatim, antequam opportunum eſſet, Chriſtus miracula faceret: & ideo Chriſtus, matre haud dubio ſapientior, eam repreſsit. Noluit enim prius facere miraculum, quã ſciretur defectus, quia ex hoc fuiſſet minus credibile. Ideo dicit: *(Quid mihi & tibi eſt mulier?)* q. d. Quid me moleſtas? *(Nondum venit hora mea.)* id eſt, nondum cognitus ſum his, qui adſunt. Sed neq; defectum vini ſentiunt, ſine ergo, prius hoc ſentire. Quia cum neceſsitatem cognouerint, maius reputabunt beneficium, quod recipient.

Quamuis autem mater repulſa ſit, tamen de filij miſericordia non diffidit. Ideo conſequenter monet miniſtros, dicens: *(Quæ dixerit, &c.)*

In quo quidem conſiſtit totius iuſtitiæ perfectio. Perfecta namque iuſtitia eſt, Chriſto in omnibus obedire. Exod. 24. *Omnia, quæ præcepit nobis Dominus, faciemus.* Hoc autem verbum. *(Omnia quæcunque dixerit vobis,* &c. *)* non conuenit dici, niſi de ſolo Deo; homo enim aliquando poteſt errare. Vnde in talibus, quæ ſunt contra Deum, hominibus

bus obedire non tenemur. Act. 4. *Oportet Deo obedire magis quam hominibus.* Deo autem qui non errat, nec falli potest, in omnibus obedire debemus.

II. CONCIONIS DISPOSITIO.

Erant ibi lapideæ hydriæ sex positæ. Ioan. 2.

SCOPVS. Miraculum cognitum Diuinitatis testimonium fit, fideique discipulorum de Domino fundamentum.

PARTITIO.

I. *De miraculi patratione.*
II. *De eiusdem publicatione.*
III. *De iudicio examinantis miraculum.*
IV. *Id contestantur discipuli.*

PARS I.

De patratione miraculi.

DVo hic: *Primo*, describuntur vasa, in quibus miraculum patratum est. *Secundo*, designatur materia miraculi.

De I. Vasa, in quibus miraculum patratum est, ponuntur sex: (*Erant autem ibi*, &c.) Sciendum est, quod Matth. 7. Iudæi obseruabant multas ablutiones corporales & baptismata calicum & vasorum. Vnde qui erant in Palæstina, in qua est defectus aquarum, habebant vasa, in quibus seruabatur

tur aqua purissima, qua sc. & vasa crebro lauarent, & ideo dicit (*positæ secundum purificationem Iudæorum*,) id est, ad vsum purificationis, (*capientes singulæ metretas.*) id est, mensuras binas, vel ternas. Metros enim Græce, mensura latine dicitur: & vt dicit Chrysost. Vasa ista deferuntur ad tollendam miraculi suspicionem, tum propter eorum puritatem, ne posset aliquis suspicari, quod aqua saporem vini sumsisset, ex fecibus vini, prius in eis repositi. (*Erant secundum purificationem*,) ideo purissima oportebat esse: Tum etiam propter vasorum quantitatem; vt euidenter pateat, quod aqua tot vasorum, in vinum mutari non potuisset, nisi virtute diuina.

Mystice. Per sex hydrias significantur sex ætates veteris Testamenti, in quibus erant corda hominum receptiua scripturarum Dei parata, & proposita in exemplo viuendi (vt dicit gl.) Hoc (*metretas*) secundum August. refertur ad Trinitatem personarum. Et dicuntur binæ, vel trinæ, quia quandoq; in sacra scriptura tres personæ distinctim ponuntur, vt Mat. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Quandoque vero duo tantum, sc. Pater & Filius, in quibus intelligitur persona Spiritus Sancti, qui est connexio amborum secundum illud Io. 14. *Si quis sermonem meũ seruabit, pater meus diliget eum*, &c. 2. Vel binas propter duas conditiones hominum Iudæorum, s. & Gentilium, ex quibus propagata est Ecclesia, 3. *Vel* ternas, propter tres filios Noe; ex quibus propagatum est genus humanum post diluuium.

De

De II. (*Implete hydrias*, &c.) Agitur de miraculi materia. *Quæstio.* Quare non ex nihilo, sed ex materia præiacente miraculum factum est? *Triplex ratio* assignatur. *Vna* secundum Chrysostomum est *literalis*. Quia ex nihilo aliquid facere, maius est & mirabilius, quam facere quid ex subiecta materia. Ideo volens magis credibile esse, quod fiebat, ex aqua fecit vinũ, capacitati hominũ cõdescendens. *Alia ratio* est, ad confutandum peruersa dogmata. Nam Marcionistæ & Manichæi dixerunt, alium esse conditorem mundi, quam Deum, & omnia visibilia ab illo, id est, diabolo condita esse. Ideo Dominus plura miracula, & ex substantiis creatis, & visibilibus fecit, vt ostendat ipsas substantias bonas esse, & à Deo creatas. *Tertia ratio est mystica.* Ideo enim noluit ex nihilo vinum facere, sed ex aqua vinũ fecit; vt ostenderet, se non omnino nouam doctrinam condere, & veterem reprobare; sed adimplere. Matth. 5. *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Cum quod figurabat vetus lex, & promittebat, Christus exhibuit, & aperuit. Lucæ vltimo: *Aperuit illis sensum, vt intelligerent*, &c. Voluit autem per ministros hydrias impleri aqua: vt eos, eius quod fiebat, testes haberet, vnde infra (*ministri autem sciebant*, &cæt.)

PARS

PARS II.

De miraculi publicatione.

STatim vt hydriæ impletæ ſunt, aqua in vinum conuerſa eſt, & ideo ſtatim Dominus miraculum publicat, dicens: (*haurite nunc*) mandatum eſt Chriſti, examinatorem eligentis. (*& ferte Architriclino.*) Sciendum, quod triclinium eſt locus, vbi ſunt tres ordines menſarum, & dicitur triclinium à triplici ordine lectorum; κλίνη enim in Græco, lectum ſignificat. Nam antiqui in lectis accumbentes conſueuerant comedere, Valerio Maximo teſte.

Et ideo dicitur in Scripturis accumbere & recumbere. Architriclinus ergo dicitur primus, & princeps inter conuiuas. 2. Vel ſecundum Chryſoſtomum: Architriclinus erat ordinator, & diſpenſator totius conuiuij. Quia vero ſobrius & ſolicitus nondum aliquid guſtauerat; voluit Dominus, vt ipſe iudicaret de eo; quod factum erat, & non conuiuæ, ne aliquis poſſet miraculo detrahere, dicens eos ebrios eſſe, & eorum ſenſus per comeſtionem corruptos. 3. Secundum Auguſtinũ. Architriclinus erat maior inter diſcumbentes (vt dictum eſt) & ideo, vt eius factum acceptabilius fieret, voluit facti habere ſententiam præſidentis.

Myſtice: Qui hauriunt aquam, ſunt prædicatores. Iſa. 12. *Haurietis aquas*, &c. Architriclinus autem eſt aliquis legiſperitus, puta Nicodemus, Gamaliel,

liel, & Paulus. Dum ergo talibus verbum Euangelij committitur: quod latebat in litera legis, quasi vinum de aqua factum Architriclino propinatur: Qui hoc degustans approbat fidem Christi.

PARS III.

De iudicio examinantis miraculum.

PRimo inquirit veritatem facti. *Secundo*, profert sententiam, dicens: *Omnis homo*, &c.]

De I. (*Vt autem gustauit Architriclinus aquam vinũ factam, & non sciebat vnde esset:*) quia ignorabat aquam vinum factam miraculo per Christum (*Ministri autem sciebant*) quia hauserant aquam: (*Vocat sponsum Architriclinus:*) vt veritatem inquirat, & de vino sententiam proferat: vnde subdit: (*Omnis homo primum bonum vinum*, &c.) Vbi secundum Chrysostomum hoc considerandum est in miraculis Christi; omnia perfectissima fuisse. Vnde & socrui Petri perfectissimam sanitatem restituit: ita vt statim surgens ministraret. Marc. 1. & Matt. 9. Paralyticum etiam ita perfecte sanitati restituit, vt statim surgens, sublato lecto iret in domum suam, Ioan. 5. Hic idem apparet: quia non qualecunque vinum de aqua fecit; sed optimum quod poterat esse. Ideo architriclinus (*Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est:*) quia minus bibunt. Et quia vinum bonum in quantitate sumptum, cum quantitate cibi magis grauat. q. d. Vnde est tale vinum, (*quod tu seruasti vsque adhuc?*) contra consuetudinem faciens.

Mystice quis dicitur primo bonum vinum ponere, qui alios decipere intendens, errorem quem intendit non proponit primo: sed quæ alliciant auditores, vt, postquam inebriati, & allecti fuerint ad consensum suæ intentionis, perfidiam manifestet. De isto vino dicitur Prouer. 23. *Ingreditur blande, & in nouissimo*, &cæt. Dicitur autem quis primo bonum vinum ponere, qui à principio suæ conuersionis sanctæ spiritualiter viuere incipiens, tandem in vitam carnalem degenerat. Galat. 3. *Sic stulti facti estis, vt cum spiritu cœperitis*, &c. Christus vero nõ primo vinum bonum ponit, quia à principio amara & dura proponit: Matt. 7. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam*. Sed quanto plus homo in eius fide & doctrina procedit; tanto plus dulcoratur, & maiorẽ suauitatem sentit. Prou. 4. *Ducam te per semitam æquitatis, quam cum ingressus fueris*, &c. Item, in mundo isto amaritudines & *tribulationes patiuntur omnes, qui pie volunt viuere in Christo*. Ioan. 16. *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos*, &c. Sed in futuro delectationes & gaudia suscipient: vnde & sequitur: *Tristitia vestra vertetur in gaudium*. Roma. 8. *Existimo, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram*, &c.

PARS IV.

Miraculum contestantur discipuli.

EX quo habetur, quod falsa est historia de infantia Saluatoris, in qua recitantur multa miracula facta.

cta à Christo adhuc puero. Si enim hoc verum
set, non vtique Euangelista diceret: (*Hoc fecit ini-
tium signorum Iesus.*) Et ratio, quare non in pueritia
iracula fecit, ne ea homines phantastica reputa-
nt. (*Et manifestauit gloriam suam,*) i. potētiam, qua
oriosus est. Psalm. 23. *Dominus virtutum ipse est Rex
oriæ.* (*Et crediderunt in eum discipuli eius.*) *Quæris*: quo
iodo crediderunt? Iam enim discipuli erant, &
nte crediderant. *Dicendum*: Aliquid dicitur esse
liquando non secundum quod nunc est, sed se-
undum quod futurum est, sicut dicitur, quod
'aulus Apostolus natus est Tharso Ciliciæ: non
quod ibi sit natus Apostolus, sed quod futurus A-
ostolus, ibi natus fuit: ita dicitur hic: (*Et crediderūt
n eum discipuli eius,*) scilicet, qui erant discipuli eius.
Vel dicendum, quod ante crediderunt ei, sicut
ono viro, iusta & recta prædicanti: sed modo cre-
liderunt in eum tanquam in Deum.

DOMINICA III. POST EPI-
PHANIAM.

Cum descendisset Iesus de monte, &c. Matt. 8.

SCOPVS. Reddiderat in antegreſsis capitibus
Euangelista doctrinam Domini multam ac mi-
ram: nunc refert, quemadmodum autoritatem
suam signis commendarit. Primo ergo ponuntur
signa, quib. liberantur homines à corporalib. peri-
culis: 2. à spiritualib. c. 9. Circa primum duo facit.

Primo ponit signa, ex quibus homines liberantur à periculis prouenientibus ex intrinsecis causis: secundo ab extrinsecis, vt tempestate ibi: *(Et ascendente,&c.)* Commendat autoritatem, quia statim, quia absens, quia perfecte, quia multos: Quia statim, in leproso; quia absens, in seruo Centurionis; quia perfecte, in socru Petri; quia multos, in aliis multis.

PARTITIO.

I. Consanatio leprosi.
II. Instructio persanati.
III. De pietate Centurionis.
IV. De humilitate eiusdem.
V. De benignitate Christi.
VI. De electione Gentium, & reprobatione Iudaeorum.

PARS I.

De sanatione leprosi.

TRia hic: *Primo*, testes miraculi introducuntur. *Secundo*, infirmus inducitur. *Tertio*, auxilium præbetur. De I. *(Cum autem descendisset Iesus de monte,&c.)* Mons iste est cœlum. Psalm. 62. *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Vnde postquam descendit de cœlo, *(secutæ sunt eum turbæ.)* Phil. 2. *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo*,&c. 2. Vel per montem altitudo doctrinæ. Psalm. 35. *Iustitia tua sicut montes Dei*,

tes Dei,&c. Cum esset in monte, id est, cum altam duxit vitam. *secuti sunt eum discipuli sui.* Et cum descendisset, *secutæ sunt eum turbæ.* 1. Cor. 3. *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus.* Secundo, persona infirmi introducitur. Et ponuntur duo. *Primo*, infirmitas ostenditur: *Secundo*, solicitudo adhibetur. 1. *Infirmitas, quia est leprosus.* Significat spirituales infirmitates. Quædam enim infirmitates sunt intra latentes: vt febres. Quædam vero, etsi sunt ab intra, eius tamen effectus patet exterius, vt lepra. Ille ergo leprosus est, cuius mala voluntas, manifestatur per malum actum. Isai. 53. *Et nos putauimus eum quasi leprosum. Quæstio* est. In Luca habetur, quod cum veniret Capharnaum, mundauit leprosum. *Dicendum,* Matthæus sequitur historiã, quia cum iret in Capharnaum, in via apparuit ei leprosus.

De II. Sequitur solicitudo. 1. Quia primo venit, secundo adorauit. Vnde dicit (*Ecce leprosus*) Sic peccator per fidem venit, sed adorat per humilitatem. Psal. 33. *Humiles spiritu saluabit Deus.* 2. Confitetur Christi potentiam: (*Domine, si vis, potes me mundare.*) 3. Vocat Dominum: si Dominus est, potest saluare, Psal. 99. *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus.* 4. Confidit de Dei misericordia. Misericordem non oportet petere; sed solum indigentiam ei monstrare: sic iste: *Domine,* &c. Vnde Psal. 37. *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* 5. Ostendit sapientiam Christi. Quia non petit nisi volũtatem suam: Nam melius scit, quid opus sit tibi, quam ipse. Ideo se sa-

pientiæ Christi permisit. ¶ De III. Tangit auxilium. *Primo* sanat: *Secundo,* instruit. *Primo* tangitur opus: *Secundo* effectus.[*Et confestim,* &c.] Christus tria facit curando. 1. Extendit manum, quãdo auxilium impendit, Psalm. 143. *Emitte manum tuam de alto, & eripe me.* Aliquando extendit manũ, sed non tangit, Isai. 65. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum,* &cæt. Aliquando tangit. Et hoc est, quando immutat, vt Psal. 143. *Tange montes,* id est, superbos, *& fumigabunt* per compunctionem.

Quæris: Quare tetigit, cum esset prohibitum in lege? *Dico*: Hoc fecit, 1. vt monstraret se esse supra legem: Elisæus non tetigit Naaman, sed misit eum ad Iordanem. Vnde iste, qui tetigit, videtur soluere legem. *Sed* secundum veritatem non soluit: 1. quia prohibitum fuit propter contagionem: Quia igitur infici non potuit, tangere potuit. 2. Tetigit vt humanitatem monstraret, quia non sufficit peccatori subdi Deo, quantum ad diuinitatem; sed & quantum ad humanitatem. (*Volo mundare.*)

Hieronymus dicit, quod quidam male exponunt. Volunt enim quod hoc *mundare* sit infiniti modi. Sed hoc non est verum: immo quia dixerat, *si vis:* Respondit, *volo.* Et hoc *mundare* est imperatiui modi. Vnde imperauit, *qui dixit, & facta sunt.* 3. Tetigit, vt daret doctrinam de virtute, quæ est in Sacramentis; quia non solum requiritur tactus, sed verba: Quia *cum accedit verbum ad elementum, fit Sacramentum.* Et per hoc excludit tres errores: Quando *tetigit*: Ostendit enim corpus verum con-

tra Manichæos. 2. Quia dicit, *volo*, dicit contra Apollinarem. 3. Per hoc, *mundare*, ostendit Deum verum contra Photinum.

Et sequitur effectus: (*Et confestim mundata est lepra eius,*) & curatus est. Chrysostomus dicit: Quod citius quam posset dici hoc verbum, *mundare*. Quia istud in tempore dicitur, illud vero in instanti.

PARS II.

Instructio sanati.

PArum esset sanare, nisi instrueret eum. Psal. 31. *Intellectum tibi dabo, & instruam te.* Primo iniungit ei taciturnitatem. (*Nemini dixeris.*) Chrysosto. Quia sciebat, quod Iudæi calumniabantur de factis suis, dixit. (*Nemini dixeris.*) 2. vel aliter. Hoc dixit ad exemplum: Quia supra docuerat abscōdere opera bona: ideo dat exemplum; quod nullus in bonis operibus gloriari debet.

Sequitur: (*sed vade, ostende te Sacerdotibus.*) Quare? Quia tetigerat leprosum, ne penitus videretur fractor legum, ad sacerdotes mittit, Leuitici 14. *Et offer munus tuum*, &cæt. Hoc erat præceptum legis, vt sanatus à lepra offerret duos pullos turturum. Videtur, quod cum Dominus præceperit, adhuc sit tenendum.

Dicendum, quod figuræ non debebant cessare, donec penitus veritas manifestaretur. Hoc autem non fuit, nisi post resurrectionem.

In testimonium illis.] Exponitur tripliciter. 1, Quia Moyses pręcepit in testimonium illius. Et per hoc docet, quod præcepta Moysi erant in testimoniũ Christi: sicut habetur Ioan. 5. *Si credideritis Moysi, crederetis forsitan & mihi.* 2. *Vel:* In testimonium illis, id est contra illos, qui viderunt miracula, & nõ crediderunt. 3. *Vel:* In testimonium illis, scilicet curationis tuæ. Quia cum receperint oblationem tuam, non poterunt negare.

Mystice. Tria à Christo iniunguntur. Vt erubescant de peccato: Contra illos, de quibus dicitur, Esa. 3. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.* Vnde Eccles. 4. *Est confusio adducens peccatum,* &c. 1. Ostendere sacerdoti confitendo, Iacobi 1. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Hic videtur Dominus iniungere confessionem. *Et confestim sanatus est.* Quia in ipsa contritione quando dolet, & proponit confiteri & abstinere; remittitur peccatum. Iuxta illud Psalm. 31. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti iniquitatem peccati mei.* 2. Iniungitur satisfactio. (*Offer munus tuum.*) 3. Docet obseruare mandata. (*Sicut præcepit Moyses.*)

PARS III.

De pietate Centurionis.

CVm *autem introisset Capharnaum.* Hic ostenditur virtus Christi, ex absentia. Tria hic: *Primo,* locus: *Secundo,* oratio: *Tertio,* impetratio. De I. Locus:

cus: *Cum introißet Capharnaũ,*]i. quæ interpretatur *villa pinguedinis:* scil. Villa gentium, quæ pinguedine deuotionis defluxit, Ps. 62. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* 2. Deinde (*accesßit.*) *Dices*: Lucas posuit, quod misit sacerdotes. Aug. dicit, quod non personaliter venit; sed quod dicitur venisse, totum refertur ad intẽtionem: quia ille facit rem, cuius autoritate fit. Chrysost. dicit: Quod ille constitutus erat super centum milites, & ideo erat præpositus. Vnde Iudæi volentes adulari propter beneuolentiam, dixerunt ei: Domine nos ibimus, & impetrabimus vobis: qui, vt satisfaceret eis, permisit eos abire; sed post ipse secutus est.

Istud miraculum differt à primo in tribus. Quia primum Iudæo fuit factum, secundum Gentili, per quod significatur, quod non solum pro Iudæis sed pro gentibus Christus venit. *Item*, in primo Iudæus per se accessit; iste non. Et hoc, quia miseretur Dominus aliquorum per propriam deuotionem; quorundam per aliorum intercessionem. *Item*: Ille Centurio pŏtest intelligi aliquis angelus, præsidens ibi ad salutem gentium, vel primitiæ gentium. *Item* ille fuit leprosus, in quo immunditia quiescit. Paralytici autem, qui non possunt mẽbra mouere. Leprosi sunt intemperati, & Paralytici sunt incontinentes. Et sunt paralytici, qui ex infirmitate peccant. Leprosi, qui ex certa malitia.

Mystice. Per Centurionem potest intelligi mens, Ephes. 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ.*

De II. *Domine puer meus,*] id est, seruus meus. Et

in hoc ostenditur benignitas Centurionis, quia ita pro seruo orat. Facit, quod dicitur Eccles. 33. *Si fuerit tibi seruus fidelis, sit tibi sicut anima tua.*

Et iste seruus dicitur inferior pars animæ.

Iacet, & male torquetur.) Loquitur ex affectu, quia quando quis diligit aliquem, reputat paruam ægritudinem valde magnam. Iacet ergo inferior pars animæ, quando non potest se erigere. Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* (*Et torquetur.*) Homines lasciui gaudent: *Lætantur enim, cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis*: sed isti torquentur, quia cum peccent ex infirmitate, dolent. Et ita torquentur ex dolore.

De III. (*Et ait illi Iesus: Ego veniam*, &cæt.) Nota, quod nullus auderet tantum petere, quantũ Dominus dare dicit: (*Veniam & curabo eum.*) Quia præsentia Christi est causa salutis. Nota: Ad filium reguli noluit ire, & ad seruum iuit: Quod est contra multos, qui nolunt visitare nisi magnos. Contra illud Eccles. 4. *Congregationi pauperum affabilem te facito.*

PARS IV.

De humilitate Centurionis.

TRia hic: *Primo*, cõfitetur suam indignitatem: *Secundo*, Christi potestatem. *Deinde* inducit similitudinem. De I. Obtulerat se Dominus benignum: Sed quia iste gentilis erat, reputauit se indignum, dicens: (*Domine non sum dignus*, &c.) Sic & Petrus

Petrus Luc. 5. *Recede à me, quia homo peccator sum.* Dicit Aug *Confitendo se indignum, reddidit se dignum.* Sic & nos debemus dicere: Non sum dignus, vt intres in corpus meum.

De II. Fides Centurionis confitentis potestatem Christi. Quia (*dic tantum verbo, & sanabitur puer meus.*) Sapientiæ 16. *Non herba, non malagna sanauit eos, sed sermo tuus Domine.* Psal. 106. *Misit verbum suum, & sanauit eos.*

De III. Inducit similitudinem, & probat à minori. Et describit ordinem primo; secundo potestatem, & dicit: (*Nam & ego homo sum sub potestate constitutus*, &cæt. Est ordo: Quia quidam sunt superiores, ita vt non habeant superiorem se. Quidam sunt superiores, ita vt habeant superiorem se: Quidam vero inferiores, qui non habent inferiores se: Quidam ergo sunt medij; & de istis erat iste, quia erat sub tribuno; sed habebat sub se milites, quorum erat gubernator. (*Et dico vni, vade, & vadit, & alii, veni,* &cæt.) Commendatur nobis obedientia. Hebræ. 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.* &c. Item alios habebat seruos, quibus cibaria ministrabat. Ecclesiast. 33. *Cibaria & virga, & onus asino; panis, & disciplina, & opus seruo.*

Et seruo meo, &c.) Vnde ratiocinatur à minori: quia si ego, qui sum in potestate constitutus, hæc possum: quanto magis Dominus dominantium potest, &c. Sed videndum, quod rationales creaturæ sunt liberæ, & sunt sicut milites. Iob 25. *Nũquid est numerus militum eius?*

Et ideo

Et ideo dicitur Dominus exercituum, Sed creatura irrationalis habet subiectionẽ seruilem, quia non habet liberi arbitrij facultatem. Vult ergo dicere: Quia tibi natura obedit, dic naturæ, & obediet tibi, quia *sermo tuus iudicio plenus est*.

Vide; Istud duplex dominium inuenitur in anima. Anima enim præsidet corpori: ratio vero irascibili & concupiscibili. Prima est dominatiua potestas; quia ad imperium animæ mouetur corpus; secunda præest aliis quadam imperatiua potestate, & dominatiua vel regali. Vnde habent aliquid de motu suo. Et hæc est, vt milites. Iacob. 4. *Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiscentiis, quæ militant in membris vestris*, 1. Petr. 2. *Hortamur vos abstinere à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animã.* Debemus ergo dicere huic, *vade*, id est, malis moribus, *& veni*, s. bonis moribus: *& seruo huic, fac hoc:* Vnde corpus debemus operi applicare, vt *sicut exhibuimus membra nostra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem*, &c. Rom. 6.

PARS V.

De benignitate Christi.

CVr admiratus est? Admiratio non cadit in Deũ, quia non fit nisi ex ignorantia causæ; quæ non potest esse in Deo. *Dico:* Admiratio item est apprehensio magnitudinis effectus, quod fit ex imaginatione, & phantasia alicuius effectus magni. Et sic

sic *admiratus est*, id est, magnum admirandum reputauit, cum turbis sequentibus ostendit. Et commendat eũ. (*Non inueni tantam fidem in Israel.* Quid? Nonne in Abraham, Isaac & Iacob fuit maior? *Dicendum*, quod immo: sed hic intelligitur pro tempore. Sed tunc est Quæstio de Apostolis, & Martha, & Maria. *Dicendum*: Iste maioris fidei erat, quia nullum præambulum viderat, sicut isti qui miracula viderant. Item, Petrus venit ad vocem Andreæ, Andreas ad vocem Ioannis. Item in verbo Marthæ fuit aliquid dubitationis, quia dixit: *Domine si fuisses hic*, &c. quasi non absens posset, sed in verbo istius nihil fuit dubietatis.

2. Exponit Chrysostomus: Quia magnum, & paruum aliquando dicuntur non absolute, sed in comparatione; sicut dicuntur in domo multi, in theatro pauci. Vnde *non inueni tantam fidem in Israel*, scil. per comparationem illius gentilis. Deut. 28. *Aduena qui sic commoratur in terra, ascendet super te, eritque sublimior.*

PARS VI.

De electione Gentium, & reprobatione Iudæorum.

DE I. *Dico, quod multi*, &cæt.] Dicitur istud in comparatione, quia *multi sunt vocati, pauci vero electi*. Ioan. 20. [*Ab Oriente & Occidente.*] Per hoc totus mundus intelligitur. 2. Vel *Ab Oriente*, in tempore prosperitatis: Et *ab Occidente*, sc. in tempore aduersitatis. 3. Vel *ab Oriente* in tempore iuuentu-

uentutis, *& Occidente*, in tempore ſenectutis. (*Et recumbent.*) Iſte recubitus, opulentia eſt rerum ſpiritualium, ſcilicet, in contemplatione. Luc. 22. *Ecce diſpono vobis regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Iſaiæ 65. *Serui mei comedent, & vos eſurietis. Ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis*, &cæt. Sed quare cum Abraham, Iſaac & Iacob? Quia gentiles per fidem iuſtificantur, ſicut Iudæi, Rom. 4. Et Gen. 12. Item iſtis facta eſt repromiſsio. Quia *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, Gen. 15. Ideo iſti recumbent cum patribus ſuis.

De II. (*Filij autem regni*, &c.) Hic oſtendit reprobationem Iudæorum. 1. Deſcribit pœnam damni, quia amittent bona, & incurrent mala. Dicit autem (*Filij regni*,) quia in illis Deus repugnabat. Pſal. 75. *Notus in Iudæa Deus in Iſrael magnum nomen eius.* 2. Figuris legis ſeruierant. 3. Facta eſt eis promiſſio, vt habetur Roman. 4. II. (*Eiicientur*, &c) Hæc eſt pœna damni. Conſequenter enumerat mala, quæ incurrent. Et 1. Quoad intellectum incurrerunt tenebras interiores. 2. (*Eiicientur in tenebras exteriores.*) quia tunc erunt totaliter alienati à Deo, qui eſt lux vera. Et hoc eſt, quod dicitur Tobiæ 4. *Eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animas ire in tenebras.* 3. Quantum ad effectum, (*ibi erit fletus.*) Fletus nunciat dolorem. Eſaiæ 65. *Ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini.* 4. Oſtenditur paſsio in corpore; quia (*ſtridor dentium;*) Habebunt enim corpora in reſurrectione, Prouerbiorum decimonono: *Parata ſunt deriſoribus iudicia, & mallei, & ferrum*: Quæ iudicia do-

loris

loris pertinent ad concupiscibilem: Stridor ad irascibilem.

Vel secundum Hieronymum: vtrumque pertinet ad pœnam corporalem, quia resurrectio non erit solum in anima, sed & in corpore. Quia erit & multus calor, & multum frigus. Iob 24. *Transibunt ab aquis niuis ad calorem nimium.* Ostenditur Dei benignitas, cum dicit: (*Et dixit Iesus Centurioni: Vade,* &c.) Sed sequitur effectus: *Et sanatus est puer:* quia sermo eius virtute plenus est. Eccl. 8.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Ascendente Iesu in nauiculam Matt. 8.

SCOPVS. Iusserat ante Dominus eos transfretare. Nimirum erant manifestata miracula in terra, vult manifestare in aquis, vt ostendat se esse Dominum terræ & maris. Per istam nauiculam intelligitur Ecclesia, vel crux Christi, vnde de ista potest dici illud Sapientiæ 14. *Exiguo ligno committunt animas suas.* Discipuli Domini sequuntur eum in Ecclesia per obsequium mandatorum. Item sequuntur eum ascendentem in crucem. Galat. 6. *Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

PAR-

PARTITIO.

I. *De periculo imminente.*
II. *De discipulorum interpellatione.*
III. *De exauditione innocentum.*
IV. *De liberatione dæmoniacorum.*

PARS I.

De periculo imminente tempestatis.

PEriculum tangitur ex procella & Christi dormitione. [*Et ecce motus factus est magnus, &c.*] Sicut Sancti dicunt, non est facta tempestas ex intemperie aeris; sed ex diuina ordinatione. Et hoc multiplici ratione. Primo vt discipuli, qui specialiter dilecti & vocati erant; humilia saperent, & non se extollerent. Significabat futurum periculũ, quod imminere debebat tempore passionis. 2. Cor. 1. *Grauati sumus supra virtutem, ita vt nos tæderet etiam viuere.* 2. Vt scirent in periculis viuere, & vincere. Rom. 8. *In omnibus his superamus, propter eum, qui dilexit nos.*

Chrysost. exponit, quia ipsi erant prædicaturi, quæ de Christo viderant; ideo vt magis in ipsis experti essent miraculis, & certiores, voluit Dominus eos pati. Vnde Psalm. 65. *Venite & narrabo opera Domini.* Huius enim poterant recordari de huiusmodi, quæ sibi euenerunt.

Ipse vero dormiebat.] Et hoc 1. vt ostenderet se verum hominem, sic enim erat in omnibus, vt, vbi osten-

ostendebat diuinitatem, semper ostenderet aliquid humanitatis. *Dormiebat*, quia *habitu inuentus est vt homo.* Philipp. 2. Secundum enim diuinitatem non dormiebat. Vnde Psal. 120. *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* 3. *Dormiebat*, vt constituerentur inter timorem & spem. 4. Vt ostenderet singularitatem; quia in tanta tempestate manebat securus. Prouerb. 8. *Librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis.*

PARS II.

De discipulorum interpellatione.

TAntus erat ventus, vt oportuerit eum euigilare. Et totum istud dictum fuit in figura de Iona: qui in naui dormiebat. Et nautæ excitauerunt eum ad orandum: Isti vero ad saluandum. Et primo confitentur potestatem eius, dum dicunt: (*Domine,*) Psal. 88. *Tu dominaris potestati maris, motũ autem fluctuum eius tu mitigas.* Item petũt auxilium, quia sciebant ipsum esse Saluatorem, Esa. 35. *Ipse veniet, & saluabit nos.* Item periculum terrenorum exprimunt.

Mystice. Hic signatur mors Christi in dormitione; qui & excitatus est per resurrectionem. 2. Vel dicitur dormire in tribulationibus & tentationibus Sanctorum. Et tunc precibus Sanctorum euigilat. Vnde Psalm. 44. *Exurge, quare obdormis Domine.* 3. Dormit in pigris. Vnde excitandus est, vt

admonet Paulus ad Eph.5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*, &c.

PARS III.

De exauditione inuocantium Dominum.

QVid timidi estis? &c.] Videtur, quod non essent modicæ fidei; quia dicebant: *Salua nos*. Sed vere modicæ fidei fuerunt. Quia nō credebant, quod etiam dormiens posset saluare. Vel modicæ fidei, quia si ipsi haberent magnam fidem, ipsi possent imperare mari. [*Tunc surrexit*, &c. *Imperauit ventis*] Tempestas enim oritur ex ventis, vt ex causa efficiente; ex aquis, vt ex causá materiali. Et vtrobiq; imperauit. Vnde Psalm. 106. *Dixit & stetit spiritus procellæ*. Et hoc est, quod dicitur: (*Et facta est tranquillitas magna.*) Sed consuetudo est, quod quando fit tempestas, quod duobus diebus mare non sedatur totaliter. Ideo, vt appareat perfectum miraculum, statim facta est tranquillitas magna. Quia *Dei perfecta sunt opera*. Deut. 32.

Homines mirati sunt, &c.] 1. Hic ponitur effectus, scil. admiratio turbarum. Quod dicit homines, non intellige Apostolos: quia nunquam Apostoli sic appellantur; sed intellige nautas. 2. *Vel* secundum Hierony. Si etiam intelligas homines, id est, Apostolos, potest esse, quod dubitare potuerũt vt homines, dicentes: (*qualis est hic.*) Hic Chrysost. addit, (*homo.*) Quia ipsum viderant dormientem, hominem vocabant; quia signum diuinitatis viderant, ideo dubitabant. (*Quia venti & mare*, &c.)

Nam

Nam omnis creatura suo Creatori obedit, Ps. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciũt verbum eius,* &c. Non quia animam rationalem habeant, sed quia ad modum obedientis se habent. Vt manus & membra animæ obediunt: quia statim mouentur ad eius nutum, sic omnia Deo obediunt.

PARS IV.

De liberatione dæmoniacorum.

QVia posita sunt miracula, quibus Dominus liberauit multos à periculis exterioribus. Hic ponuntur miracula, quibus fit liberatio à periculis interioribus siue spiritualibus. *Primo*: Ostenditur malitia dæmonum, quantum ad sæuitiam quã in homines exercent. *Secundo*, quantum ad impatientiam. *Tertio*, quantum ad nequitiam, quia animalibus brutis nocuerunt.

De I. *Gerasa* interpretatur *colonum eiiciens*; vel *aduena appropinquans*: quia prope gentiles. (*Occurrerunt ei duo habentes,* &c.) Ostenditur sæuitia, quia opprimebat eos; secundo, quia homines decipere nitebantur. Sed *quæritur*: Quare alij Euangelistæ non faciunt mentionem nisi de vno; iste de duobus. *Dicendum*: Sine dubio duo fuerunt; sed vnus famosior. Et erant *sæui*: quia nocebant non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter. Vnde *in monumentis* habitant, vt inducerent hominibus terrorem. Inde error fuit, quem quidam posuerunt, quod dæmones aliquam animam

reducerent in corpus mortuum: vt legitur de Simone mago. Sed hoc fingebant dæmones, ad homines decipiendos. Vnde dicit Porphyrius, *genus dæmonum est fallax*. Et magi maxime vtuntur corporibus mortuorum: quare habitabant dæmones in sepulcris. Esai. 65. *Qui habitant in sepulcris, & in delubris idolorum dormiunt.* Erant tam sæui, vt nemo posset transire per viam illam: quia *in via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi,* superbi, id est, dæmones. Psal. 141.

De II. Sed ostenditur eorum impatientia, quia Christi præsentiam non ferebant. Vnde dicitur: *Clamauerũt)* Es. 65. *Clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis.* Item fatentur Dei potentiam, dicentes: (*Quid nobis*, &c. Vere nulla, quia nulla conuenientia Christi ad Belial. Sed quare hoc dicebant? Quia grauiter puniebant homines: & audierant, quod Christus esset eis potestatem ad-empturus.

Item confitentur filium Dei. Et in hoc confunduntur Arriani. Quia si non Sanctis credunt, saltem dæmonibus credãt. *Sed contra*: Videtur, quod non cognouerunt eum: quia 1. Cor. 2. *Si cognouissent, nunquam Regem gloriæ crucifixissent*, &c. Dicendum: Quando Dominus volebat, humanitatem ostendebat, & diuinitatem eis occultabat.

Quare venisti ante tempus? &c.] Sciunt dæmones, quod in die iudicij debent suscipere maius tormẽtum, cum dicetur: *Ite maledicti in ignem æternũ*. Credunt aliqui, dæmones vsque in diem iudicij non pati pœnam damni, sed sensus; Ex hoc: *Venisti ante tempus.*

tempus. Sed contra dicit Damaſcenus: Hoc hominibus mors, quod angelis caſus; ſed homines cum moriuntur, non ſtatim recipiunt pœnam ſenſus, ſicut angeli qui ceciderunt. Quidam dicunt, quod ignem ſuum ſemper ſecum portant. Quomodo poteſt hoc fieri, quia is ignis corporeus eſt? Dico, licet ſit corporalis, habet tamen aliquid ſpirituale. Vnde cruciat per modum cuiuſdam alligationis. Spiritus enim excedit naturam corporis, ſed Deus alligat ſpiritus corporibus, ſicut cum alligatur anima corpori, vt moueatur, ſecundum voluntatem animæ; Sicut ſi datur prælatura alicui in aliqua Ecclesia, ipſo non exiſtente in eadem; ſic licet iſte ignis ſit corporeus, ratione ſpiritualitatis poteſt agere. (*Torquere nos*, &c.) Magnum tormentum reputant, quod non poſsint hominibus nocere: ſed ſi eſſent in inferno, non poſſent ita nocere; & ſic tormentum eis magnum eſt, intrare in infernum.

De III. *Erat autem non longe ab eis*, &c.] Hic tangitur malitia: Quia non ſolum hominibus nocent, ſed & brutis, (*grex porcorum.*) Vnde patet, quod hoc non factum in Iudæa; quia Iudęi non vtuntur porcis. (*Si eiicis nos, mitte nos in porcos.*) Sed quare nõ petierunt, vt mitteret eos in homines? Quia ipſi videbant eum ſolicitum circa curam hominum. Sed quare in gregem porcorum? Quia erant magis vicini. Item quia eſt animal valde immundum. Vnde ad deſignandã immũditiam, permiſit intrare in porcos. Et hoc videtur ſignificari Iob 40. *Nũquid multiplicabit ad te porcos, aut loquetur tibi mollia?*

(*Et ait illis: Ite, &c.*) *Dices:* Videtur Dominus audisse dæmones. Dico: Non audiuit; sed ex sua sapientia sic fieri permisit & ordinauit, vt ostendatur malitia dæmonum. Quia nisi Dominus cohiberet, ita ruerent in homines, sicut ruerunt in porcos. Sed cum Dominus permittit aliquid dæmonibus, non totaliter permittit, sed imponit eis frenum: vt in Iob. Vnde ad hoc designandum permisit eos ruere in porços. *Item,* ad designãdum, quod nihil possint, nisi ex Dei permissione. *Item:* Vt homo suam dignitatem cognosceret, cum ad salutem vnius hominis tot millia porcorum permiserit interfici.

Et magno impetu, &cęt.] In quo denotatur, quod nullus à diabolo totaliter potest extingui, nisi paratum se exhibeat, id est, totaliter immundum. Vnde Apoc. 18. *Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna.* 2. Pet. 2. *Hi velut irrationabilia pecora peribunt, percipientes mercedem iniustitiæ,* &c. Sequitur pastorum admiratio (*Pastores fugerunt, & nuntiauerunt.*) triste & lætum. Triste de porcis; sed lætum de dæmoniaco curato. Per istos signantur principes Synagogæ, qui propter temporalia, quantum possunt, contradicunt Christo. Consequenter sequitur totius populi admiratio. (*Et ecce tota ciuitas,* &ç. *Et viso eo,* &c.) Et quare? quia multa damna eis fecerat, ideo timebant, si diutius ibi moraretur, vt plura eis faceret damna. Sic aliqui propter detrimentum temporale, timent esse cum Christo: Esaiæ 30. *Declinate à me semitam: cesset à facie nostra sanctus Israel.* Vel aliter: Non ex malitia, sed ex de-

uotione

ctione, quia indignos se reputabant. Simile dixit Petrus: *Recede à me, quia homo peccator sum.*

Sequentium expositio continuatur Dominica 19. post Pentecosten.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Simile est regnum cœlorum homini, qui seminauit, &c. Matt. 13.

Antecedentium continuata expositio reperitur in Dom. Sexagesimæ.

SCOPVS. Præmiserat ante hæc Dominus parabolam, in qua ostendebatur impedimentum Euangelicæ doctrinæ ab extrinseco. Hic ponitur alia parabola, in qua ponitur impedimentum de audienda doctrina, quod est ab intrinseco. Quia in hac ad nos trahuntur ea, de quibus ingenia solent solicitari.

PARTITIO.

I. *De origine boni & mali.*
II. *De processu vtriusque.*
III. *De sustinentia malorum.*
IV. *De expositione parabolæ.*
V. *De fine boni & mali.*

PARS I.

De origine boni & mali.

PRimo, de origine boni: *Secundo*, mali. De I. (*Aliam parabolam*, &c.) Quibus, eis? Dico non Apostolis tantum, sed etiam turbis. Vnde cum primam in naui exposuisset Apostolis, conuertit se ad turbas. (*Aliam*,) non alteram: quia non solum proposuit duas, sed plures; Alterum vero vnum de duobus dicitur. Plures autem posuit, vt pluribus dispositionibus subueniret. Quidam enim afficiuntur in vno, quidam in alio.

Simile factum est, &c.) In regno est Rex, & hi qui reguntur. Et isti sunt homines cœlestes, qui facti sunt æquales angelis. Psalm. 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis*, &c. (*Homini, qui seminauit bonum semen.*) Tres parabolæ ponuntur consequenter de semine. Prima de semine seminato: secunda de semine inspirato: tertia de semine multiplicato. Secundum intentionem literæ, aliter quam supra accipitur semen. Seminatur enim semen, quod seminatur in homine, & hoc est verbum Dei, Luc. 22. Hic autem accipitur ipse homo, in quo seminatur. Et hoc patet, quia infra dicit, quod semen istud sunt filij regni: vnde non est alia facienda expositio ab ea, quam Dominus fecit. Et dicitur *semen*, quia sicut semen est principium propagationis; sic homines boni fundamentum totius fidei, vnde ex Apostolis tota Ecclesia pullulauit, Esai. 1. *Nisi Dominus reliquisset nobis semen*,

semen, quasi Sodoma fuissemus. Et istud fuit bonum semen, de quo Isa. 6. *Semen sanctum erit id, quod steterit in ea.* Istud seminauit Christus, & vbi? (*In agro suo,*) id est, in mundo; in quo sunt boni ac mali; quem Dominus per creationem edidit, Ioann. 1. *Mundus per ipsum factus est.* Et Psal. 49. *Pulchritudo agri mecum est.*

De II. *Cum autem dormirent*, &c.) hic agit de origine mali. Et *primo* ponitur occasio malitiæ illatæ: *Secũdo*, ordo. I. Occasio duplex: Vna est ex parte custodum: secunda ex parte seminantis. 1. Ex parte custodum, dicit: (*Cum autem dormirent homines*, &c.) id est, præpositi humani generis, qui positi sunt ad custodiendum, (*dormirent*) scil. per dormitionem mortis. Sancti scilicet Apostoli, qui nouerunt, quod hæretici in Ecclesia miscuerunt se tritico; vnde Paulus: *Scio, quod post decessum meum*, &c. 2. Alia occasio: (*Venit inimicus*, &c.) id est, diabolus, Psalm. 73. *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper*, id est, dæmonum. Hæc autem inimicitia est secundum peruersitatem voluntatis.

Quæstio. Est ne hoc verum, quod aliqua res oderit Deum? *Dico*: Amor non est nisi rei cognitæ. Dupliciter autem potest cognosci Deus; In se, vel in suis effectibus. In se, impossibile est, quin ametur. Quicquid enim amatur, amatur sub specie boni. Cum ergo sit prima bonitas, haberi odio non potest. Sed in effectibus suis, non est impossibile. Dæmones enim, inquantum sunt, eum amant, à quo sunt. Sed aliqui effectus displicent eis, quod scilicet contra voluntatem suam puniantur, quod non ad

voluntatem ſuam puniat homines, &c. II. Sequitur de ordine. (*Et ſuperſeminauit zizania.*) Singula verba habent magnam ſignificationem. Quid eſt, quod ſeminatur, & qualis eſt ordo? Quod ſeminatur, eſt zizania, quæ ſimilis eſt tritico, & lolium vocatur. Significantur filij nequam, & omnes qui iniquitatem diligunt, ſpecialiter hæretici. Tria ſunt genera malorum: praui Catholici, ſchiſmatici, & hæretici. Mali Catholici per paleas ſignificantur, de quibus Matthæi 3. *Paleas comburet igni.* Schiſmatici per ariſtas: Hæretici per zizaniam. Zizania habet ſimilitudinem cum tritico; ſic iſti prætendunt ſpeciem boni. 1. Timot. 1. *Volentes eſſe legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*

Nota, quod dicitur ſupra, *ſeminauit*, & hic non: Quia prius fuerunt Catholici quam hæretici. Diabolus enim videns Eccleſiam dilatari, inuidit, & ſeminauit corruptiuum, & mouit corda hæreticorum, vt magis noceret, vnde *ex nobis erant*, 1. Ioannis ſecundo. Sed ex nobis non erant, quia ſi ex nobis fuiſſent, permanſiſſent vtique nobiſcum.

Item dicit, *in medio tritici.* Non curat diabolus, quod aliqui ſint hæretici inter gentiles; quia omnes poſsidet, ſed in medio tritici & fidelis populi. Iob 4. *Et in angelis ſuis reperit prauitatem.*

Auguſtinus: Nulla ſocietas eſt ita bona, quin aliquis ſit prauus. In ſocietate Apoſtolorum vnus fuit malus, (*Et abiit.*) Signatur malitia dæmonis, (*Abiit,*) id eſt, occultum ſe reddidit. Quando e-

do enim instigat, non semper cooperatur. Si enim ad votum omnia succederent, de facili posset discerni. Ideo aliquando malitiæ suæ cedit, Psalmo nono: *Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua*, &cæt.

PARS II.

De processu boni & mali.

CVm *autem creuisset herba.*] Duo consideranda. *Primo*, manifestatio bonorum à malis. *Secundo* zelus bonorum contra malos.

De I. *Cum creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania*, &c.] A principio enim, quando seminatur, non apparet; sed cum crescit herba. Et hoc pòtest referri & ad triticum, & zizaniam. Augustinus exponit de tritico: Quia cum homo paruus est, non potest discernere: sed quando crescit, & facit fructum, & fit spiritualis, tunc cognoscit. 1. Corinth. 2. *Spiritualis discernit omnia.* Chrysostomus exponit de zizania: Quia primo non apparet, quia hæretici primo abscondunt scientiam, quia primo aliqua bona prædicant laicis, & post inserunt mala de Clericis, quæ libentes audiunt, & sic auertunt populum à dilectione Cleri, & per consequens Ecclesiæ. Sed pòst cum susceperunt doctrinam, manifestant malitiam, & doctrinam suam, quæ intelligitur per vinum, de quo Prouerbiorum trigesimotertio: *Ingreditur blande, retro autem mordebit vt coluber*, &c.

De

De II. (*Accedentes autem serui patrisfamilias*, &c.) Hic ponitur de zelo bonorum contra malos. Et *primo* inquirunt de origine mali. *Secundo* mouentur zelo ad extirpationem malorum. 1. *Accedentes autem*, &c.) Qui isti serui: Infra dicit de messoribus; sed Angeli qui sunt, hi sunt homines boni. Et hoc non est inconueniens, cum Dominus dicatur & ostium, & ostiarius. Accedentes autem serui per fidem, Psalm. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini.* 2. *Dixerunt, Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo?*) Nonne Apostoli bonam doctrinam seminauerunt? Vtique. *Vidit Dominus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, Gen. 1. (*Vnde ergo*, &c.) Quæstio similis Hierem. 2. *Ego plantaui vineam electam, quomodo conuersa es mihi in prauum vinea aliena?* Respondet Dominus, [*& ait illis: Inimicus homo hoc fecit.*] Nota. Hoc non ex prima origine, sed de hoc quod in hominibus est à diabolo. Sap. 2. *Inuidia diaboli intrauit mors in orbem terrarum.* Homo dicitur diabolus per defectum à deitate, Psal. 9. *Exurge Domine, non confortetur homo*, &c. Hic homo dicitur *inimicus* propter consummatam malitiam, Genes. 3. *Inimicitias ponam inter te & ipsum.*

Serui autem dixerunt.] Hic dicitur, quod serui mouentur zelo ad extirpationem malorum. [*Vis, imus & colligimus ea?*] Dicuntur hic de ipsis duo laudabilia. 1. Quia mouentur ad destruendum malum, 1. Corin. 5. *Auferte malum ex vobisipsis.* 2. Quia hoc facere nolunt proprio motu, sed iussu Domini. Tobiæ 4. *Omni tempore benedic Deum, & omnia consilia tua in ipso permaneant.*

PARS

PARS III.

De sustinentia malorum.

ECclesiast. 8. *Quia cito non profertur contra malos sententia, filij hominum absque timore perpetrant mala.* Et *primo* ostendit propositum: *Secundo* rationē assignat: *Tertio* ponit terminum sustinentiæ, quia semper non sustinebit. I. (*Non.*) 2. Petr. vlt. *Non tardat Dominus promissionem suam, sed patienter expectat.* II. (*Ne forte.*) Hæc ratio est: Nota: Bonum est magnū, & victoriosum supra malū, quia bonū potest esse sine malo, malum autem non sine bono: Ideo sustinet Dominus multa mala, vt veniāt, vel etiam ne pereant multa bona. Hinc dicit: (*Ne forte colligentes zizania,*) id est, malos, vel hæreticos, &c. (*eradicetis simul & triticum.*) Quatuor de causis contigit, quare mali non debeant eradicari propter bonos. 1. Quia per malos exercitantur boni. 1. Corint. 11. *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Prouerb. 11. *Qui stultus est, seruiet sapienti.* Si non fuissent hæretici, non claruisset scientia Sanctorum, Augustini, &c. Vnde qui vellet malos eradicare, eradicaret & multa bona. Secunda ratio, quia contingit, vt qui modo malus est, postea bonus sit, vt Paulus: Qui si occisus fuisset, careremus doctrina tanti magistri; quod absit. Ideo si vis eradicare, eradicabis simul & triticum, scilicet, eum qui erit triticum, Psalm. 67. *Dixit Dominus, ex Basan conuertam,* &c. Tertia ratio: Quia aliqui videntur mali, & non sunt; ideo si velles euel-

lere

lere malos, multos bonos extirpares. Et hoc apparet, quia noluit Dominus, vt colligerentur, donec ad perfectam maturitatem peruenirent. Vnde 1. Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare.* Quarta ratio est: Quia aliquis quandoque est magnæ potestatis, vt si excludatur, trahat multos secum; & sic cum illo malo multi pereunt. Ideo congregatio non excommunicatur, nec princeps populi; ne cum vno multi cadant. Apocalyp. 12. *Draco traxit tertiam partem stellarum secum*, &c. Genes. 18. *Absit à te, vt hanc rem facias, & occidas iustum cum impio.*

III. Sed nunquid semper parcetur eis? Non, sed (*vsque ad tempus.*) Vnde dicit: (*Sinite vtraque crescere vsque ad messem*, &c.) Simile Apoc. vltimo: *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* (*Sinite*, &c.) Obiicitur, Esa. 1. *Auferte malum cogitationum vestrarum*, &c. Item 1. Corinth. 5. *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua consperſio sicut estis azymi*, &c. Quid ergo dicit? *Sinite*, &c. Chrysostomus dicit: Loquitur de occisione. Vnde hæretici non sunt occidendi; quia inde multa mala sequerentur.

2. Augustinus in epistola quadam dicit: quod fuit sibi visum, aliquando non debere occidi, sed post experimento didicit, quod multi conuertuntur per violentiam. Dominus enim quosdam violenter trahit, sicut traxit Paulum. Et coacte conuersus plus profecit, quam omnes alij, qui voluntarie crediderunt.

Vnde secundum Chrysostomum, si non posset sine

ſine periculo; non debet fieri, ſed vbi maius periculum timetur. Et hoc patet 1. Quia etſi mali ſunt, proſunt ad exercitationem. Quia tamen magis timendum eſt, ne Euangelica doctrina per eos in aliis pereat, ideo, &c.

2. Aliqui, qui modo ſunt mali, fiunt poſt boni. Verum eſt, quod ſtatim non debent occidi, ſed Tit. 3. *Hæreticum poſt primam & ſecundam monitionem deuita.* 3. Ad tertium: Multi videntur mali, qui ſunt boni. Verum eſt, ſi fieret indiſcrete, 1. Timoth. 4.

Ad quartum: Princeps populi excommunicari non debet, poſito, quod maius ſit ſcandalum, ſi excommunicetur, quam in eo quod delinquit. Sed ſi aliquid egiſſet, quod eſſet ad periculum fidëi, ſine dubio excommunicari debet, quodcunque inde accidat damnum.

PARS IV.

De ſimilitudine boni & mali.

PRimo, ponitur tempus finis. *Secundo,* miniſtri. *Tertio,* modus & ordo, quorum vnumquodq; ordinatur ad finem. De I. (*In tempore Meßis,* &c.) Collectionis fructus, qui expectatur ex ſeminibus. Duplex eſt autem collectio; vna in Eccleſia præſenti, alia in cœleſti. Et meſsis duplex eſt, quædam congregationis fructuum in præſenti. De hac Ioannis quarto: *Leuate oculos veſtros, & videte regiones, quoniam alba ſunt iam ad meſſem.*

Item, tempus meſsis in triũphanti Eccleſia: vnde infra

infra, *messis est consummatio saculi.* ergo vsque ad illud tempus differtur.

De II. Qui sunt ministri messores? (*Dicã messorib.*) Messores primę messis fuerunt Apostoli. Ipsi enim collegerunt & cõuerterunt totum mundum. De quibus Ioan. 4. *Misi vos metere, quod non seminastis.* In secunda messe, messores erunt Angeli, Apoc. 14. *Mitte falcem tuam, & mete: quia venit hora, vt metatur: quoniam aruit messis terra,* &c. Quæ enim mediante Deo fiunt, credendum, quod fiant ministerio Angelorum. Psalm. 102. *Ministri eius qui facitis voluntatem eius.*

De III. Sed videamus ordinem, & quo modo assequantur finem, & quem finem. Et primo, de malis: secundo, de bonis. 1. De malis sciendum, quod primo colliguntur: secundo alligantur: tertio comburuntur. In primo est separatio malorũ à bonis. Quamdiu durat tempus istud, mali cum bonis sunt, zizania cum tritico, lilium inter spinas, Cantic. 2. Matth. 25. *Cum venerit Filius hominis, separabit bonos à malis; hœdos ab agnis.* Vnde dicit: (*Colligite primum zizania,* &c.) Modo quasi indiscrete accidunt bona & mala, bonis & malis. Ecclesiast. 9. *Hoc pessimum est inter omnia, quæ sub cœlo fiunt, quia eadem cunctis eueniunt.* Sed tunc bona redduntur bonis, & mala malis.

Ne ergo inuoluantur, oportet vt separentur, & alligentur. Vnde (*& alligate ea.*) In alligatione perpetuitas pœnæ signatur, Psalm. 149. *Ad alligandos reges eorum in compedibus,* &c. Matth. 22. *Ligatis manibus & pedibus proiicite eũ in tenebras exteriores:* quod

signat

ſignat impœnitentiam & irreuocationem æternæ damnationis,(*In faſciculos.*) Omnes erunt ſeparati viſione Dei, pœna damni erit æqualis omnibus, ideo ponentur in faſciculos, ſicut habetur Leuit. 13. vbi docetur diſcernere *inter ſanguinem & ſanguinem, inter lepram & lepram*: & Eſaiæ 27. *In menſura contra menſuram.* Ad quid? (*Ad comburendum.*) id eſt, igni æterno tradentur. De iſto Luc. 16. *Quia crucior in hac flamma.*

Triticum autem, &c.] Ponitur finis bonorum. Et è contrario tria: ſcilicet, Puritas, & Vnitas, & Tranquillitas. 1. *Puritas,* cum dicitur, (*triticum*) Nota: Zizania fuit colligata, ideo non fuit excuſſa, triticum vero fuit excuſſum. Et hoc ſignificat, quod mali cum ſuis inquinamentis in infernum mittentur; ſed boni penitus erunt purgati, Eſaiæ 25. *Via ſancta vocabitur, non tranſibit per eam pollutus.* 2. Eſt inter eos *vnitas.* Vnde (*Congregate.*) Inter malos ſemper ſunt iurgia, ideo non habent vnitatem; ſed boni congregantur, Pſalm. 49. *Congregate illi ſanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia,* &c. Matth. 24. *Vbi corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* 3. Erit inter eos *tranquillitas.* Vnde dicit: (*In horreum meum.*) Horreum fit ad conſeruationem meſsis: ſic cœleſtis patria erit horreum Sanctorum, vbi erunt cum laude & lætitia ſempiterna, Iſaiæ 35.

PARS IV.

De expositione parabolæ.

TRia hic: *Primo* deſcribitur locus: *Secundo*, diſcipulorum interrogatio. *Tertio*, expoſitio. (1. *Tunc*, &c.) In quo datur nobis exemplum, ſi velimus ſecreta inueſtigare, debemus in ſecretum intrare. Sapient. 8. *Intrans in domum meam conquieſcam cum illa.* Eccleſiaſt. 32. *Pracurre in domum tuam, & illuc aduocare, & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis & verbo ſuperbo*, &c.

2. *Et acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, dicentes: Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri*, &c.) quia de iſta magis dubitabant. Aliquando præ reuerentia accedere non audebant, Ioann. 4. *Nemo dixit ei, quare cum muliere loqueretur*, &c. Sed hic ſpecialem audaciam acceperunt, quia audierant: *Vobis datum eſt*, &c. Sic, ſi aliquid myſticum velimus acquirere, debemus ad eum accedere: *Accedite ad eum, & illuminamini*, Iſa. 33.

3. *Qui reſpondens ait:*) Hic ponitur expoſitio parabolæ zizaniæ. Et *primo*, quoad primam ſeminationem: *Secundo*, quoad ſuperſeminationem. *Tertio*, quoad vtrumque. Et primo exponit, quid ſit ſeminator, quid ager, quid ſemen. (*Qui ſeminat bonum ſemen eſt filius hominis.*) Nominat ſe Filium hominis, tum propter humilitatem, tum vt repellat hæreticos futuros. Quidam enim Deum eſſe negauerunt, quidam vero hominem. Vnde dicit ſe Filium hominis, quod ad hominem pertinet; & ſemina-

ſeminare ſpirituale, ad Deum. Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, &c.

Ager eſt mundus,] quem ipſe creauit. Vnde dixit, *in agro ſuo*: Ioannis 1. *In propria venit*, &cæt. *mundus per ipſum factus eſt* (*Bonum vero ſemen hi ſunt filij regni*) ex quo alij propagati ſunt, qui fuerunt boni filij. *Quod ſi filij & hæredes*. Rom. 8.

Deinde exponit quoad ſuperſeminationem, zizania, filij ſunt nequam. Eſaiæ 1. *Væ populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis*, &c. Seminator, (*Inimicus qui ſeminauit ea, eſt diabolus*,) qui induxit peccatum, Sap. 2. *Inuidia diaboli intrauit mors in orbem terrarum*.

Conſequenter agitur de diſtinctione, & tria facit. Primo, ponitur tempus: ſecundo miniſtri: tertio, diſtinctio. Tempus ponit. (*Meßis vero conſummatio ſæculi eſt.*) ſicut eſt dictum collectio prima facta per Apoſtolos, de qua Ioann. 4. *Leuate oculos veſtros*, &c.

Alia verò in qua erit: fructus collectio, de qua Galat. vltim. *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.* (*Meſſores vero Angeli ſunt.*) Sicut enim in præſenti Eccleſia miniſtri boni ſunt homines, ſic tunc erunt Angeli.]

PARS V.

De fine seminis boni & mali.

PRimo quo ad malos: *Secundo* quo ad bonos: *Tertio*, excitat ad spiritualem sensum. De I. (*Sicut zizania colliguntur: & igni comburuntur, sic erit in consummatione, &c.*) *Mittet filius hominis angelos suos.* Hæc ostendunt eum esse hominem & Deum (*Et colligent de regno eius omnia scandala*) Refer ad peccata quæ fiunt in proximum. Quod autem sequitur. (*Et eos qui faciunt iniquitatem,*) refer ad alia peccata. Regnum, intelligitur præsens Ecclesia: quia in triumphanti non sunt scandala: & homo sciet per tribulationem præcedentem finale iudicium. 1. *August.* notat. Non legimus quod mali sunt ad remunerandum bonos; sed boni inueniuntur aliquando punire malos. Quod ergo dicit, *omnia*, intelligendum est in præsenti ecclesia, immittendo tribulationes, per quas etiam boni & mali punientur. 2. *Chrysost.* exponit per regnum cœlestem patriam. Quod dicitur, *omnia scandala:* non intelligitur quod ibi sint, sed quod non sint. Vnde colligent, & separabunt malos à bonis, ne sint cum eis. (*& mittent eos in caminum ignis.*) Pœna damni est carentia diuinæ visionis. Sed tangitur pœna sensus, cum dicitur (*& mittent eos in caminum ignis.*) Apocal. penul. *Non intrabit in eo aliquid coinquinatum.* 2. (*Et mittet eos*) id est, filius hominis potestate iudicaria. (*In caminum ignis.*)

Matth. 5. *Ite maledicti in ignem æternum* (*Ibi erit*

fletus

fletus & stridor dentium.) 1. Potest ex hoc haberi, quod damnati, in anima & corpore punientur. vnde Matth. 10. *Eum timete, qui potest animam & corpus mittere in gehennam*, &c. Fletus enim pertinet ad oculos, stridor ad dentes, oculi autem & dentes sunt membra corporalia, in quo significatur veritas resurrectionis. *Item* 2. Per fletum, qui ex fumo cito generatur, significatur pœna ignis: per stridorem dentium frigus, *ad nimium calorem transeat, ab aquis niuium*, Iob 24. *Vel aliter.* 3. Fletus ex tristitia, stridor ex ira. vnde Act. 7. *stridebant dentibus in eum.* Esa. penult. *Serui mei gaudebunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione cordis, vlulabitis.* Luc. 6: *Væ vobis qui ridetis, quia plorabitis.* 4. In stridore signatur impatientia & rixa, Apocal. 16. *Qui manducauerunt linguas suas propter impatientiam substinendi.*

De II. (*Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.*) Hic exponit quo ad bonos. Et in eis erit duplex fulgor, scil. in anima, per quem Deum videbunt. Psa. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*, scil. increatum. Esa. 5. *Et implebit splendoribus animam tuam.* Et deriuabitur ad corpus. Phil. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, &c. Sap. 5. *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, &c.* Quod dicit, *sicut sol*, non est intelligendum absolute per omnimodam æqualitatem; maiorem enim habebunt splendorem: Sed quia in istis sensibilibus quod magis splẽdet, est sol. Conuenit autem cum sole, quia sicut sol non mutatur, sic nec iustus, Eccl. 27. *Homo sanctus in*

ctus in sapientia manet sicut Sol, stultus autem vt Luna mutatur.

Deinde excitat ad spiritualem sensum. (*Qui habet aures*, &c.) scilicet interiores, audiat, scilicet intelligendo, Esai. 50. *Dominus aperuit mihi aurem.*

Sequentia exponuntur in 4. de Communi Virginum.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Simile est regnum cælorum grano sinapis. Matth. 13.

SCOPVS. Duabus ostenderat parabolis Dominus impedimenta, quo minus doctrina sua fructum afferret. Ne tamen sterilis videretur, hic subiicit de profectu seminis iacti.

PARTITIO.

I. *De grano sinapi.*
II. *De fermento.*
III. *De causa parabolicæ locutionis in Domino.*

PARS I.

De grano sinapi.

DOctrina Christi sterilis videri poterat, quia in speciem parua & despicabilis apparebat, & in occulto latere debere. Ideo propter paruitatem apparentem, & occultationem duas aptat parabolas. In priore harum *Primo* agit de seminatione.

Secun-

Secundo, de paruitate seminis: *Tertio*, de magnitudine fructus.

De I. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis*, &c.] In regno est Rex, Princeps, subditi, incarcerati, diuitiæ, &c. Ideo ad hæc omnia possumus assimilare regnum. Dicit Hieronymus: per granum sinapis, doctrinam Euangelicam intelligi. Quia granũ istud feruidum est. Item Venena repellit. Et doctrina Euangelica per fidem facit ferueſcere. Matthæi 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit; & nihil impossibile erit vobis*, &c. Item excludit errores: vnde *vtilis est ad arguendum*. 2. Tim. 3.

Quod accipiẽs homo seminauit.] Homo iste est Christus, qui seminauit istud semen. Vel quilibet homo, qui doctrinam Euangelicam seminat, (*in agro suo*,) id est, in corde suo, quando ei præbet assensum. Christus seminauit, quia fidem dedit, in qua salui sumus. Ephes. 2. *Quoniam enim saluati estis per fidem, & non ex vobis, Dei enim donum est.* Item, quilibet, qui obedit, seminat in agro, id est, in corde. Prouerb. 24. *Diligenter exerce agrum tuum.*

De II. In isto agro sunt diuersa semina, quæ sunt diuersa dogmata. Dogmata Hieronymi & Augustini magna videntur, & confirmantur magnis argumentis. Similiter doctrina legis. Sed doctrina legis Euangelicæ modica apparuit, quia prædicabat Deum passum, crucifixum, & huiusmodi.

Et quis posset hoc credere? 1. Corinth. 1. *Verbum crucis*, & cæt. Ideo dicit (*Quod minimum quidem*

 est om-

est omnibus seminibus.] Vnde primo minimum apparuit: *pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salui fiunt*, id est, nobis, *virtus Dei est.*

De III. Sequitur magnitudo. Et *primo*, ponitur magnitudo; *secundo*, confirmatur. (*Cum autem creuerit,*) id est, pullulauerit, (*maius est omnibus oleribus.*) Quia doctrina Euangelica magis fructificauit, quam doctrina legis. Quia hæc non fructificauit nisi inter Iudæos. Vnde dicebatur, Psal. 147. *Non fecit taliter omni nationi*, &c. Non enim fuit Philosophus, qui aliquam patriam potuerit totam conuertere ad suam doctrinam. Si enim Philosophus vt Plato dixisset, talis & talis veniet, non creditum ei. Psalm. 118. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.*

Maior est ergo in soliditate, in generalitate, & in vtilitate. 1. In soliditate, (*& fit arbor.*) Quia aliæ doctrinæ sunt olera mollia, nihil firmum habentia, quippe rationi humanæ subiecta. Sap. 9. *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ*: Sed hæc est arbor firma, Psalm. 118. *In æternum Domine, permanet verbum tuum.* Lucæ 21. *Cœlũ & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*, &c. Ideo sicut hæc arbor se habet ad alias arbores; ita hæc doctrina ad alias. (*ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.*) 2. *Maior est* in generalitate doctrinæ, quia hæc scientia multos ramos habet; & exhibet homini, quæ sunt necessaria ad vitam. Vnde si sunt coniugati, habent per istam qualiter se regere debent: si Clerici, quomodo viuant, &c. Ideo diuersa dogmata sunt diuersi rami.

3. *Maior*

3. *Maior est* Vtilitate: Quia (*volucres habitant*, &c.) id est, omnes qui habent animum in cœlis, Philip. 3. *Nostra conuersatio est in cœlis.* Isti veniunt & meditantur, & quiescunt. Qui enim habitant in terra, non sunt volucres, 2. Corinth. 4. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.*

Chrysostomus exponit de Apostolis, quos cōparauit grano sinapis, quia erant spiritu feruentes. Et istud *seminauit homo*, id est, Christus, *in agro*, id est, in Ecclesia, ex quo tota fructificatio accidit Ecclesiæ, & fuerunt modici & abiecti. Nulla enim scientia diuulgata est per tam delectos homines, vnde 1. Corinth. 1. *Non multi sapientes, siue potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes*, &cæt. Sed (*cum creuerit, maius est*) effectum (*omnibus*,) quia Apostoli maiorem fecerunt fructum: Alexander conuertit vnam partem mundi ad se, Roma similiter: sed nunquam tantum sicut isti, qui tantum fecerunt, *vt volucres cœli*, id est, boni, *requiescant in ramis*: id est, in doctrinis eorum. Zachar. 8. *Apprehendent fimbriam viri Iudæi dicentes: Ibimus vobiscum. Audiuimus enim, quoniam Deus vobiscum est.*

3. Hilarius exponit de Christo, quod fuit *granum sinapis*, propter feruorem: Quia plenus Spiritu Sancto. Hoc *seminauit* postea in morte. *In agro*, id est, in populo: quod *minimum* fuit, propter contemtum infidelium, Esaiæ 53. *Vidimus eum, & non erat ei aspectus, & desiderauimus eum despectum, & nouißimum*

bus? 1. Ponitur finitum pro infinito; quia inter multas gentes. 2. *Vel* propter tres partes mundi: quia ad omnes missi: 3. *Vel* propter gentes, quæ à tribus filiis Noe ortæ sunt. (*Donec fermentatum est totum,*) id est, donec omnes conuerterentur ad Deum, Psalm. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum,* &c.

Secundum Augustinum: Per *fermentum feruor charitatis* significatur. Quia sicut fermentum dilatat, sic charitas, Psalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Mulier* ratio, vel anima *abscondit in tribus,* id est in toto corde, in tota anima, in totis viribus. *Vel* per tria sata, tres status, scilicet, Prælatorum, Contemplatiuorum, & Actiuorum; qui per Noe, Iob, & Daniel intelliguntur. *Vel* possunt referri ad fructum centesimum, quadragesimum & tricesimum.

3. *Hieronymus* exponit *de doctrina Euangelica*: quã *mulier,* id est, sapientia, *abscondit in tribus satis,* quæ sunt corpus, spiritus, & anima; vel irascibilis, & concupiscibilis, & rationalis. Vel aliter per mulierem intelligitur fides: Per tria sata, tres personæ in diuinis.

4. *Hilarius* exponit *de Christo,* qui est fermentum, quod per prouidentiam Patris in mundo absconsum est in lege triplici, lege naturæ, lege Mosaica, & lege Euangelica.

PARS

neri. Primo, in Prophetis; ſecundo, in ſeipſo. Eſa. 52. *Ecce ego qui loquebar, ipſe adſum.* Vtroque parabolice locutus eſt, in Prophetis multipliciter: & per ſeipſum ſimiliter. Quod enim factum eſt in Prophetis, ſignum fuit, quod faciendum erat per Chriſtum, vnde dicitur: *Ego Dominus, qui aperui os Prophetarum in parabolis, aperiam in meipſo* [*Eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.*] In apertione oris eſt manifeſtatio ſecretorum vt ſupra. Eructatio ex intimis eſt. Tunc eructat, quando de profundo ſapientiæ emittit. Pſal. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Sapientia Domini abſcondita eſt: Iob 28. *Abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium.* Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam; Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit, &c. Eructauit abſcondita, & quæ fuerunt occulta à mundi conſtitutione.* Ad Epheſ. 3. *Quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius, & Prophetis in ſpiritu.*

2. Vel aliter. Eructabo ea, quæ ſunt à conſtitutione mundi, quæ ſunt abſcondita. Et quare? Quia ipſe eſt à conſtitutione mundi, & ipſe nobis reuelauit ſeipſum per ea, quæ fecit, Romanor. 1. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.*

DOMI-

DOMINIC. SEPTVAGESIMÆ.

Simile est regnum cœlorum homini Patrifamilias, Matt. 20.

Antecedentia in Communi Apostolorum dispos. 2.

SCOPVS. Docuerat ante Dominus de peruentione ad regnum per viam communis salutis, & per viam perfectionis. Quia vero quidam credunt indebite se eo peruenturos, ideo hic repelluntur. Inprimis illi, qui intendunt venire propter temporis antiquitatem. Id quod sub parabola proponitur. [*Et ascendens Iesus*, &c.]

PARTITIO.

I. *De Conductione.*
II. *De Remuneratione.*
III. *De murmuratione.*
IV. *De responsione.*

PARS I.

De conductione operariorum.

HIc nota quatuor conditiones, quæ sunt inuitationes operariorum ad operandum: secundum tempora diuersa.

INVITATIO PRIMA complectitur iterum quatuor. 1. Conducentem. 2. Conductos. 3. Modum conducendi.

De

De I. CONDVCENS paterfamilias, Deus est: cuius familia est totus orbis; sed specialiter creatura rationalis. Et dicitur, *paterfamilias*, ex similitudine gubernationis, Sapient. 12. *Tu autem pater gubernas omnia sapientia.*

De II. DE CONDVCTIS. *Qui exiit*, &c. Primo quæritur, quæ sit vinea. 2. Qui operarij. 3. Quare conducti. 1. *Quid sit vinea ista*. 1. secundum Chrysostomum, iustitia est; hæc quot virtutes producit, tot palmites emittit. Cantic. 6. *Vinea mea coram me est.* 2. Gregorius. Per vineam significatur sancta Ecclesia, Esai. 5. *Vinea Domini exercituum domus Israel est.* Operarij verò sunt, qui ab Adam descenderunt, vnde omnes homines sunt palmites. Genes. 2. *Ideo posuit Dominus Adam in paradiso, vt operaretur, & custodiret illum.* Debet enim vnusquisque operari iustitiam, & excolere eam, & habere curam de proximo, Eccles. 17. *Deus mandauit vnicuique de proximo suo.*

Spiritualiter: Prælati sunt operarij, Esai. 61. *Et vocabuntur in ea fortes iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.* Dicuntur autem conducti; quia pro merito operari debent, quasi mercenarij, Iob 14. *Militia est vita hominis super terram, & sicut mercenarij dies eius.* Sicut enim mercenarius non statim accipit mercedem; sed expectat; sic nos in vita ista. Sed ad hoc vt sit bonus mercenarius, oportet, laboret ad commodum domini sui: sic si laboremus in vinea Ecclesiæ, totum referre ad Deum debemus. Vnde 1. Cor. 10. *Omnia ad gloriam Domini facite.*

Item

Item, primo excolit, & post comedit; sic oportet vt primo excolamus & præparemus aliorum salutem: post temporalia quæramus, Matth. 6. *Primum quærite regnum Dei, & omnia hæc adÿcientur vobis.* Luc. 17. *Ministra mihi,* &c. Et *post comedes & bibes.* Item tertio requiritur, vt tota die occupetur in labore: sic cultor vineæ Domini modicum tẽpus expendat in his, quæ ad ipsum pertinent: sed necessarium est, vt expendamus totum tempus in seruitio Dei, 1. ad Corinth. 6. *Abundantes in opere Domini semper.* 4. Item, verecundatur apparere coram Domino nisi bene fecerit: sic etiam non debet hic apparere coram Domino, nisi cum opere bono, Exod. 23. & 34. *Non apparebis coram me vacuus.*

2. Sed videamus *quid sit mane.* Totum tempus huius sæculi est vnus dies: Psalm. 89. *Mille anni tanquam dies hesterna, quæ præteriit.* Diuersæ horæ, sunt diuersæ ætates. Prima ab Adam vsque ad Noe, & in illo tempore monuit Dominus & per nuntios, & per apparitiones ire in vineam iustitiæ. Vel potest dici, quod tota vita hominis est vnus dies: Mane huius diei est pueritia. Pueritia enim virens est sicut herba, vnde aliqui vocantur à pueritia. Ideo dicit. *Qui exiit primo mane,* &c. Sicut vocati sunt à pueritia Hieremias, Daniel & Ioannes Baptista.

De III. *De modo conductionis.* (*Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno.*) Per denarium istum significatur vita æterna: quia denarius ille valebat decem denarios vsuales. 2. Item, habebat impressam similitudinem Regis. Vnde quod significa-

gnificatur per istum denarium, consistit in obseruatione Decalogi, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Item 3. habet similitudinem Dei. 1. Ioan. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus.* Porro agit de secunda conditione.

SECVNDA INVITATIO. *Et egressus circa horam tertiam*, &c.] Si accipiamus diem vnum pro toto sæculo; sicut prima hora significat tẽpus ab Adam vsque ad Noe, sic secũda, à Noe vsque ad Abrahã. Antequã promissiones factæ sunt de Christo, Deus per angelos monuit multos; & habuit multos etiam, qui monebant alios. 2. Sed si referatur ad vitam vnius hominis, hora tertia est adolescentia, quia sicut hora tertia diei Sol incipit calescere: sic in adolescentia incipit irradiare Sol intelligentiæ. Iacobi 1. *Exortus est cum ardore.*

Et istos inuenit (*In foro & otiosos.*) Forum est vita præsens. Forum autem dicitur locus, in quo litigatur, venditur, & emitur. Et significat vitam præsentem; quæ litigiis plena est, emtione & venditione, 1. Ioan. 5. *Mundus totus in maligno positus est.* Et isti otiosi erant, quia iam partem vitæ suæ amiserant. Dicuntur enim otiosi, non solum qui malefaciunt, sed etiam qui bonum non agunt. Et sicut otiosi non consequentur finem; sic nec isti. Finis hominis est vita æterna: qui ergo operatur eo modo, quo debet; habebit eam, si otiosus non fuerit, Eccles. 33. *Multa mala docuit otiositas.*

Et dixit eis: Ite & vos, &c.] Quia 1. Regum 20. *Deus retribuet secundum iustitiam.* Cum istis non cõuenit de denario. Quare cum primis, & non cum

istis?Ratio est, secundum quod refertur ad ætatem sæculi: quia Adam peccaturus erat, ideo posset excusari, si non sciuisset suam remuneratione͂; sed sciuit, quia gustauit. 2. Item ei qui meliores habet sensus suos, magis innotescit veritas. Cum ergo sensus meliores Adam habuerit, verius ei innotuit. Sed cum aliis non conuenit; quia semper plus, quam promittat, soluit. Esa. 64. & 1. Corint. 2. *Oculus non vidit absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Item 3. primi conducti fuerunt ad totam diem; ergo totam mercedem debent habere; ideo promittitur eis denarius diurnus, qui erit plena merces. Sed aliter non dat totam Deo, ideo non conuenit cum eo, quia poterat esse, vt feruentius operaretur; & sic plus retribuetur; Vel ita negligenter, vt non mereatur. Ideo dicit. (*Et quod iustum fuerit, dabo vobis.*) Quia si recuperent tempus amissum, habebunt mercedem plenam, 1. ad Corinth. 3. *Vniuscuiusque opus manifestum erit, dies Domini declarabit.* Item 2. primos inuitauit ad eundum; sed isti spontanee iuerunt, quia in pueris non est discretio: ideo si faciant aliquod bonum, plus videtur esse à Spiritu sancto, quam à discretione. Sed in adolescentia homo mouetur proprio consilio. 3. Item de primis dicitur quod misit eos. De istis quod spontanee iuerunt.

TERTIA INVITATIO. (*Iterum circa horam sextam & nonam,* &c.) Secundo hic dies dicitur sæculum: sic hora sexta fuit ab Abraham vsque ad Dauid, & nona à Dauid vsque ad Christum. Sed *quare coniungit duas horas*? Quia tunc fuit populus distin-

distinctus, scilicet Iudaicus, & Gentilis. Vnde potest dici quod hora sexta est iuuentus. Quia sicut in medio die est sol in sua perfectione; sic homo in iuuentute: nona autem hora est senectus. Et coniungit istas duas, quia idem est modus viuendi in vtraque.

QVARTA INVITATIO. Hic tria facit. *Primo*, reprehendit: *secundo*, excusat: *tertio*, inuitantur. De I. (*Circa vndecimã vero horam, &c.*) 1. Nona hora est tempus Christi. Vnde 1. Ioa. 2. *Filioli nouissima hora est.* Heb. 1. *Olim loquens Deus patribus in prophetis nouissime diebus istis locutus est nobis in filio.* Esa. 62. *Ecce ego qui loquebar, adsum.* 2. Vel potest dici senium, siue decrepita ætas. Quia quidam in peccato perdurant vsque ad ætatem decrepitam. Psalm. 89. *Vespere decidat, induret, & arescat.* (*Et inuenit alios stantes.*) Alios inuenit in foro, istos non. Ratio est, secundum Philosophum, quia differentia est inter adolescentes & senes: quia adolescentes toti sunt in spe; senes non in spe, sed in memoriis. Vnde illi in foro inueniuntur primi, quasi volentes acquirere: Isti autem inueniuntur stantes, quasi non volentes acquirere; sed acquisitum obseruare. 2. Item vidit primos, & non increpauit. Istos autem vidit & increpauit: Quia primi adhuc infirmi sunt, & dominantur passiones in eis; ideo excusandi sunt, quod non expendunt tempus in seruitio Dei: sed senes abundant sensibus; ideo ipsos increpat. De II. (*Quid hic statis tota die otiosi?*) Pro. 12. *Qui sectatur otium, stultissimus est.* Et 28. *Qui sectatur otium, implebitur egestate.* Sequitur eorũ excusatio.

Dicunt ei, quia nemo nos conduxit.] Si referamus ad statum sæculi; isti significant gentilem populum, qui non seruiunt Deo, sed idolis. Sed excusantur, quia Prophetas non habuerunt, sicut Iudæi. Vnde Psalm. 147, *Non fecit taliter omni nationi*, &c. 2. Vel secundum quod refertur ad ætatem hominis; significatur, quod quibusdam non datur occasio reuertendi ad Deum vsque ad senium. Et ratio est, quia *omnia tempus habent*. 3. Vel potest contingere ex dispensatione diuina: quia diligentibus *Deum omnia cooperantur in bonum*. Vnde nouit Dominus, quod si ante vocasset eos, non stetissent. Tunc ergo conducuntur, quando consentiunt, & efficaciter magis resurgunt. Vnde dicit.

De III. *Ite & vos*, &c.) Licet sint decrepiti, *vult* tamen *omnes saluos fieri*, 1. ad Tim. 2. Item, primis præmium promisit, istis non; quia illis debebatur, qui à primo mane seruierunt ei: istis autem debetur ex sola misericordia. Sapient. 3. *Consummatus in breui, compleuit tempora multa.*

PARS II.

De remuneratione.

Cum sero factum esset, &c.) Circa hanc duo facit: *Primo*, ponitur tempus: *Secundo*, persona committens, & cui committitur. I. Tempus ponitur. (*Cum sero*, &c.) Et potest intelligi vel de fine ætatis, vel de fine sæculi, Psalm. 29. *Ad vesperum demorabitur fletus*: quia deficit lux mundi. Et dicitur *sero*: quia

quia in mundo isto fiet iudicium. II. *Dixit Dominus vineæ procuratori suo:*) Dominus est tota Trinitas, dixit procuratori Christo. Et datur ei 1. potestas resuscitandi: 2. potestas iudicandi: 3. & tangitur ordo iudicij. 1. Tangitur potestas. (*Voca operarios,*) id est, mortuos resuscita, Ioann. 5. *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei,* &c. 2. Potestas iudicandi: (*Redde illis,* &c.) id est, sis iudex, vnde dat potestatem iudicandi, Ioan. 5. *Dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* 3. Tangitur ordo. (*Incipiens à nouissimis,* &c.) 1. Et hoc potest retorqueri ad ætatẽ sæculi, (*Incipiens à nouissimis,*) scil: ab his qui sacramentis imbuti sunt. Vnde maior gratia eis data est, quam primis. Ephes. 3. *Aliis generationibus non est agnitum, sicut nunc reuelatũ est sanctis Apostolis eius,* &c. Vnde abundantius collata fuit eis, licet aliqua persona in veteri Testamento habuerit quoad aliquid maiorem gratiam, Ioann. 7. *Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus:* non, quia non datus fuerit Spiritus Sanctus, sed quia tunc abundantius. 2. Vel potest retorqueri ad ætatem hominis, quia qui in decrepita sunt ætate, citius moriuntur, & citius remunerantur. 3. Vel potest esse, quod ex feruore recuperent rem prius amissam; vt legitur de latrone. Quantum ad vtrumque dicit Chrysostom. quod illud homo facit liberalius, quod facit ex misericordia, quam quod alio modo, ideo designatur quædam gratificatio & gaudium, Luc. 15. *Gaudiũ est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente.*

Deinde sequitur executio: (*Cum venissent, qui*

circa vndecimam horam, &c.) Vel Christiani, vel homines in decrepita ætate receperunt singulos denarios, &c. Apostolus 1. Corinth. 3. *Quilibet propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem.* (*Venientes autem & primi.*) Non retorqueatis ad tempus sæculi; quia Iudæi, (*Arbitrati sunt, quod plus essent accepturi,*) eo quod plus habebant in alio sæculo: (*Acceperunt autem & illi singulos denarios,*) quia singulas stolas habuerunt.

Sed *quid est?* Nonne omnes ęqualiter habebunt gloriam? *Dico,* quod quantum ad aliquid erit par retributio, quantum ad aliquid, non. Quia beatitudo potest considerari quantum ad obiectum; & sic est vna omnium beatitudo: vel quantum ad participationem obiecti; & sic non omnes æque participabunt: quia non ita clare videbunt, Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Et est simile, sicut, si multi vadunt ad aquam; & vnus ferat maius vas, quam alter. Fluuius totum se exponit, non tamen omnes deferunt æqualiter. Sic qui animam habet charitate magis dilatatam, plus accipit, &c. Eccles. 11. *Benedictio Dei in mercedem iusti festinat, & in honore veloci processus illius fructificat.*

PARS III.

De murmuratione.

ET *accipientes murmurabant aduersus patremfamilias dicentes: Hi nouissimi vna hora, &c.)* Sed hic est *quæstio duplex,* quia dicit, quod accipiētes singulos denarios

narios murmurabant. Per denarium intelligitur vita æterna.1.Eſt ne credendum, quod accepta remuneratione aliquis murmuret? Non n. videtur: quia tunc eſſet ibi peccatum, vt habetur 1. Cor.3. *Neque murmuraueritis.* 1.Chryſoſt. dicit, quod non eſt vis facienda in eo, quod dicitur; ſed propter quod dicitur. Vnde intelligendum eſt, quod tanta erit remuneratio, vt ſi poſsibile eſſet, murmurarent. 2. Vel poteſt intelligi in mundo iſto. 2.Gregor.dicit: Quod iſta murmuratio nihil aliud ſit, quàm remunerationem differri. Quia Sancti, qui vltimo venerunt, ſtatim receperunt præmium, ſed primi diu expectauerunt. Vnde 2. Cor.6.*Eandem habentes remunerationem tanquam filiis dico, dilatamini & vos*, &c. Vnde illi murmurant, quia ſtatim non acceperunt: iſti autem non; quia ſtatim. 3.Hilarius & Hieron. dicunt ſic. Aliquando Scriptura loquitur de toto numero populi; aliquando ex perſona bonorum; aliquando malorum, vt dicitur Ierem.27.quod *omnis populus inſurrexit in eum, & omnis populus liberauit.* Hic accipitur omnis pro parte. Sic in primo tempore aliqui fuerunt boni, & non omnes: ideo attribuitur aliquid ratione bonorum, aliquid ratione malorum; non quod tunc, ſed ante murmurabant, quia populus Iudæorum murmurauit contra gentilem, quod æquaretur ei.

Secunda quæſtio. Quid eſt, quod dicit, qui portauimus pondus diei & æſtus? quia non portauerunt, niſi quantum vixerunt; & moderni ſimiliter. *Prima reſponſio* eſt, quod *ſpes quæ differtur, affligit animam.*

Aliqui in principio mundi fuerunt, qui portauerunt pondus; quia sciuerunt suam retributionem differri. 2. Vel potest referri ad Iudæos, qui portauerunt pondera legis, de quo Actor. 15. *Hoc est, quod nec nos nec patres nostri p tuerunt portare.* Gentiles autem tale pondus non portauerunt, quia legi subiecti non fuerunt. 3. Vel secundum Gregorium, quia primi homines longiore tempore vixerunt, vt nongentis annis; ideo grauius pondus tulerunt.

PARS IV.

De Responsione.

AT *ille respondens vni illorum dixit:*) *Primo*, ostendit suam iustitiam & suam misericordiam: *Secundo*, remunerationis æquitatem.

CIRCA PRIMVM tria: *Primo*, negat iniustitiam: *Secundo*, inducit pactum: *Tertio*, induci retributionem factam.

De I. (*At ille respondens vni illorum:*) adde; & omnibus, quia omnes vnam causam habebant. (*Dixit amice:*) Amicum vocat, quia ipsum ad se traxerat, Deut. 4. *Elegit semen eorum post eos.* (*Non facio tibi iniuriam.*) quia quod meum est, do isti; non quod tuum est: ideo non facio tibi iniuriam, Iob 8. *Nunquid omnipotens subuertit iudicium?*

De II. Commemorat pactum: (*Nonne ex denario conuenisti mecum?*) id est, pro salute consequenda, Genes. 17. *Ego Dominus merces tua magna nimis.*

De III. *Tolle quod tuum est,*) id est, quod ex promissio-

misſione mea habes, & vade in gloriam, 2. ad Timoth.2. *Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem*, &c. 2. Quidam exponunt ſic: (*Tolle quod tuum eſt*,) id eſt, damnationem pro murmure, & vade in ignem ęternum. Sed hoc non poteſt eſſe, quia dicit, quod acceperunt ſingulos denarios.

Circa II. ſcil. miſericordiam impenſam dicit: (*Volo autem*, &c.) Hic duo: *Primo*, ponit miſericordiam: *ſecundo*, facultatem miſerendi. 1. (*Volo autem huic nouiſſimo*,) id eſt, gentili, (*dare ſicut & tibi*,) ad Roman. 3. *Quid ergo præcedimus? Nequaquam*. Sed poſſent iſti dicere: Tu non potes: Immo dicit. 2. (*Aut non licet mihi quod volo facere?*) Quia licet vnicuique facere voluntatem ſuam de ſuo. Si enim eſſet debitor alterius, non liceret ei facere: ſimiliter ſi eſſet ſub altero. Sed ipſe eſt Dominus, ideo poteſt plus dare. Baliuus enim non poteſt dare aliquid niſi ſecundum merita, Rex autem poteſt ſine meritis: ſed Deus qui eſt omnium Dominus, poteſt. Pſal. 34. *Omnia, quæcunque voluit, fecit*. Ad Rom. 9. *Voluntati eius quis reſiſtit?* Item, notandum quod in eo quod ex miſericordia datur, non eſt acceptio perſonarum: quia de eo quod pure meum eſt, poſſum dare, cui volo abſque acceptione perſonæ. Vnde dicit: (*An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Conſtat quod murmur præcedens nō fuit ex defectu Domini; ſed ex miſericordia alij impenſa bonus eſt. Sed nequam eſt proprie, qui de bonitate dolet, ideo dicit: (*An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?*) eo, quod circa te iuſtitiā oſtendi, circa

alterum misericordiam? Constat autem istud esse ex bonitate. Matth. 6. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*, &c. De bonitate Domini in Psal. 72. *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde.*

CONCLVSIO. *Sic erunt nouissimi primi*, &c.] Hic concludit id, pro quo tota parabola inducta est. Et *primo*, ponit conclusionem: *secundo*, remouet falsam opinionem. Dicit 1. *Sic erunt nouissimi primi.* Dupliciter potest legi secundum Chrysostomum, id est: Nouissimi primis æquabuntur, ita vt non sit differentia, & hoc respondet huic, quod dictum est; quod *singuli receperunt singulos denarios*; nec sit differentia secundum tempus. Vel aliter, id est, illi qui sunt nouissimi, erunt primi, Deut. 28. *Aduena erit super te, & erit in caput, tu in caudam.* Vel aliqui qui erant primi, propter negligentiam fient nouissimi. Et hoc præcedenti respondet, quia inceperunt à nouissimis.

Sed posset aliquis dicere: Nonne omnes primi saluabuntur? Dicit 2. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.*] quia qui fide credunt, omnes vocati sunt, sed illi electi, qui bona opera faciunt, & isti sunt pauci, vt Matth. 7. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam.*

DOMI-

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Congregatæ ſunt ad eum turbæ. Matt. 13.

SCOPVS. Propoſuerat antea doctrinam Euangelicam, confutatis aduerſariis. Hic oſtendit virtutem eiuſdem in parabola. Ponuntur circumſtãtiæ doctrinæ.

PROOEMIVM.

De circumſtantiis doctrinæ Chriſti.

HÆ ponuntur quatuor. 1. Locus, *ſecus mare.* 2. Tempus: *In illo die.* 3. Diſpoſitio audientium: *Et congregatæ.* 4. Diſpoſitio loquentis. *Et locutus eſt eis.*

I. Tempus præteritur. II. Locus: *Sedebat ſecus mare.*] Hoc exponitur literaliter & myſtice. 1. *Literaliter*, Chryſoſtomus: Quia enim ſupra dixerat, quod loquente eo ad turbas, dixit quidam: *Ecce mater tua*, &c. ibi expoſuerat Chryſoſt. Quod aliquid humanum ſenſerant: Ideo Dominus voluit exire, vt eorum ſcil. fratrum nequitiam reprimeret. Et exiuit etiam vt matri honorem deferret. Exod. 20. *Honora patrem & matrem tuam.*

Myſtice. Per domum Iudæa intelligitur, de qua exiens propter infidelitatem, venit ad mare, ſc. ad gentes, quæ turbatæ erant per infidelitatem, Mat. 23. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Hier. 12. *Reliqui domum meã, dimiſi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manibus inimicorum eius.*

II. Mare

II. Mare dicitur mundus. Psalm. 103. *Hoc mare magnum & spaciosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus*, &c. 2. Vel aliter: Per domum intelligitur interior mens. Sap. 8. *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa.* Vnde aliquando exit de secreto contemplationis ad publicum doctrinæ.

III. *Et congregatæ sunt ad eum turbæ*) Hic ponit auditores. Cum enim mens exit ad publicum doctrinæ, tunc multi possunt audire & proficere. Ecclesiast. vltim. *Appropinquate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ.*

IV. Ponitur dispositio docentis, & audientiũ. Vnde dicitur: (*Ita vt in nauiculam ascendens sederet.*) Et quare in nauiculam? potest esse ratio literalis. 1. Quia multi auditores erant, ideo voluit eos habere ante faciem, vt melius intelligerent. *Omnia enim ante ipsum.* Iob 13. *Ecce omnia vidit oculus meus.* 2. Alia ratio mystica est, quia per nauem Ecclesia ex gentibus collecta significatur. Vbi sedit per fidem, & docet eos, qui stant in littore, scilicet catechumenos, qui parati sunt ad fidem. 3. Vel aliter, quod Iesus in mari, auditores autẽ in littore stant. In hoc dat exemplum prædicatoribus, ne exponant subditos suos periculis. Et hoc significatur Exod. 13. Quod cum Moyses educeret populum suum, non eduxit eos per viam terræ Philisthiim, reputans ne forte pœniterent, & reuerterentur in Ægyptum. Ideo Iesus in naui sedit, alios autem extra dimisit: ideo dicitur: *Et omnis turba stabat in littore.*

De modo doctrinæ, *Et locutus est eis multa in parabolis.*)

bolis.) Ratio duplex eſt. Vna eſt, quia per huiuſmodi parabolas abſconduntur ſacra ab infidelibus, ne blaſphement. Matt. 7. *Nolite ſanctum dare canibus.* Vnde infra: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Secunda ratio eſt, quia per huiuſmodi parabolas homines rudes melius docentur, quando diuina ſub ſimilitudinibus explicantur. Pſalm. 77. *Aperiam in parabolis os meum.*

Et quare multas propoſuit parabolas? Ratio vna eſt: Quia in multitudine hominum diuerſi diuerſimode ſunt affecti: ideo diuerſificare debuit, vt congruat diuerſis affectibus. Alia ratio eſt. Quia ſpiritualia ſemper ſunt occulta, vt per temporalia non plene manifeſtari poſsint; ideo per diuerſa debent manifeſtari. Iob 11. *Vtinam loqueretur Deus tecum, & aperiret labia ſua tibi, vt oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ.*

CONCIONIS I. DISPOSITIO.

Exiit qui ſeminat ſeminare, &c.

SCOPVS. Ponit impedimentum Euangelicæ doctrinæ.

PARTITIO.

I. *Ponitur parabola.*
II. *Aßignatur ratio.*
III. *Exponitur.*

PARS I.

De parabola ipſa.

Hæc

HÆc tripartita eſt. *Primo*, deſcribitur ſtudium ſem nantis: *Secundo* impedimentum ſeminis: *Tertio*, fructus.

De I. (*Exiit*, &c.) Qui exit, eſt Chriſtus. Exit enim tripliciter: ab occulto Patris, non mutans locum. 2. à Iudæa ad gentes. 3. à profundo ſapientiæ ad publicum doctrinæ. Exiit ergo, (*qui ſeminat*) ſ. ſemen doctrinę. Chriſtus ſeminat, ſicut baptizat; vt habetur Ioan. 4. Semen enim eſt principiũ fructus. Vnde omnis bona operatio eſt à Deo. Philip. 1. *Qui incepit in nobis opus bonum, perficiet*, &cæt. Et in hoc remouetur error dicentium, quod initium boni operis eſt à nobis. Contra Gregor. *In vanum laborat prædicator, niſi intus inſit gratia Saluatoris.* (*Exiit, qui ſeminat ſeminare*, &cæt.) Videntur iſta inuolue-re, ſed non inuoluunt. Quia ſeminator exiit aliquando ad ſeminandum; & aliquando ad metendum, ſic Chriſtus in principio exit ad ſeminandũ. Prouerbiorum 11. *Seminanti iuſtitiam merces fidelis.*

Semen ſuum.] Quidam enim exeunt ſeminare iniquitatem. Iob 4. *Vidi eos qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metent eos.* Semen eſt verbum Dei, quod procedit eſſentialiter. Vnde eſt Verbum Patris. Eccleſiaſt. 1. *Fons ſapientiæ Verbum Dei.* Sed quid facit? Simile ei à quo procedit. Quia facit filios Dei. Pſalm. 81. *Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes. Si illos dixit deos*, &c. Et Ioann. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, &c. Videamus de impedimento ſeminis.

De II. Tripliciter enim impeditur, quia tria requirun-

quiruntur. 1. Requiritur enim, quod memoria conſeruetur. Vnde Prouerb. 6. *Liga eas in corde tuo iugiter. Deſcribe ea tabulis cordis tui.* 2. Vt radicetur per amorem. Pſalm. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud*, &c. Tertio requiritur ſolicitudo. 1. Timot. 6. *Sectare iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem*, &cæt.

Hæc tria per tria tolluntur. Memoria per vanitatem; amor ſiue charitas per duritiam: ſolicitudo per germinationem vitiorum. De obliuione. (*Et dum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam.*) Via patẽs eſt omni viatori: ſic cor, quod cuilibet exponitur cogitationi. Ezechiel. 16. *Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ, & abominabilem feciſti decorem tuum.* Vnde, quando in corde vano, & inſtabili cadit verbum Dei; cadit ſecus viam, & ſubiacet duplici periculo: ſed Matthæus non ponit niſi vnum, ſcilicet [*Volucres cœli comederunt illud.*] Lucas vero ponit duo: Videlicet, quia conculcatur, & rapitur à volucribus. Sic quando vani recipiunt verbum Dei; conculcatur per vanam cogitationem, vel prauam ſocietatem. Quare multum gaudet diabolus, quando poteſt auferre & conculcare ſemen iſtud. Abac. 1. *Quare reſpicis contemtores, & taces impio conculcante iuſtiorem ſe?*

Secundum eſt, Cordis duritia. Iob penul. *Cor eius indurabitur quaſi lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus.* Et hoc opponitur charitati; quia amoris eſt liquefacere. Cant. 5. *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt*, &cæt. Durum enim eſt, quod eſt

in ſe

in se constrictum, & propriis metis arctatum. Amor facit transferre amantem in amatum: Vnde diffunditur. Dicit ergo: (*Alia ceciderunt in petrosa loca, &c.*) Ezech. 36. *Auferam à vobis cor lapideum*, &c. Aliqui enim sunt, qui ita habent cor priuatum omni amore, vt omni carne careat. Aliqui vero habent bonum affectum, sed paruum non profundum. Habere profundum, est, cum finis & affectus est profundus. Ille ergo habet profundum amorem, quia omnia diligit propter Deum, & nihil præponit amori Dei. Vnde aliqui delectantur quidem in Deo, sed magis in aliis rebus. Et isti sunt liquefacti. Et tales non habent terram multam.

Et continuo exorta sunt, &c. Quia illi qui profunde cogitant, diu cogitant, sed qui non profunde, statim in opus prorumpunt. Esai. 18. *Ante messem enim totus effloruit, & immatura perfectio germinabit.* Hi cito audiunt; sed non radicantur in illo, quia non habebant altitudinem terræ amoris & charitatis. Ad Ephes. 3. *In charitate radicati, & fundati*, &c.

Tertium est destructio fructus, quia si magis amat diuitias, cum tempus venit tribulationis, accipit quod magis amat. Vnde (*Sole orto æstuauerunt*, &c.) scilicet per impotentiam, Apoc. 13. *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi*, hoc est patientia iustorum. (*Et quia non habebant radicem, aruerunt*) quia Deus non erat radix. *Aruit tanquam testa virtus mea.* Psalm. 21. Aliquando in Scriptura petra accipitur in bonum: aliquando in malum. Similiter terra & Sol. Vnde aliqui sunt, qui afficiuntur bene; sed

ſed poſt negligenter ſe habent. Non ſic Paulus, qui dicebat: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo*, &c. 1. Cor. 9.

Alia autem ceciderunt in ſpinas.] Spinæ autẽ ſunt ſolicitudines, iræ, rixæ, & huiuſmodi. Hierem. 4. *Nolite ſerere ſuper ſpinas.* Prouerb. 24. *Per agrum hominis pigri tranſiui*, & ſequitur: *Et operuerunt ſuperficiem eius ſpinæ, (& creuerunt ſpinæ, & ſuffocauerunt ea.)* Sed poſſet quis dicere: Stultitia fuit ſeminantis. Dico, ſi fieret ſermo in terra ſenſibili, verum eſſet; ſed fit mentio de ſpirituali, ideo non valet, quia ad diuerſas materias retorquetur.

De III. Poſitis impedimentis agitur de ſeminis fructu.

Alia ceciderunt in terram bonam, & dederunt fructũ.] Terra, quæ non ſecus viam, quæ non petroſa, quæ non ſpinoſa; eſt terra bona, ſcil. cor bonum; & ſi ibi ſeminatur, fructum affert. Pſalm. 84. *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Sed quem? (*aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud vigeſimum.*) 1. Quidam retorquent iſtud ad præmium, quod eſt in cœlo: quia quidam habent centeſimum, &c. Sap. 3. *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus.* 2. Alij retorquent fructum trigeſimum ad fidem Trinitatis; ſexageſimum ad fructũ boni operis; centeſimum ad contemplationem cœleſtium. Sed hoc non poteſt eſſe. Quia auditor eſt, qui facit fructum. Item præmium recipitur. 3. Vnde oportet retorqueri ad perfectionem iuſtitiæ. Fructus igitur eſt proprie vltimum, quod expectatur in arbore; ſicut fructus iuſtitiæ, qui habetur

ex prædicatione. Et hæc eſt centeſima, &c. Quia triplex eſt perfectio; minor, maior, & media: ita vt centeſima martyrum, 60. virginum, 30. ſit coniugatorum. Quare? Perfectio virginum ſexageſimus, quia debent vacare à malitia, ideo virgines, & quieſcentes ſeparati ſunt à mundo. Per trigeſimum perfectio militantium in hac vita: quia tales apti ſunt ad bellum. 3. Alij aſsignant per computationem in manu, & cætera. vt in Gloſſa habetur.

4. Aliter poteſtis ſecundum numerũ numerorum. Semen enim fructificat in perfectione. Videatis ergo, quod ſemen eſt mandatum Dei: trigeſimus numerus ex trinario & denario componitur: ſexageſimus ex ſex & decem: centeſimus ex ductu denarij in ſeipſum. Ternarius eſt numerus completus, & habet communem perfectionẽ. Senarius ſimiliter eſt numerus perfectus: quia nihil deeſt ei, habet enim perfectionem integritatis. Denarius eſt numerus perfectus, quia eſt primus limes numerorum, vnde habet perfectionẽ finis. Sic triplex eſt perfectio, vt communis iuſtitia; & ſic eſt perfectio trinarij, quæ habetur per tricenarium numerum. Sed cum plus habet vltra cõmunem, tunc dicitur facere ſexageſimum fructum: ſed quando perfectus eſt, & iam prægustat ſuauitatem, tunc peruenit ad centeſimum fructũ.

5. Vel aliter ſecundum Auguſtinum, ſecundũ quod tripliciter homines ſe habent ad tentationes. Quidam enim grauiter tentantur, ſed reſiſtunt fortiter, & hi habent fructum trigeſimum; alij

alij qui parum tentantur, sed surgunt; & hi habent sexagesimum. Centesimum vero habent, qui iam in quieta pace manent. Et quia hoc parabolice dictum est, ideo subdit. (*Qui habet aures audiendi, audiat*) per intellectum cordis.

PARS II.

De ratione parabolæ.

Circa hanc duo. *Primo* ponitur interrogatio discipulorum: *Secundo* responsio. De I. *Accedentes*, &c. Incidit quæstio literalis, quoniam ipse erat in nauicula, quomodo ergo accesserunt ad eum? Sciendum, quod ipsi erant in nauicula cum Christo. Accesserunt autem per solicitudinem mentis, vel etiam corporaliter, quia cum parum distarent ab eo, venerunt magis prope: Vel cum essent extra, venerunt ad eum: sic nos, si velimus accedere ad eum, illuminabimur. Psalm. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Et duo attenduntur. Primo datur exemplum non importune interrogandi. Vnde dum doceret turbas, non interrogauerunt eum, Eccles. 3. *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* (*Quare in parabolis loqueris eis?*)

Nota, debere semper fieri, quod de salute hominum est, ideo respondet.

De II. *Qui respondens ait illis:*] *Primo* ponitur Dei ordinatio. *Secundo*, quædam ratio asignatur. 1. Dicit, ideo dico, quod in parabolis loquor, quia (*vobis datum est*, & cætera.) in quibus verbis tria ponuntur. Primo, quod quidam sunt intelli-

gentes, quidam non: Nec est attribuendum quid alicui, sed Deo ordinanti; ideo *datum est vobis*, aliis non. Et hæc est diuina ordinatio. Item 2. magnæ id vtilitatis est, quia est quædam notificatio beatitudinis: in quantum dat vobis cognitionem de mysteriis diuinis. Hierem. 9. *Quis est vir sapiens, qui intelligat hoc? Sed & ad verbum oris Domini fiat, vt annunciet illud?* Item 3. est signum diuini amoris. Ioann. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* 4. Item, hoc fit ex dono, non ex merito. Philip. 1. *Quia vobis datum est pro Christo*, &c. Et hoc *mysterium regni cælorum*, est Dei, & à Deo. 1. Corinth. 4. *Quid autem habes, quod non accepisti?*

Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit.) Quatuor sunt præparatoria ad hoc, vt detur aliquid. *Primum* est desiderium. Vnde si vis habere scientiam, præoccupat desiderium. Sap. 6. *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.* Matth. 7. *Petite, & accipietis.* Vnde qui habet desiderium, *dabitur ei, & abundabit:* Quia *ipse est, qui dat abundanter omnibus, & non improperat.* Iacob. 1. *Qui autem non habet*, etsi aliquam videatur habere aptitudinem ad sapientiã, vel iustitiam, & sit tepidus; *id quod videtur habere*, & non habet. *auferetur ab eo.* Vnde Chrysost. *Si vides tepidum, debes admonere, vt desistat: & si non vult, dimitte eum.* Apocal. 3. *Vtinam calidus esses, aut frigidus: sed quia tepidus es & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.*

Secundum, quod requiritur, est studium: & hæc est expositio Remigij. Vnde qui habet bonum ingenium,

genium, & non ſtudet, non proficiet: qui habet ſtudium, illi dabitur ſapientia, & abundabit. Prou. 2. *Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiã Dei inuenies.* Qui autem non habet ſtudium, quod videtur habere, ſc. ingenium naturale, non proficiet; ſed auferetur ab eo.

Tertium quod requiritur, charitas eſt: Quia charitas omnium virtutum radix eſt, & omnium bonorum operum. Epheſ. 3. *In charitate radicati & fundati.* Vnde ſi habet charitatem, prorumpet in omne opus bonum. 1. Cor. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt*: ſi non habet, totum ſiccatur. Vnde quodcunque bonum habet homo ſine charitate, nihil eſt, quia *qui non diligit, manet in morte.* 1. Ioan. 3.

Quartum, quod requiritur, eſt fides. Quia qui fidem non habent, alia bona ei parum valent. Sap. 1. *Apparet autem eis, qui fidem habent in illum.* Et Rom. 10 *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Et qui non habet iuſtitiam fidei, id quod videtur habere ſiue naturale, ſiue morale, auferetur ab eo. Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Dico ergo quod datum eſt vobis, quia vos habetis fidem; illi autem non eſt datum. Sed hic cauendũ eſt à quodam errore. Quia videtur, quod ex ſtudio & bonis naturalibus poſſemus acquirere gloriam æternam. Sed Paulus dicit: *Quid habes, quod non accepiſti?* Vnde & deſiderium, & ſtudium & charitas, & fides, omnia hæc ſunt à Deo.

II. CONCIONIS DISPOSITIO.

Ideo in parabolis loquor eis. Matt. 13.

SCOPVS. Parabolam adaptat ad propositum.

PARTITIO.

I. *Applicat quoad Iudaeos.*
II. *Quoad Apostolos.*

PARS I.

De applicatione parabolae ad Iudaeos.

HIc duo facit. *Primo* adaptat, ne ex odio videretur dicere: *Secundo* inducit authoritatem, ibi: (*Vt impleretur.*)

De I. Notate, quod monens ad salutem, manifestat doctrinam suis actibus. Vnde Act. 1. *Coepit Iesus facere & docere.* Et Ioan. 15. *Si opera non fecissem, quae nullus alius fecit, peccatum non haberent.* Item alibi: *Si locutus non fuissem eis, peccatum non haberent.* Vnde ante sine parabolis locutus est eis; sed modo post operationem miraculorũ. *In parabolis loquor eis,* quia (*videntes non vident,*) vident miracula, non vident affectum. Vel sic: *Videntes*, scilicet exterius, *non vident* interius. Esai. 43. *Educ foras populum caecum, & oculos habentem, surdum & aures ei sunt,* &c. (*Et audientes, non audiunt, nec intelligunt.*) Audiunt verba, quibus excitari deberent ad bonũ; tamẽ non audiũt, id est,

id eſt, non habent effectum. Ezech. 2. *Si forte audiant & quieſcant*. Et cap. 33. *In canticum oris ſui vertunt illos.* Et quid eſt, quod non vident? Quia non intelligunt. Pſalm. 81. *Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.*

De II. Conſequenter inducitur authoritas Eſaiæ Prophetæ. (*Et adimpletur. Auditu audietis*, &c.) quod ſcribitur Eſaiæ 6. Sed ibi dicitur interrogatiue; hic prænunciatiue, *& nolite intelligere, & videre viſionem, & nolite cognoſcere.*

Et tanguntur tria. *Primo*, Iudæorum duritia: *Secundo*, cauſa, ibi: (*Incraſſatum eſt*, &c.) *Tertio*, effectus ibi (*Nequando videant.*) I. Quia duo dixerat, ſc. de auditu, & de viſu; ideo duo dicit: (*Audietis*,) auditu ſ. exteriori audietis doctrinam Chriſti, (*& non intelligetis*,) myſteria. Pſal. 35. *Noluit intelligere, vt bene ageret*. Oſeæ 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.* (*Et videntes videbitis, & non videbitis.*) Videbitis carnem Chriſti viſu exteriori, & non conſiderabitis virtutem eius. *Palpauimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis attrectauimus*, &c. Eſaiæ 59.

II. Sequitur ratio: (*Et incraſſatum eſt cor populi huius*, &cæt. Quia enim de auditu fecerat mentionem, & intelligere proprie eſt mentis; ideo *cor populi huius*, id eſt, mens, incraſſatum eſt, id eſt, *excæcatum eſt.* Quare? 1. Quia, ſicut ad viſionem corporalem puritas requiritur, ſic ad ſpiritualem. Vnde intellectus dicitur vis

 ſuperior,

superior, quoniam maxime spiritualis. Incrassatur intellectus, quando applicatur grossis & terrenis; sed quando abstrahitur, tunc subtiliatur, sicut fuit in Apostolis, 2. Cor. 4. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.* Vnde isti non considerabant, nisi terrena. *Animalis homo non percipit, quæ sunt Spiritus Dei.* 1. Cor. 2. Deut. 32. *Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.*

2. Sciendum, quod, quando homo audit, quæ non placent, non potest de facili intelligere. Ergo isti male intelligebant, quia eis non placebant verba Christi, Ideo dicitur: (*Et auribus grauiter audierunt.*) Ioann. 6. *Durus est hic sermo, & quis potest hunc audire?* (*Et oculos suos clauserunt,* &c.) Aliqua sunt ita occulta, vt, nisi multum infigat intuitum, non possint videri: sed si res sit in medio, sicut paries, non potest homo non videre, nisi claudat oculos. Ideo si Dominus non fecisset miracula aperta, non esset mirum, si non crederent; sed apertissima fecit, ideo cognoscerent, nisi clauderent oculos, Dan. 13. *Declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum,* &cæt. Vnde notandum, quod in ista obduratione causa per se est homo: Deus vero non indurat, nisi nõ impertiendo gratiam, ideo istis imputatur, quod oculos clauserunt.

III. *Ne quando videant oculis.*] Hic ponitur damnum, quod consequitur ex eorum malitia; quidã enim peccant ex infirmitate, quidam ex industria siue ex certa malitia. Isti clauserunt oculos, ne intelligant: vnde tacita est eorum malitia. (*Ne conuertantur,*

tantur, & sanem eos.) scil. si conuertuntur. Hierem. 3. *Conuertimini filij reuertentes,* &c. Sic Chrysostomus. Et ponuntur tria, ne videant, ne audiant, ne corde intelligant; & respondent tribus supra dictis. August. aliter exponit. (*Ne quando videant:*) cũ modo non videant, audiant, intelligant, vt conuertantur, & sanem eos. Vnde dicit August. Possent hæc habere duplicem sensum. Quia aliquando ponitur, *ne quando*, pro eo quod est, vt possit accidere, vt habetur 2. ad Timoth. 2, *Ne quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem.* Aliquando vero ponitur pro eo, quod est, ne possit contingere, id est, hoc contingeret, nisi argueremus, &c.

Quid est, quod dicit, *incrassatum est?* Soluit August. quod contingit, vt homo superbus sit, & videatur sibi valde bonus; Deus permittit cadere in alia peccata, vt sanet eum à superbia sua. Tales sunt præsumptuosi, Rom. 10. *Ignorantes Dei iustitiam, & suã quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Quia igitur isti superbi erant, ideo permisit, vt excæcarentur, ne videant, & audiant, & sanem eos. Et hæc expositio habetur ex litera Mar. 4.

Sed litera Ioan. 12. contradicit, quia ibi dicit: Propterea non poterunt credere, quia Esa. dicit: *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos.* Non ergo sunt excœcati vt crederent, sed vt non crederent.

Secundum August. hic est quæstio grauis; quia si excæcati sunt, vt non credant; ergo non debet

eis imputari. Soluit Aug. Possumus dicere, quod hoc, quod excæcati sunt, ex præcedentibus peccatis meruerunt. Rom. 1. *Obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt.* Et sequitur post: *propter quod Deus tradidit eos in reprobum sensum*: & propter peccata indurauit, & aures aggrauauit, non indurando sed non impertiendo gratiam, propter peccata eorum. Possumus aliter dicere, secundum August. *Incrassatum*, &c. vt non videant, & conuertantur, scilicet statim: sed permanentes crucifigant Christum; & post, videntes miracula, conuertantur. Dicit Augustinus, quod videtur hæc sententia extorta, si non videmus ita accidisse de facto. Aliqui enim non reducuntur ad humilitatem, nisi in graue peccatum cadant: sic Dominus istis fecit.

PARS II.

De applicatione parabolæ ad Apostolos.

V*Estri autem beati oculi qui vident, & aures vestræ quæ audiunt*, &c.] Supra ostendit Dominus miseriam Iudæorum, qui videntes non videbant: Hic ostendit beatitudinem Apostolorum, qui videbant & audiebant. Et *primo* ostendit beatitudinẽ. *Secundo* signum ostendit, ibi: *(Amen, &c.)* I. *Vestri oculi sunt beati.*) Istud si referatur ad oculos exteriores, & aures; ita beatificantur oculi Iudæorum sicut Apostolorum: Ideo dicit Hieron. quod oporteat intelligere duplices oculos, exteriores, quibus communiter omnes viderunt; & de his non loqui-

loquitur. Interiores, quibus Apostoli soli viderũt. Ad Ephes. 1. *Det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitione eius illuminatos oculos cordis.* Similiter & sunt aures quædam exteriores, quædam interiores. de quibus supra. Esaiæ 50. *Dominus mihi aperuit aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij.* Beatitudinem tribuit in videndo. Quia hæc beatitudo in via non consistit, nisi participatione beatitudinis æternæ, quæ consistit in visione. In visione enim Dei est gloria hominis. Hieremiæ 9. *Non glorietur sapiens in sapientia sua*, & sequitur: *sed glorietur, qui gloriatur scire, & nosse me.*

II. Deinde ponit signum, (*Amen quippe dico vobis*, &cæt.) Dicit Augustinus: *Beatus est, qui habet omnia, quæ vult.* Vnde beati quibus sunt data omnia quæ antiqui voluerunt, Prophetæ scilicet, & iusti. Quilibet enim iustus rex est, vnde Prouerbiorum 20. *Rex, qui sedet in solio, dissipat omne malum.* Et hoc ideo, quia (*cupierunt videre, quæ videtis.*) Si ergo illi desiderauerunt, & non habuerunt, & vos habetis, ergo iam quandam participationem beatitudinis percipitis.

Sed quid est, quod dicit, (*& non viderunt:*) Nonne habetur Ioannis 8. *Abraham desiderauit videre diem meum, vidit, & gauisus est?* Item Esaiæ 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum.* Et capite 53. *Vidimus eum. & non erat aspectus.*

1. Vna solutio est, quod aliqui viderunt, aliqui non; Sed vt dicit Hieron. periculosum est hoc dicere.

2. Vel

2. Vel aliter, viderunt, ſed non ita manifeſte. Eph. 3. *Quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis homi- num, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis.* 3. Vel aliter, vt totum referatur ad viſionem, & auditum præſentiæ corporalis; quia videre in carne, deſiderabile fuit iuſtis. Exemplum habetur in Simeone, Luc. 2. Nonne Iudæi viderunt? Dico, quod non, quia ſolum exterius viderunt.

Sed contrarium habetur Ioann. 20. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Dicendum, quod eſt beatitudo rei, quæ habetur per participationem, & beatitudo ſpei, quæ habetur in merendo. Vnde beati qui non viderunt beatitudine ſpei ſiue meriti: & beati qui vident, beatitudine rei ſiue participationis. Vnde de Abraham dicitur, Ioann. 8. *Exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt.*

PARS III.

De expoſitione parabolæ.

V*Os autem audite parabolam ſeminantis*, &c.] Hic ponitur expoſitio. Et primo cõcludit, quod ipſi erant digni; ſecundo exponit. I. Dicit ergo: *Vos audite*, &c. quia eſtis digni audire, & per me audire. Prouerb. 1. *Audiens ſapiens ſapientior erit.* (*Omnis qui audit verbum regni*, &c.) Hic exponit, & quia fecerat mentionem de duplici terra, ideo *primo* exponit, quod dixerat de terra mala: *ſecundo*, de terra bona. Item in terra mala poſuerat tres differentias, ſecus viam, in petroſa, in ſpinoſa. Et hoc exponit.

Ad huius intellectum nota, audire verbum Dei debet habere effectum, 1. vt infigatur in corde: vnde, *Beatus qui in lege Domini meditatur die ac nocte*, Psalm. 1. & 118. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* 2. vt perducatur in opus. In quibusdam enim impeditur primus, in quibusdam secundus. De primo (*Omnis qui audit*, &c.) Et hic est qui est secus viam. Quare non intelligit? Quia *venit malus homo*, &c. (*Omnis qui audit verbum regni*,) i. Christi prædicantis regnum cœlorum; quia Christus solum regnum Dei prædicauit: Moyses terrenum. Vnde Petrus, Ioan. 6. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Aliqui sicut infideles non audiunt, Esai. 65. *Locutus sum, & non audiuistis*, &c. Aliqui audiunt: *Beati qui audiunt verba Dei*, Lucæ 11. *Non intelligit.*] Gloss. Quia audit non ex affectu, nec recõdit in corde, Ps. 35. *Noluit intelligere, vt bene ageret.* Et quid erit de isto? Capitur à furibus, quia detinetur mens à cogitationibus, & ita rapitur, & hoc est, quod dicit: (*Venit malus*,) sci. diabolus, quia malus non natura, sed peruersitate, *& rapit*, scilicet occulte, seducendo, & inducendo vanam cogitationem. (*quod seminatum est in corde eius.*) scil. semen (*hoc est quod seminatũ est secus viam.*) Seminatus aliquando nominat, quod seminatur, aliquando agrum qui seminatur. Vnde cum dicit, *quod seminatum est*, intelligitur semen; cum vero dicitur, *qui seminatus est*, intelligitur ager. Homo enim dicitur ager, de quo agro habetur Prouerb. 34. *Diligenter exerce agrum tuum*, &c. Et quomodo secus viam? Quoniam non custoditur, contra illud Prouer. 4. *Omni*

Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit. Sic homo dicitur seminatus secus viam, qui verbum recipit, sed non custodit.

II. Secũdus effectus est producere in opus, vnde Iac. 1. *Estote factores verbi, & non auditores tantum.* Effectus autem iste impeditur per prospera, & aduersa. De eo qui impeditur per aduersa, dicit: (*Qui autem super petrosa seminatus*, &cæt.) *Primo* ponit principium boni: *Secundo*, occasionem mali, ibi: (*Non habet*, &cæt.) *Tertio*, malum ibi: (*Facta autem*, &c.) Petra est malum cor, in quod non potest penetrare verbum. Tunc cor dicitur penetrabile, quando nihil præponit verbo; ita vt verbum habeat radicem principalem. Vnde Ezechiel. 11. *Auferam à vobis cor lapideum*, &c. (*Hic verbum audit*, & *continuo cum gaudio suscipit illud*,) id est, delectatur de iustitia, & pronus fit ad bonum. Galat. 3. *Qui tribuit vobis Spiritum Sanctum, operatur in vobis virtutes*, & sic delectatur, sed non potest figi, quia (*radicem non habet*,) quia in lapide seminatur. Radix autem charitas est. Ephes. 3. *In charitate radicati & fundati*, &cæt. Sapient. 1. (*Sed temporalis est*.) & ad tempus gaudet, Ecclesiast. 6. *Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis*, quia non habet radicem.

Facta tribulatione & persecutione propter verbum, &cæt.) per interiores vel exteriores aduersitates, (*Continuo scandalizantur*,) quia à fide resiliunt, Psal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*, &cæt. Ille qui perseuerat, est amicus. Et dicit *continuo*: quia, si charitatem habeant, ex multa tri-

ta tri-

ta tribulatione possent scandalizari. Sed quando *continuo* ex parua tribulatione quis scandalizatur, non est radicatus in charitate. Vnde 1. ad Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non permittit hominem tentari, vltra quam possit, sed faciet etiam cum tentatione prouentum.* Hebræorum 12. *Nondum enim restitistis vsque ad sanguinem.* Secundum Hieronymum dicit, *continuo*, quia distanter inter istum & illum.

Qui autem seminatus est in spinis, &cæt.] Hic ponitur impedimentum bene fructificandi, quod aliquando fit ex prosperitatibus, & aliquando ex aduersitatibus. Vnde dicit: *Qui autem in spinis*, &c. *hic est, qui audit*, &cæt.) Istæ spinæ sunt solicitudines huius sæculi. Sicut enim spinæ pungunt, & non sinunt hominem quiescere, sic nec istæ solicitudines. Ideo nolite seri super spinas. (*Solicitudo huius sæculi*, &c.) siue fallacia diuitiarum. Solicitudo quoad futura: (*Fallacia diuitiarum*) quoad præsentia, vnde cum abundant diuitiæ, fallaces sunt. 1. ad Timoth. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum.* Item, cum desiderantur, fallunt quãtum ad satietatem, quia non satiant. Item solicitant. Ideo Dominus Apostolis suis prohibet: *Nolite soliciti esse, quid manducetis, aut quid bibatis*, Matt. 6.

Suffocant verbum.) Superius dixit, *aruit*, hic *suffocat.* Scitis enim, quod candela potest extingui, vel propter defectũ humoris, & tũc exarsit: aliquando propter superfluitaté, & tũc suffocatur. Sic & vita naturalis, quæ fũdatur in calido & humido, potest defi-

deficere propter abundantiam humoris, vel propter defectum. Similiter cum tribulationes subtrahuntur, vt humores consolationis præsentis, cor tunc redditur instabile, & arescit. Aliquando accrescunt, & tunc suffocatur: ideo semen est sine fructu. Vnde dicit: (*Et sine fructu efficitur*) Ad Rom. 6. *Quem ergo fructum habuistis in illis in quibus nunc erubescitis?* Et sequitur: *Serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem.* Ad Ephes. 5. *Fructus enim lucis in omni bonitate & iustitia, & veritate.*

Qui vero in terram bonam seminatus est, &c.) Exposita triplici differentia ad malum subiungit ad bona: Quam distinguit per tres effectus. Primo (*audit*) Item plus (*& intelligit.*) Item (*fructum affert, & facit aliud quidem centesimum*, &c.) Exponatur sicut supra. Sciendum tamen, quod Aug. 2. lib. cap. 23. de Ciu. Dei, ponit expositionem quorundam talem, quia in die, cum Dominus veniet ad iudiciũ, multi Sancti orabunt pro multis, & prout erũt meliores, plures eis dabuntur. Vnde quibusdam dabuntur triginta, quibusdam sexaginta, quibusdam cẽtum. Sed hoc est contra fidem, quia peccata mortalia non dimittentur, quia sine charitate non possunt dimitti, vnde mortalia contraria sunt charitati, venialia non, ideo, &c.

II. CON-

III. CONCIONIS DISPOSIT. IN DOMINICAM SEXAGESIMÆ.

Exiit qui ſeminat, &c. Luc. 8.

SCOPVS. Duo erant Chriſti opera vniuerſim, Act. 1. *Docere, & Facere*. Docebat autem in parabolis ad populum: quas aperiebat ſeorſim diſcipulis, & palam confirmabat miraculis. Hic parabolam dirigit ad auditores doctrinæ ſuæ varios, vt intelligatur, quod, *ſicut multi ſunt vocati, pauci vero electi*; ita auditores multi, ſed factores verbi bene poſiti pauci.

PARTITIO.

I. De propoſitione ſimilitudinis cum quadruplici differentia audientium.

II. De diſcipulis expoſitionem dictorum ſibi fieri poſcentibus.

III. De ipſa parabolæ explicatione Dominica.

PARS I.

De ſimilitudine ad collectos propoſita cum quadruplici differentia auditorum.

DVo hic: *Primo*, Congregatio turbæ. *Secundo*, Differentia audientium.

De I. *Cum autem turba plurima conueniret.*] ad audiendam doctrinam, ſecundum illud Ioan. 18. *Ego*

m *ſemper*

Isaiæ 32. *Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bouis & asini.*

2. Vel est etiam in sermone doctrinæ. Vnde Actuum 17. *Quid vult Seminiuerbius hic dicere?* Isto semine multiplicata est Ecclesia. 1. Petr. 1. *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per Verbum Dei viui, & permanentis in æternum.* De eo hic. Estq; semper in se bonum: sed variatur ad differentiam terræ suscipientis. 1. Nam quædam id suscipit, sed non retinet: Vnde (*Dum seminat, aliud cecidit secus viam:*) in qua non est retentio, sed obliuio; ob strepitus & discursus. Lucæ 18. *Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans, & dum clamaret, turbæ increpabant eum, vt taceret.* Vnde hic non est locus fructificationis, quia non est retentio seminis. Nam (*Conculcatum est*) à pedibus hominum: (*& volucres cœli comederunt illud,*) id est, morsus dæmonum. Deuteronom. 32. *Consumetur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarißimo.* Matthæi 7. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis.* Vnde intelligitur, duo expellere semen de corde: scilicet malæ suggestiones hominum, & tentationes dæmonum. Vno Hebr. 14. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci, optimum est enim gratiâ stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Quare cor ab iis abducendum est: *Vt non simus sicut paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Ierem. 2. *Quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis*

SECVNDA DIFFERENTIA terræ. Quæ recipit, & quodammodo retinet, sed non fouet. De ea dicitur: (*Aliud cecidit super petram,*) id est cor durum. Zachar. 7. *Cor durum posuerunt, vt adamantem, ne audirent, & verba quæ misit Dominus.* Iob 41. *Cor eius indurabitur quasi lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.* Hæc cur semen non fouet? Quia (*Natum aruit, quia non habebat humorem.*) In tali terra subito nascitur, & moritur. Psalm. 120. *Sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur, exaruit.* Isa. 18. *Ante messem totus effloruit, & immatura profectio germinabit,* scilicet deficiente gratia, vt Isa. 15. *Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.* Idque ob petras. Amos 6. *Nunquid poterunt currere in petris equi?* id est, prædicatores. Iob 12. *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur.* Contrarium ait Ierem. 17. *Erit quasi lignum, quod transplantetur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas; & non timebit, cum venerit æstus: & erit folium,* &c.

TERTIA DIFFERENTIA terræ, quæ retinet & fouet; at non complet ad fructum. Ideo ait: (*Aliud cecidit inter spinas,*) id est, mundanas solicitudines, quæ multis gratæ. Iob 30. *Esse sub sentibus delitias computabant filij stultorum & ignobilium.* Istis spinis repleta est terra, Isaiæ 7. *Vepres & spinæ erunt in vniuersa terra.* Idque merito maledictionis primæ. Genes. 3. *Maledicta terra in opere tuo,* &c. *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Ideo (*exortæ spinæ*) cum semine, (*suffocauerunt illud.*) Quia plus crescunt in cordibus cogitationes carnales, quam spiritales. Isaiæ 5. *Super humum populi mei vepres & spinæ ascendent.*

dent. Quia vilipendunt ſpiritalia. Prouerbiorum 14. *Per agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti, &c. operuerant ſuperficiem eius ſpinæ.* Ideo Ieremiæ 4. *Nouate vobis nouale & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Quia Hebr. 6. *Terra proferens ſpinas ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima; cuius conſummatio in combuſtionem.*

QVARTA DIFFERENTIA terræ, quæ recipit, retinet, fouet, & fructum affert. Vnde (*Aliud cecidit in terram bonam.*) id eſt, mẽtem docilem & benignam. De qua Exodi 3. *Vidi afflictionem populi mei, &c. Et educam eum de terra illa in terram bonam & ſpecioſam.* Bona terra: Hebr. 6. *Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipiet benedictionem à Deo.* Secundum Pſalm. 84. *Benedixiſti Domine terram tuam.* Hæc benedictio eſt in completione fructus, ideo dicitur: (*ortum fecit fructum centuplum.*) Impletur Pſalm. 84. *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Geneſ. 26. *Seuit Iſaac in terra illa, & inuenit in ipſo anno centuplum.* Expreſſius Matth. 13. tres in hoc gradus indicat: (*Aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum.* Idq; ob tres ſtatus continentiæ; Vel tres gradus iuſtitiæ. Lucas vero tangit differentiam ſupremam, in qua aliæ includuntur. Et nota: Multæ ſunt differentiæ malæ; at bona vna. Secundum quod Matt. 22. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Ideo conqueritur Dominus Mich. 7. *Væ mihi, quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ.* Ratio Matt. 7. *Intrate per anguſtã portam, quia lata porta & ſpacioſa*

via est, qua ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam, &c.

PARS II.

Depostulata ab Discipulis dictorum expositione.

QVatuor hic: *Primo*, Admonitio magistralis. *Secundo*, Interrogatio disciplinalis. *Tertio*, Prælectio familiaris. *Quarto*, Reprobatio iudicialis. Primum excitat; secundum rectificat; tertium cõfortat; quartum humiliat. De I. (*Hæc dicens clamabat:*) attentioni excitandæ. Vt Ioan. 7. *In nouissimo die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Hoc est enim prædicatoris officium. Isa. 58. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum.* Excitat verborum & modo, & sensu. Ideo addit: (*Qui habet aures audiendi, audiat.*) Gregorius homilia 15. in Euangel. spiritaliter illa intelligit; & Beda ait: *Vbicunque hæc admonitio interponitur, mysticum esse, quod dicitur, & attentius considerandum ostenditur.* Id quod ipsa multiplicatio notat: Vt Isaias 58. *Auribus percipite, & audite vocem meam: attendite & audite eloquium meum.* Vnde ad talem exhortationem potest auditor dicere illud: *Erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum.* Ideo Iob 42. *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te.* NOTA hic tres gradus audiendi. 1. Audire exterius. 2. Credere. 3. Intelligere.

De

De II. *Quoad interrogationem disciplinalē.*

Interrogabant eum discipuli.] vt scilicet dirigerentur ab eo. Secundum Eccles. 33. *Qui interrogationē manifestat, parabit verbum, & sic deprecatus exaudietur; & conseruabit disciplinam, & tunc respondebit.* Neque statim interrogarunt, sed audito Christo statuerunt interrogare. Vnde Marci 4. *Et cum esset singularis, interrogauerunt eum.* Quia autem interrogatio de occultis, ideo additur: [*Quæ est hæc parabola ?*] Intellectum capere optabant. Secundum Prouer. 1. *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Animaduertet parabolam & interpretationem.* Ecclesiast. 39. *Sapiens occulta prouerbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum versabitur.*

De III. *Vobis datum est nosse, &c.*] intelligentiam Scripturæ, quæ dicitur regnum Dei, Matt. 21. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Dicitur autem sic, quia prædicat regnum Dei, & ostendit, & promittit, & obedientem ipsi ad regnum Dei perducit. Ioa 5. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. Et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis.* Ideo dicitur: *(Vobis datum est,)* vt electis ad hoc. Vnde Matth. 10. *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Signanter dicit. 1. *(Datum)* non venditum, vt gratiam cognoscamus. Gratis accepistis, gratis date. 2. *(Datum,)* & non mutuatum. Luc. 21. *Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere & resistere omnes aduersarij vestri.*

3 *Datum)* & non acquisitum: Iac. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Atq; eo confortat eos, vt familiariter electos, ne deficiant ab inquirendo. Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro Dare vobis regnum.*

De IV. *Quoad iudicialem reprobationem humiliantis. Cæteris autem in parabolis*, datum est nosse; quod potius est ignorare. Isa. 28. *In loquela enim labij, & in lingua altera loquetur ad populum istum.* Iuste, Nam nō vult Sancta communicare immundis. Matth. 7. *Nolite dare Sanctum canibus.* Ideo subdit, *(Vt videntes non videant.) Vt* non est hic causale, sed consecutiuum, sicut Ioan. 9 *In iudicium in hunc mundum veni; vt, qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant.* Isa. 29. *Claudet Dominus oculos vestros, Prophetas & Principes vestros, qui vident visiones, operiet: & erit vobis omnis visio sicut verba libri signati: (Videntes, non videant.)* Nō contradictio est; quia primum refertur ad visum exteriorem; alterum ad interiorem. Vt Isa. 43. *Educ foras populum cæcum, & oculos habentem; Surdum, & aures ei sunt.* Ibid. *Auditu audientes, & nolite intelligere; & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude.* Vnde 2. Cor. 3. *Vsq; in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Iuste. Rom 12. *Nolo enim vos fratres ignorare mysterium hoc: vt non sitis vobis ipsis sapientes. Quia cæcitas ex parte contigit in Israel; donec plenitudo gentium intraret.* Ideo Rom. 12. *Noli altum sapere, sed time, si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat.* Et hæc humilitas est

oportu-

oportuna ad intelligenda mysteria. Quia Matth. 11. *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.*

PARS III.

De explicatione parabolæ.

IN hoc fit informatio Apostolorum. (*Semen est Verbum Dei.*) Quia per illud renascimur, vt fiamus sancti. Iacobi 1. *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis.* Semen accipit ab auditoribus dispositionem, sic, vt in aliis sit, *Primo*, Conculcatum. *Secundo*, arefactum. *Tertio*, suffocatum. *Quarto*, in aliis multiplicatum. De I. conculcato semine. (*Qui secus viam, hi sunt*, &c.) Etiam auditores dicuntur semen. Ierem. 31. *Seminabo domum Israel, & domum Iuda semine hominum, & semine iumentorum*, id est, perfectorum & imperfectorum. Isti sunt obliuiosi, qui non retinent, quod audiunt. Quia dæmones id abripiunt. Id signatur Iudic. 6. *Cumque seuisset Israel, ascendebat Madian, & Amalech: sicut erant in herbis, cuncta vastabant.* Causam sic insidiantis, addit; (*Ne credentes salui fiant.*) Nam Mar. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*, &c. Damnatus ipse nostram damnationem quærit. Apoc. 12. *Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.*

De II. Quantum ad explicationem seminis arefacti in corde desidiosi. (*Nam qui supra petram, sunt qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbũ.*) Et hoc quidem est laudabile secundũ illud Act. 27. *Susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie scrutantes*

Scripturas. Sed tamen in hoc ſunt reprehenſibiles; quia non fouent ſemen, nec volunt laborare. Ideo ſubdit: [*Et hi radices non habent,*] id eſt, firmitatem charitatis, de qua Eph. 3. *In charitate radicati & fundati.* Sed potius amorem libidinoſum, ſiue adulterinum: & ideo non proficiunt. Sap. 4. *Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentum collocabunt.* Quia Oſeæ 9. *Radix eorum exſiccata eſt, fructum nequaquam facient.*

Et quod iſti non habeant radices confirmatas, oſtendit, cum ait: (*Qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt,*) ſc. à Deo, ſecundum illud: *Receßit à Deo ſalutari ſuo.* Sed hoc competit huiuſmodi deſidioſo, ſecundum illud Deut. 32. *Quam aſpera eſt nimirum ſapientia indoctis hominibus, & non permanebit in illa exors.* Sed ſicut dicitur Eccleſ. 6. *Væ eis, quoniam receſſerunt à me.* Diuerſum dicit Iob 27. *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.* Et ideo hortatur Eccleſ. 2. *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animã tuã ad tentationẽ.*

De III. *Quantum ad expoſitionem ſeminis ſuffocati in corde negotioſo* (*Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt, qui audierunt,*) id eſt, illi ſignantur per illud. Et nota, quod auditus attribuitur omnibus, vt nullus ſe poſsit excuſare. *Nunquid non audierunt?* Rom. 10. *Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sed tamen non omnes faciunt fructũm ſpiritualem, quia impediuntur à curis carnalibus. Ideo ſubditur: (*Et à ſolicitudinib.*) ſc. intra: (*& diuitiis,*) ſc. extra. (*& voluptatibus vitæ,*) ſc. infra. In quo tangitur triplex bonum cõmutabile,

bile, sc. interius, exterius, inferius. (*Euntes suffocantur,*) i. vitam spiritualem perdunt. Nam 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Merito igitur suffocari dicuntur. Vnde perdendo vitam interiorem, perdit per consequens efficaciam exteriorem. Hinc subditur: *Et non referunt fructum.*) Scribitur enim Eccl. 5. *Qui amat diuitias, fructũ non capiet ex eis.* Quia sicut dicitur Psalm. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Roma. 6. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* q. d. nullum. Vnde merito diuitiæ & voluptates comparantur spinis, tum quia fructum non afferunt, tum quia fructum impediunt, tum etiam quia habentem affligunt. Eccl. 2. *Peccatori dedi afflictionem, & curam superfluam, vt addat, & congreget, & tradat ei, qui placuit Deo. Sed & hoc vanitas est, & cassa solicitudo mentis. Dulcis est somnus siue parum, siue multum comedat. Saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.* Vnde Eccl. 5. *Quasi super spinas iacet.* Beda hic: *Diuitiæ etsi delectare videantur, tamen possessoribus suis spinæ sunt: quia cogitationũ suarum punctionibus mentem lacerant: Quæ auide quæruntur, & solicite seruantur.*

De IV. *Quoad semen multiplicatum in corde fructuoso.* (*Quod autem in bonam terram cecidit.*) Numer. 14. *Terra, quam circumiuimus, valde bona est.* (*Hi sunt, qui in corde bono,*) quoad potentiam cognitiuam. Ecclesiast. 37. *Cor boni consilij statue tecum.* Eccles. 3. *Sapiens cor, & intelligibile abstinebit se à peccatis.*

(Et

(*Et optimo,*) ſcilicet quoad effectiuam. Heb. 3. *Optimum eſt gratia ſtabilire cor.* (*Audientes verbum retinent,*) ſcilicet quoad memoratiuam. Prouerb. 3. *Fili mi, ne obliuiſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat.* (*Et fructum afferunt.*) ſcilicet, quoad Operatiuam. Iſa. 30. *Dabitur pluuia ſemini tuo, vbicunque ſeminaueris in terra, & panis frugum terræ erit vberrimus, & pinguis* (*In patientia,*) ſcilicet, quoad paſsiuam vim ac ſupportatiuam. In qua eſt conſummatio meriti boni. Iac. 1. *Patientia opus perfectum habeat, vt ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* Vnde ipſa perducit ad fructum. Iacobi 5. *Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & ſerotinum.* Hebr. 10. *Patientia enim vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes reportetis promiſsionem.* Heb. 12. *Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſsimum exercitatis, per eam reddit iuſtitiæ.*

NOTA. Semen eſt Verbum Dei. 1. Quia tenet rationem principij actiui: Ioann. 8. *Principium, qui & loquor vobis.* Matt. 13. *Qui ſeminat bonum ſemen, eſt Filius hominis*, ſcilicet, principium omnis boni. 2. Quia tenet rationem principij propagatiui. Ioa. 5. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Ideo Marci 4. *Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, & dormiat: exurgat nocte ac die,* &c. Gen. 1. *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen & lignum pomiferum faciens fructum,* &c. 3. Quia tenet rationem principij multiplicatiui. Ioann. 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit,*

fuerit, multum fructum affert. 1. Corinth. 15. *Insipiens tu, quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur.* Huiusmodi autem semen est Verbum Dei increatū, vt inspiratum, vt incarnatum, vt prædicatum, & vt exemplatum.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

Ascendens Iesus Ierosolymam assumpsit duodecim. Matt. 20.

Ordinaria lectio Euangelij sumitur alias ex Luc. c. 18.

SCOPVS. Occasione Zebedæidum, consortium regni petentium, de sua passione dicere exorditur Dominus, vt ad hanc meditandam animos à spe ac spiritu vanitatis auocaret.

PARTITIO.

I. *De reuelatione passionis.*
II. *De illuminatione cæci, quæ proprius est passionis effectus.*

PARS I.

De reuelatione passionis.

DE hac tria aperit. 1. Locum. 2. Passionem. 3. Resurrectionem.

De I. *Et ascendens,* &c] Matt. 9. dictum est, quod relicta Galilæa venit in Iudæam, & non statim ascendit

ſcendit Hieroſolymam, ſed poſtmodum imminente paſsione. Vnde dicit, (*Et aſcendens,*) i. cum erat in propoſito aſcendendi. Hieroſolyma erat locus altus (*Accepit duodecim diſcipulos ſecreto,* &c.) Quare ſecreto: 1. Quia magna eis oſtendere volebat; ideo omnibus non erant communicanda, Mat. 13. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni cœlorum* 2. Ad vitandum ſcandalum, quia qui nondum perfecti erant, auerſi fuiſſent ab eo, ſi audiſſent mortem eius; mulieres prouocatæ fuiſſent ad lachrymas. Itē ſciendum, quod Iudas nondum malum conceperat, ideo Dominus eum à ſocietate non repulit. (*Et ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam,* &c.) hic notatur firmitas ſui propoſiti. Vnde, *Ecce,* id eſt, ſum in eodem propoſito, & in eadem voluntate, quia nō mutor. Eccl. 27. *Stultus vt Luna mutatur, ſapiens autē in ſapientia manet ſicut Sol.* Item, propria voluntate, Eſa. 53. *Oblatus quia ipſe voluit.* (*Hieroſolymam*) Lucæ 13. *Non capit Prophetam perire extra Hieruſalem.* Quare? Quia erat locus legis & ſacerdotalis: & vtrumque conueniebat Chriſto, quia ſicut Sacerdos vetus debebat immolari pro populo: ſic & Chriſtus hoſtiam obtulit pro mundo. Item, per paſsionem regnum acquiſiuit. Item, Hieroſolyma interpretatur viſio pacis. Col. 2. *Pacificans,* &c.

De II. Conſequenter prænuntiatur paſsio. Et frequenter commemorauit ſuam paſsionem, vt eam reduceret ad memoriam. Et tangit tria ad paſsionem pertinentia. 1. Quia paſſus eſt à diſcipulo traditionem. (*Et Filius hominis tradetur,*) ſc. à diſcipulo. De iſta traditione Mat. 27. & Pſ. 40. *Qui edebat*

debat panes meos, magnificauit super me supplantationem, &c. A principibus sacerdotum & scribis condemnationem. Vnde (*& condemnabunt eum morte*) Iob 34. *Quomodo tu eum qui iustus est, in tantum condemnas*? Sap. 2. *Morte turpissima condemnemus eum*. 3 *Et tradent eum gentibus*,) quia Iudæi in manus gentium eum tradiderunt. Vnde Pilatus: *Gens tua & pontifices tui tradiderunt te mihi*, &c. Ioan. 18.

Tria tangit, quæ fecerunt ei: contra tria quæ maxime appetunt homines, sc. Honorem, Quietem, & Vitam. Contra honorem, illusus est, vnde dicit: *Ad illudendum*.] Hierem. 20. *Factus sum in derisum tota die*. Psal. 37. *Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt*, &c. Contra quietem: Flagellatus est: vnde *Ad flagellandum*,] Esa. 50. *Faciem meam dedi percutientibus, & genas meas vellentibus*, &c. Contra tertium, Occisus: vnde: *Et crucifigendum*,) Philip. 2. *Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*

De III. Deinde agit de resurrectione. *Et tertia die resurget*.) Hoc autem fecit Deus Pater. Vnde Actor. 2. *Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*. (*Et tertia die*) Secundum Augustinum significatum est, quod suum simplum destruxit nostrum duplum. Ose. 6. *Viuificabit nos post duos dies, & die tertia suscitabit nos*.

II. CON-

II. CONCIONIS DISPOSITIO. DE DOMIN. QVINQVAGESIMÆ

Assumpsit Iesus duodecim, &c. Luc. 18.

SCOPVS. Ostenderat dictis ac factis Dominus paupertatem voluntariam tam appetendam esse, quam commendandam, ob eximia eiusdem merita: iam nunc eam quoque docet esse assumendam, ob Christi Seruatoris exemplum imitabile. Et quia isthoc videri poterat nonnullis contemptibile in speciem, quod humanæ infirmitatis plenum esset, ideo ostendit hic idem plenum esse diuinæ dignationis, simulque miraculo confirmat.

PARTITIO.

I. *De exemplo Christi passuri prænunciato.*
II. *De miraculo cæci illuminati, eiusdem effectum repræsentante.*

PARS I.

De exemplo Christi passuri prædicto.

HIc quatuor. *Primo:* Benignitas Magistri. *Secundo*, Profunditas mysterij. *Tertio*, Acerbitas supplicij. *Quarto*, Cæcitas cordis humani, talis exempli respectu. De I. *Assumpsit autem Iesus duodecim.*) Singularis cuiusdã hoc familiaritatis fuit, idemq; miræ

miræ dignationis & benignitatis. Deut. 32. *Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris. Assumpsit autem,*]vt eos consolaretur docendo, & consolando doceret. Ideo subdit: (*Et ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam.*) vt ad locum passionis. Glossa hîc: Præuidens ex passione sua discipulos perturbandos, prædicit & passionis pœnam, & gloriam resurrectionis: vt cum moriendum ei cernerent, resurrecturum non dubitarent. Vtramq; prædicit Ierosolymis futuram, & passionem, & resurrectionem. Nam Luc. 13. *Non capit Prophetam perire extra Ierusalem.* Ratio, quia is locus erat sedes Regni, Sacerdotij, Magisterij, & Iudicij: ideo pati oportebat ibidem Regem, Sacerdotem, Magistrum, & Iudicem. Nimirum. 1. Vt ibi regnum auspicaretur, iuxta Psalm. 100. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion,* &c. id est, sceptrum regni. 2. Vt exiret salus inde & remedium. Sic Isaiæ 62. *Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec regrediatur, vt splendor, iustus eius.* 3. Vt existeret ibidem Magister. Iuxta Deut. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia, quæ præcepero illi.* 4. Vt exiret etiam indidem lex & iudicium. Isai. 2. *Venite, & ascendamus ad montem Domini* &c: *quia de Sion exibit lex & verbum Domini de Ierusalem.*

Itaque *ascendit,*]vt in cruce passurus Regnum virtutis, Sacerdotium sanctitatis, Legem iudicij, ac veritatis gentibus daret. Ideo quoque ipsa Ierusalem typum gerit Ecclesiæ & animæ sanctæ. Vnde

Isaiæ 4. *Omnis, qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur, omnis, qui scriptus est in vita, in Hierusalem.*

De II. *Quoad profunditatem mysterij.*

Et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.] In quo omnis prophetiæ consummatio est: idem quoque sit profundissimum necesse est. Atque illa inest in passione, secundum triplicem dignitatem, regni, magisterij, sacerdotij, iudicij: & secundum triplicem perfectionem, virtutis, veritatis, bonitatis, & iustitiæ: iuxta Isai. 33. *Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster, Dominus saluabit nos.* Rex regit nos per præcepta & iudicia. Magister, nos erudit per mysteria & exempla. Sacerdos, nos sanctificat per sacrificia & sacramenta.

Cum igitur hæc sex in cruce sint consummata, ideo prædicitur hic: (*Consummabuntur.*) Et vero cõsummata sunt 1. *Præcepta,* propter nimiam charitatem. Quia 1. Timot. 1. *Finis præcepti est charitas.* De qua Psalm. 118. *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* 2. *Iudicia* consummata sunt, propter nimiã seueritatem in seipsum. Isai. 10. *Consummatio abbreuiata inundauit iustitiam.* Isa. 28. *Consummationem & abbreuiationem audiui à Domino.* 3. *Mysteria* consummata. Apoc. 10. *In diebus veris septimi Angeli consummabitur mysterium Dei, sicut euangelizauit per seruos suos Prophetas.* 4. *Exempla.* Hebr. 2. *Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, Autorem*

torum salutis eorum, per passionem consummari. 5. *Sacrificia*. Heb. 10. *Vna in oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* 2. Mach. 1. *Orationem faciebant omnes sacerdotes, dum consummaretur Sacrificium, &c.* 6. *Sacramenta*: Ierem. 13. & Heb. 8. *Consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum.* Idque in Sanguine Christi consummatum est. Hebr. 9 *Hic est Sanguis Testamenti, quod mandauit, &cæt.* Et ex hoc impletum est Testamentum vetus. In cuius figuram dicitur Luc. 13. *Ecce seniles perficio hodie, & cras, & tertia die consummor.* Ioan. 19. *Sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, &c. dicit: Sitio.* Subditur: *Cum ergo accepisset acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit Spiritum.* Impletum Eccl. 34. *Sine mendacio consummabitur verbum legis, & sapientia in ore fidelis complanabitur.*

De III. *Quoad acerbitatem supplicij.*

Tradetur enim gentibus.) vt extraneus. Psalm. 87. *Traditus sum, & non regrediebar.* Huius figura fuit Ioseph. Gen. 3. Qui venditus à fratribus est. 2. (*Et illudetur,*) vt stultus. Figura in Iob 30. *Nunc deridentme iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus, &c.* Marc. 15. *Induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam: & cœperunt salutare eum: Aue Rex Iudæorum, & percutiebant caput eius arundine.* 3. (*Et flagellabitur,*) vt infirmus. Ps. 72. *Fui flagellatus tota die.* Is. 50. *Corpus meũ dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Ioa. 19 *Apprehendit Pilatus, & flagellauit eũ.* 4. (*Et conspuetur,*) vt immũdus Is. 50. *Faciẽ meã non auerti ab increpantibus & conspuentib. in me.*

rum ignorantium Scripturas. Iuxta Iob 56. *Ipsi Pastores ignorauerunt intelligentiam.* 2. (*Et erat verbum istud absconditum ab eis.*) Quia veritatem hanc non perquirebant. Iob 28. *Vnde sapientia venit? Et quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viuentium.* In hoc gerebant Apostoli figuram Iudæorum, quibus diuina secreta velantur. 2. Corint. 3. *Cum legitur Moyses, positum est velamen super cor eorum.* Quia nondum velum erat scissum per Passionem. Matt. 27. 3. (*Et non intelligebant, quæ dicebantur:*) Quia hanc veritatem non diligebant. Cum enim Christum carnaliter diligebant, displicebat eis, quod Christus debebat pro nobis mori. Vt Petrus dicebat: Matth. 19. *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Vnde Glossa Bedæ: *Discipuli sermonem Dominicæ passionis toties replicatum ideo intelligere non valent.* Quia, quem maxime viuere desiderant, eius mortem audire non poterant, & quem non solum innocentem hominem, sed & verum Deum esse sciũt, mori posse non putant. Et quoties dicit aliquid de sua passione, hoc allegorice dictum putant. Ex quo patet cæcitas cordis humani, quæ mysteria redemptionis suæ non intelligit nisi Deus tanquã cæco lumen ostendat suæ lucis, & reddat contuitum veritatis. Ideo recte sequitur illuminatio cæci, generis sc. humani. Hoc enim per se ignorat redemptionis opus quoad factum, rationem & mysterium. 1. Cor. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalũ, Gentibus autem stultitiam.* Necesse est igitur, vt sensum intelligentiæ nobis aperiat Christus.

PARS II.

De miraculo cæci illuminati.

IN hoc, Christi patet potestas, ac benignitas, & mendicantis non despicitur paupertas. Verum quatuor hic. *Primo*, Oportunitas mendicantis. *Secundo*, importunitas supplicantis. *Tertio*, Liberalitas medentis. *Quarto*, Integritas sanitatis.

De I. *Factum est autem, cum appropinquaret Iericho, cæcus sedebat secus viam mendicans.*] Vere mendicus, qui panis & lucis est indigus. Designat vero genus humanum, cæcum, ob defectum sapientiæ: mendicans, per defectum gratiæ & iustitiæ. Vnde potest ipsi dici hoc Apoc. 3. *Nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* De Pharisæis Matth. 15. *Sinite illos, cæci sunt: & duces cæcorum.* 1. Excæcatum est vero per cupiditatem temporalium. Psalm. 57. *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Huius est figura Tobias cap. 2. cæcatus de stercoribus hirundinum. 2. Adde, quod cæcus esset iuxta Iericho, id est, Lunam. Ideo notat mutabilitatem temporalium, quorum amore cæcatur homo, & stultus fit. Ecclesiast. 27. *Homo sanctus in sapientia manet sicut Sol: nam stultus sicut Luna mutatur.* [*secus viam:*] Non in via erat. Sap. 5. *Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Sed tunc se cæcus collocat, (*secus viam,*) cum ad lumen veritatis se vertit, ex consideratione suæ inopiæ, ac mutabilitatis. Vnde Glossa:

Gloſſa: *Dum Verbum Dei infirmitatem noſtræ carnis ſuſcipit, homo ad cognoſcenda diuina redit.*

De II. *Quoad importunitatem poſtulantis.*

Et cum audiret turbam prætereuntem.] Dat hic nobis exemplum orandi. Matth. 7. *Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis.* Quærit: nam (*Interrogabat, quid hoc eſſet,*) à turba tranſeunte: Hæc eſt decurſus creaturarum, quæ interrogatæ quodam modo nos ducunt ad Saluatorem. Iob 12. *Interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi: loquere terræ, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit, in cuius manu anima omnis & viuentis ſpiritus vniuerſæ carnis.*

Dixerunt autem ei, quod Ieſus Nazarenus tranſiret.] 1. Creaturæ omnes reſpondent nobis de Verbo incarnato. Dan. 3. *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Sap. 13. *A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri. Quia inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Secundo: Creaturæ quoque per Verbum Scripturæ reſpondent nobis de Verbo Incarnato. Ioannis 5. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere. Et illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Quia finis legis Chriſtus eſt ad Iuſtitiam. Vnde Deuter. 32. *Interroga patrem tuum, & nunciabit tibi.*

Petit deuote: Nã (*Clamauit dicens: Ieſu Fili Dauid miſerere mei.*) 1. Clamore oſtẽdit exceſsũ deſiderij.

Nam Rom. 8. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* 2. (*Iesu.*) Hic ostendit fiduciam spei. Psalm. 21. *Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum.* Sæpe etiam vocat Iesum, id est, Saluatorē. Quia Rom. 8. *Spe salui sumus.* 3 (*Fili Dauid.*) Ostēdit in se intelligentiam fidei de Christo nato ex semine Dauid. Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute.* Matt. 21. *Osanna Filio Dauid,* &c.

Sed obstacula orationi nostræ ponunt imaginationes rerum: ideo dicitur: (*Qui præibant, increpabant eum, vt taceret*) Glossa: *Qui Iesum venientem præeunt, significant tumultus carnalium desideriorum, qui dissipant cogitationes hominis, & perturbant vocem orationis, ne Iesus ad illuminandum venire possit cor hominis.* Ergo obstaculum sunt ij orationi. Thren. 3. *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Ideoque opus est importuna pulsione. Vnde cæcus (*multo magis clamabat: Fili,* &c.) Psalm. 87. *Domine Deus salutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te.* Et hæc vis orationis ex vera fide procedit. Chrysost. hic: *Talis est natura fidei quanto magis vexatur, tanto magis accenditur.* Ob quod serui Dei in persecutionibus non minuuntur. Vnde Glossa: *Credens se phantasmate priorum peccatorum impediri, quo minus exaudiri possit, ardentius clamat.*

De III. *Quoad liberalitatem medentis.*

Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se.) Stat, quia in se immutabilis est. Psalm. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni,* &c. Glossa: *Iesus transiens cæcum audit stans illumi-*

illuminat, quia per humilitatem suam nostræ cæcitatis vocibus compatitur: Sed per diuinitatis suæ potentiam lumen nobis gratiæ suæ infundit. (*Iussit illum adduci ad se.*) Etsi per orationem videamur eum trahere ad nos, ipse tamen magis nos trahit ad se, sicut nauis ad petrã, vt S. Dionysius ait: Trahit, & simul tamen adduci jubet. Cant. 1. *Trahe me post te.* Trahimur ad eum, cum excitamur mente, & supra nos excedimus. Ideo Marc. 10. de hoc cæco dicitur: *Qui proiecto vestimento suo exiliens venit ad eum.* Ita festinanter sequamur trahentem, & arcana eius audiemus. Psa. *Audiam, quid loquatur in me Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam.*

Deo vicissim mira Dei promptitudo est ad nos, Vnde (*Cum appropinquasset, interrogauit illum dicens: quid tibi vis, faciam.*) In quo apparet liberalitas dantis, quia offert se beneplacito postulantis. Glossa: *Non ex ignorantia Dominus quærit, sed ideo, vt rogetur, & mentem ad orationem excitet.* Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem meum in nomine meo, dabit vobis.*

Et quia in nomine Iesu petens, salutaria petit; ideo subdit: (*Domine, vt videam.*) Glossa. *Non petit cæcus aurum, vel temporale, sed tãtum lumen.* Imitemur sanatum corpore & mente. Iacob. 1. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, & dabitur ei.* Exemplũ 3. Reg. 3. Apparuit Dominus Salomoni, & dixit: *Postula, quid vis, vt dem tibi.* Subditur: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, &c. Placuit sermo coram Domino, quod Salomon postulasset huiuscemodi rem, &c.*

De IV. *Quoad integritatem sanitatis.*

(*Et Iesus dixit illi: respice, fides tua te saluum fecit.*) per infusionem diuinæ gratiæ: Per respectum nã-que fides cor nostrum erigitur ad iustitiam. Ro. 5. *Iustificati per fidem, pacem habeamus ad Deum.* Et hæc est prima virtus Christiana. Heb. 11. *Credere oportet accedentem.* Nam *Fides est sperandarũ substãtia rerũ.* &c.

Et confestim vidit,) per circumspectionem prudentiæ. Eph. 5. *Videte fratres, quomodo caute ambuletis.* Prou. 4. *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* (*Et sequebatur eum, magnificans Deũ.*) per subiectionem obedientiæ. Glossa: *Videte,* &c. *qui bonum, quod intelligit, operatur, is Iesum prætereuntem imitatur.* Ioann. 8. *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

[*Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo,*] per manifestationem diuinæ gloriæ: hoc enim est opus, in quo summe manifestatur potentia, sapientia, & misericordia, quando scilicet de peccatore fit iustus, de stulto sapiens, de errante fidelis, deque impio virtuosus. Ideo de hoc maxime laudandus Deus est. Gal. 1. *Eram ignotus facie Ecclesiis Iudææ, quæ erant in Christo: tantum autem auditum habebant: Quoniam, qui persequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat: & in me clarificabant Deum.* Idem faciamus Eccl. 43. *Glorificantes Dominum, quantumcunque potueritis, superualebit adhuc & mirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum potestis. Maior enim est omni laude.*

DOMI-

DOMINICA I. QVADRAGES.

Ductus est Iesus in desertum, Matt. 4.

SCOPVS. Ad doctrinam orbi inferendam iam Christus se præpararat baptismum accipiendo: Nunc autem tentationem superando.

PARTITIO.

I. *Præambula tria.*
II. *Tentatio Gulæ.*
III. *Tentatio secunda vanitatis.*
IV. *Tentatio tertia Ambitionis.*
V. *Victoria Christi.*

PARS I.

De præambulis.

HÆc tria sunt. Locus, Ieiunium, Experientia famis. I. De loco quatuor: Tempus, Locus, Ductor, & finis huius ducatus. 1. Tempus (*Tunc*,) quando scilicet iam declarabatur voce paterna, quod esset Filius Dei. In quo datur intelligi, quod illis tentatio imminet, qui efficiuntur filij Dei per Baptismum. Eccl. 2. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*, &c. Illud desertum erat inter Ierusalem & Iericho, vbi multi occidebantur. De quo Lucæ 10. *Homo quidam descendit ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.*

Nota

Nota quinque rationes, quare quis post acceptam spiritualem gratiam tentatur. *Prima:* Vt accipiat experimentum suæ iustitiæ, Eccles. 30. *Qui non est tentatus, qualia scit? Secunda* ad reprimendã superbiam. 2. Cor. 12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet,* &c. *Tertia* ad confundendum Diabolum, vt sciat, quanta sit virtus Christi, vt eum superare non posit. Huius exemplum habetur Iob 1. *Nunquid considerasti seruũ meum Iob?* &c. *Quarta* vt fortior reddatur, sicut milites fortes redduntur per experientiam, Iud. 3. *Quare voluit dimittere hostes cum filiis Israel? Quinta* vt suam dignitatem cognoscat, quia quando diabolus aggreditur aliquem, hoc cedit ad honorem: quia diabolus Sanctos aggreditur, Iob 40. *Cibus eius fœnum,* &c. *& habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius.*

2. Sequitur de loco. *Tunc ductus est Iesus in desertum.*) Hoc conuenit præcedentibus, & subsequẽtibus, quia cõueniens fuit, vt post baptismum desertum intraret. Hoc significatur in populo Israelitico, qui post transitum maris rubri, figuram baptismi, in terram promisionis venit per desertum & solitudinem: Ita Baptizati vitam solitariam & quietam debent quærere, corpore mundum derelinquendo; vel mente, Oseæ 2. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius,* &c. Psalm. 54. *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Conueniens enim erat, vt exiret in desertum, quasi ad singulare certamen cum diabolo. Chrysosto. *Ille in desertum vadit, qui exit extra fines,* id est, *voluntatem carnis & mundi,*

mundi, vbi non est locus tentationis. Quomodo enim de libidine tentaretur, qui tota die est cum vxore? Sed qui non exeunt à voluntate carnis, & mundi, non sunt filij Dei, sed filij Diaboli, qui etiã vxorem propriam habentes, appetunt alienam: sed filij Dei habentes Spiritum Sanctum, ducuntur in desertum, vt tententur cum Christo.

De 3. Ductore. *Ductus est à Spiritu,*) intellige *sancto*. Sed ille qui ducit, maior est eo, qui ducitur, ergone Spiritus Sanctus maior Christo? Respondendum, si referatur ad Iesum, secundum quod est Filius Dei, sic est æqualis Spiritui Sancto: Et quis potest alium ducere, vel imperio, & sic est maior. Vel exhortatione, & sic est par. Sic Ioa. 1. Andreas duxit, & sic ductus est Iesus. Hilarius refert ad Christum, secundum quod homo: Spiritus Sanctus hominem, quem repleuerat, exponit tentationi. Homines enim tunc ducuntur à Spiritu Sancto, quando charitate mouentur, sic vt nõ motu proprio moueantur, sed alieno, quia sequuntur impetum charitatis. 2. Cor. 5. *Charitas Dei vrget nos*. Et sic filij Dei aguntur à Spiritu Sancto, vt tempus huius vitæ quæ plena est tentationibus, Iob 7. *Tentatio est vita hominis super terram*, transigant cum victoria per Christi virtutem.

De 4. *Vt tentaretur.*) Ipse enim tentari voluit, vt, sicut morte sua vicit nostram, sic tentatione sua superet omnes tentationes nostras. Hebr. 4. *Non habemus Pontificem, qui non poßit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*. Gregorius dicit, quod est triplex

tenta-

tentationis gradus, ſcilicet per ſuggeſtionem, delectationem & conſenſum. Prima ab extrinſeco eſt, & poteſt eſſe ſine peccato. Secunda eſt ab intrinſeco, in qua incipit eſſe peccatum: quæ quidem perficitur per Conſenſum. Primus gradus potuit eſſe in Chriſto: non alij. Et nota, quod diabolus non fuiſſet auſus accedere ad tentandum Chriſtum, niſi prius Chriſtus acceſſiſſet ad eum.

Secundum præambulum, ſcilicet ieiunium. (*Et cum ieiunaſſet*, &c.) Quod conuenit, & præteritis, & futuris. *Præteritis*, quia conuenienter aliquis poſt baptiſmum ieiunat; cum poſt Baptiſmum non eſt otio vacandum, ſed exercenda bona opera. Galat. 5. *Vos autem fratres in libertate vocati eſtis.* Libertas autem vera non eſt committenda carnali vitæ. Item *futuris* competebat, vt is ieiunaret, quem Diabolus erat tentaturus, quia *hoc genus dæmoniorum non eiicitur, niſi per orationem & ieiunium*. Matth. 17. *Quadraginta diebus.*) Ad literam hoc intelligendum eſt. Et addit, (*& noctibus*) ne crederent aliqui, quod comedere liceret in nocte; ſicut Sarraceni faciunt. Et ſciendum, quod hic numerus præfiguratur in veteri Teſtamento in Moyſe & Helia, Exod. 24. & 3. Regum 19. Et latet in hoc myſterium. 1. Quia numerus huiuſmodi conſurgit ex denario ducto per quaternarium. Denarius ſignificat legē, quia in decem præceptis tota lex continetur. Quaternarius ſignificat compoſitionem carnis, quia caro compoſita eſt ex quatuor elementis. Quia igitur nos per ſuggeſtionem carnis tranſgredimur legē diuinam, iuſtum eſt, vt carnem noſtram affligamus

mus diebus quadraginta. 2. Secundum Gregorium autem hic numerus est ad ieiunandum ab Ecclesia institutus; quod per hoc decimas soluimus totius anni. A prima enim Dominica vsque ad Pascha sunt trigintasex dies ieiunabiles, qui sunt decima pars ipsius anni, sed diebus exceptis. Et ideo ab antiquo à quibusdam addita fuit dies media, quia ieiunabant vsq; ad mediã noctẽ sabbati sancti.

Tertium præambulum. (Postea esuriit.) Non legitur hoc de Moyse, & Helia, quia homines erant, sed Christus esurire voluit, vt suam humanitatem demonstraret, quia aliàs Diabolus ausus non fuisset accedere ad tentandum eum. Philippens. 2. *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, &c.

PARS II.

De insultu tentationis primæ.

IS est triplex. *Primus* de gula. *Secundus* de inani gloria *Tertius* de ambitione.

Circa primum duo facit. *Primo* ponit insultum Diaboli. *Secundo*, quomodo Christus respondit. De I. *Et accedens tentator*, &c.] Hoc enim poterat effici, vt ipse ad Iesum accederet in aliqua forma corporea. 2. Triplex tentatio est. 1. Deus tentat, vt instruat, Genes. 12. *Tentauit Deus Abraham*, &c. 2. Tentat homo, vt addiscat, sicut Regina Sabba, 3. Regum decimo: *Regina Sabba audita fama Salomonis venit tentare eum in ænigmatibus.*

Diabolus tentat, vt decipiat. Thessal. 2. *Ne forte*

tentaue-

tentauerit vos is, qui tentat. Quicunque vult tentare scienter primo de communibus tentat. Communia autem totius generis humani vitia, sunt carnis, & præcipue gula. Item qui vult obsidere castrum, incipit à debiliori parte, homo autem habet duas partes, carnalem, & spiritualem: Diabolus ex parte debiliori semper tentat. Vnde primo vitiis carnalibus tentat, sicut patet in primo parente, tentato de gula.

Sed notanda est mira astutia in tentando: *Si Filius Dei es.*) Ita enim directe de vno tentauit, vt ex obliquo de altero. Sic primo homini suadebat, vt comederet de ligno, quod ad peccatum carnale, scil. gulæ directe pertinebat; sed latenter inducebat ad superbiam, & auaritiam, quæ sunt peccata spiritualia. Vnde dixit, *& eritis sicut Dij.* Ita in Christo. Audierat enim, quod Christus venturus esset in mundum, & hic videbatur esse Filius Dei, sed in dubitationem venerat, vtrum hic esset ille, de quo erat prophetatum: quia nihil inueniebat in eo. Ioan. 14. *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Vnde suggerebat, quod homini esurienti delectabile est. Item induxit ad appetendum ea, quæ sunt Dei. Et hoc est: *Si Filius Dei es, dic, vt, &c.*) Eccl. 8. *Sermo illius potestate plenus est*, & Psalmo 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Ergo potest eius verbo lapis mutari: Vnde volebat inclinare ad hoc, quod si faceret, sciret esse Filium Dei. Si non, inducebat ad arrogantiam. Et notãdum, quod multi homines sunt, qui consentiunt peccatis carnalibus, æstimantes nõ se amissu-

amissuros statum spiritualem. Sed si in hoc; quod tentatur consentiens homo, non amitteret spiritualitatem; leuis esset tentatio. Ita persuadere voluit Euæ Diabolus, & Christo, promittens spiritualia.

De II. *Qui respondens*, &c.) In ista responsione dat tria documenta, quæ facienda sunt tentato. *Primum*, vt recurrat ad Scripturæ medicinam. Psal. 118. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi*, &c. *Secundum*: Vt homo nihil faciat ad arbitrium Diaboli. Vegetius: *Nihil vnquam sapiens dux debet facere ad arbitrium sui hostis, etiamsi bonum videatur*. Et ideo Dominus, cum posset sine peccato lapides in panem commutare; noluit: quia ille suggerebat. *Tertium* est, quod non debet facere sine vtilitate ad ostentationem suæ virtutis; quia hoc est vanitas. (*Qui respondens*, &c. *Non in solo pane*, &c.) Notandum, quod Diabolus ad duo nitebatur. Primo ducere in affectum carnalium: Item præsumptionis. Christus autem contra vtrumque, primo vitat iactantiam, q. d. Tu vocas Filium Dei, ego nomino hominem. Vnde (*Non in solo pane*, &c.) Item trahit diabolus in affectum carnalium: *Dic, vt lapides*, &c. At Dominus trahit se in affectum spiritualium. (*Sed in omni verbo.*) Quasi dicat: Non tantum vita corporalis affectanda est, quantum vita spiritualis, quæ conseruatur per cibum spiritualem. (*Sed in omni verbo.*) Ioan. 6. *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes*. Psal. 118. *In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me*, &c. Et dicit: (*in omni verbo.*) Quia tota spiritualis doctrina est à

O Deo;

Deo, siue ab homine, siue à Deo dicatur. Et iterum (*de ore:*) prædicatoris Dei. Hierem. 5. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Vel aliter: (*Non in solo*) id est, non viuit solùm homo per panem, sed etiam verbo, id est, Imperio Dei potest conseruari sine aliquo cibo.

PARS III.

De II. tentatione vanæ gloriæ.

T*Vnc aßumsit eum.*] Ordo congruus est, vt postquam Diabolus se victum videret vitio carnali, tentaret de inani gloria, vel superbia, quia *superbia bonis operibus insidiatur, vt pereant*, ait Augustinus in regula.

PARTITIO. Circa istam tentationem tria facit. *Primo* ponitur locus tentationis. *Secundo*, insultus, siue conatus tentationis, ibi: (*Si Filius*, &c.) *Tertio*, resistentia Christi, ibi: (*Ait ei Iesus.*) Matthæus naturam tentationis secutus est, quia post tentationem de gula, & de inani gloria, sequitur tentatio de ambitione. Ita enim fuit tentatus Adam. Quia primo de gula. Gen. 2. *In quacunque die comederis, ex eo morte morieris.* Secundo, de gloria: *Eritis sicut dij.* Tertio de auaritia, siue ambitione: *Scientes bonum & malum.*

De I. Quare dicit, (*Tunc assumpsit.*) Hoc nomen assumptio, vim importat. Respondet Hieronymus, quod hoc dicit Euangelista secundum opinionem Diaboli; quia quod Christus sustinuit ex virtute

rture, Diabolus accepit quasi faceret sua poten-
a. (*Sanctam*) vel quia ibi agebantur sancta tem-
oralia, scilicet sacrificia & huiusmodi: Vel pro-
ter sanctitatem patrum eorum, qui ibi fuerunt.
rgo ex antiqua consuetudine vocat Sanctam,
cet cessauerit. Esaiæ 1. *Quomodo facta est meretrix
uitas fidelis plena iudicij?* sed post dicit: *Vocaberis ci-
itas iusti, vrbs fidelis,* &c.

Sciendum Mar. 1. dici, quod erat in deserto qua-
raginta diebus, &cæt. Ex quo videtur, quod
omnes tentationes fuerint in deserto, ergo non
videtur verum esse, quod dicitur: (*Tunc assum-
sit*, &cæt.)

1. Quidam dicunt, quod omnes tentationes fuerint in deserto; & secundum imaginariam visionem, scilicet, quod Christus ita imaginaretur ab Sathana. 2. Alij dicunt, quod fuerint secundum visionem corporalem, & quod Diabolus apparuerit ei in specie corporali. Hoc videtur innui; quia dicit, quod *assumpsit eum in sanctam ciuitatem.* 3. Quidam dicunt, hoc ideo ad desertum pertinere, quia Hierusalem deserta erat à Deo.

Sed dicendum melius, quod illud Marci 1. non est intelligendum, omnes tentationes fuisse in deserto: nec etiam ipse hoc dicit, sed quod tentabatur à Sathana. Et ideo sciendum, quod prima tentatio fuit in deserto: aliæ duæ extra desertum.

Quæritur, quomodo assumpsit? Dicunt, quod deportauit eum supra se. Alij, & melius, quod exhortando induxit, vt iret; & Christus ex dispositione suæ sapientiæ, iuit in Hierusalem. (*Et statuit eum super pinnaculum templi*, &c.) Sciendum, 3. Regum 6. quod Salomon fecit tria tabulata in templo cum tecto plano, & quædam pinnacula iuxta templum, per quæ poterant homines ascendere. Et de hoc dicitur hic: (*Et statuit*, &c.) Vtrum autem accesserit in primum, vel secundum, vel tertium, hic non dicitur.

Sed nunquid homines non videbant, quando Diabolus Christum portabat? *Dicendum*, secundũ illos, qui dicunt, quod eum portarit: Christum sua virtute fecisse, vt videri non posset. Vel dicendum, quod Diabolus in figura hominis erat, & consuetudo erat, vt homines sic ascenderent.

De II. Quoad tentationem. (*Et dixit ei: si Filius Dei*, &c.) Semper Diabolus duabus sagittis percutit, ex vna parte enim inducit inanem gloriam; ex alia homicidium, & hoc est: (*Si Filius Dei es, mitte te*, &c.) Certe ista consequentia Christo non conuenit. Quia eius est ascendere, Ioan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo*, &c. Dicit (*Mitte.*) 1. Quia eius intentio est semper præcipitare, sicut ipse præcipitatus est, Apoc. 12. *Cauda draconis trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eam in terram.* 2. Notat etiam Diabolus infirmitatem suam, quia nullus, nisi volens, ab eo vincitur: ideo dicit: (*Mitte*,) non præcipitat, Esa. 51. *Incuruare, vt transeamus.*

Sed

Sed quare supra pinnaculum? gloss. *Quia in illo loco docebant.* Vnde significat, quod Diabolus Magnos de inani gloria tentat. Contra quod Apostolus 1. Thess. 2. c. *Nec quærentes ab hominibus gloriã, neque à nobis, neque ab aliis.* Et dicit: (*Mitte te deorsum, &c.*) Quia homines qui quærũt gloriam, oportet vt in tantum persuadeant, vt ostendant Dei filiationem in multis humilem. Ideo Tullius libro de officiis: *Cauenda est gloriæ cupiditas, eripit enim animi libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio.*

Consequẽter inducit authoritatem. (*Scriptum*) Et vtitur ista, nõ vt doceat, sed vt decipiat. Ex hoc sumitur argumentum, quod sicut ipse transfigurat se in Angelum lucis; ita & sui ministri, qui vtuntur authoritate sacræ Scripturæ ad simplices decipiendos. 2. Petr. vlt. *Indocti, & instabiles deprauant Scripturas ad suam ipsorum perditionem,* & cæt. Et hoc præfigurabat Diabolus in se, vt capite.

Quia Angelis.] NOTA, quod tribus modis deprauat quis authoritatem Sacræ Scripturæ: *Primo,* Cum dicitur de vno, & exponitur de alio: sicut si dicitur de vno iusto, & exponitur de Christo. Verbi gratia: *Qui potest transgredi, & non est transgressus.* Eccles. 31. Item, *Pater maior me est.* Hoc dicitur de Christo, secundum quod homo: si exponatur de eo secundum quod Filius Dei, deprauatur authoritas. Ita diabolus hic dicit *Angelis*, quia Psalm. 91. Dicit hoc de membro Christi, qui indiget custodia Angelorum, quod patet, quia subdit: (*Ne forte offendas.*) Hoc enim nõ potest dici de Christo, quia

non poterat offendere occasione alicuius peccati. *Secundo modo*: Quando inducit quis authoritatem ad aliquid, ad quod non est authoritas. Sicut illud Prouerbiorum 21. & Romanorum 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*, &c. Si enim quid facit alicui, vt ille puniatur à Deo, hoc facit contra sensum authoritatis. Ita Diabolus: Quia Scriptura intendit, quod homo iustus ita per Angelos custoditur, ne in periculum incidat, Psalmo 9. *Adiutor in opportunitatibus in tribulatione*, &c. Diabolus autem exponit, vt homo periculo se ingerat, quod est Deum tentare. *Tertio modo*: Quando illud, quod est pro se, de authoritate accipit; & aliud quod est contra se, dimittit; qui est mos hæretici. Ita fecit hic Diabolus; quia dimisit illud, quod subditur, quod esset contra eum. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & draconem*. Vnde factus est exemplar omnium scripturas deprauantium.

Ait illi Dominus.]Non violentia, sed sapientia se defendit. Sap. 7. *Sapientiam non vincit malitia.* Et ideo contra authoritatem ponit authoritatem, quæ exponit præmissam, quasi dicat. Tu dicis, vt proiiciam me, vt videam, an Deus eripiat me; sed hoc prohibetur in Scriptura. Vnde (*non tentabis*, &c.) Deut. 6. Vel aliter: Tu tentas, & tentando contra authoritatem facis: non debet autem vti authoritate Sacræ Scripturæ, qui contra authoritatem facit. Et Scriptura dicit: (*Non tentabis*, &cæt.) Sed tu tentas Dominum Deum tuum, qui sum ego. Ioannis decimotertio: *Vos vocatis me magister*, & *Domi-*

Domine, & bene dicitis, sum etenim, &c. Tamen prima est magis literalis.

PARS IV.

Tertia tentatio, De ambitione, vel de auaritia.

T*Vnc assumpsit*, &c. (*Primo*, ponitur insultus. *Secundo*, resistentia Christi.

De I. Tentat Diabolus dupliciter: facto & verbo. In facto duo consideranda sunt, quia *primo* assumpsit in montem. *Secundo*, ostendit omnia regna mundi.

1. *Tunc assumpsit in montem.*) Potest dupliciter exponi. 1. Rabanus dicit, quod iste mons erat in deserto, quia secundum eum, omnes tentationes in deserto fuerunt. Dicitur excelsus in comparatione ad aliquos qui in circuitu erant. 2. Chrysost. dicit: Quod duxit eum ad maiorem mõtem mundi, & hoc videtur litera, cum dicitur, *excelsum valde*. In hoc autem significatur, quod Diabolus semper ad superbiam erigit, sicut & ipse superbus est. Hier. 13. *Antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos.* Hierem. 1. *Ecce ego conuocabo omnes cognationes Regnorum Aquilonis, ait Dominus.*

Et ostendit ei, &cæt.) Sciendum, quod Regnum mundi dupliciter accipitur. *Primo*, spiritualiter, & sic Diabolus dicitur regnare in eo, Ioann. 12. *Nunc princeps mundi huius eiicietur foras. Secundo*, ad literam dicitur Regnum mundi, secundum quod

vnus regnat super alium, sed diuersimode intelligitur. Hoc autem videtur quibusdam dici de regno diaboli. Vnde (*ostendit omnia regna mundi,*) scil. super quæ regnabat. (*Et gloriam eorum,* &c.) Quia quando perfecte regnat super homines, facit eos etiam gloriari. Prouer. 2. *Lætantur, cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Psalm. 51. *Quid gloriaris in malitia?* & hic est vltimus gradus peccati.

Alij exponunt de regno carnali. Sed tunc quæritur, quomodo potuit ostendere omnia regna mundi. Remigius dicit, quod miraculose: quia omnia regna in ictu oculi ostendit, sicut etiam de B. Benedicto legitur, quod ostensus est ei totus mundus in vno intuitu. Sed istæ duæ non videntur bonæ expositiones. Quia nō oporteret dicere, quod ideo eum assumsit in montem excelsum &c. Quia totum hoc potuisset fieri in valle. 3. Vnde dicit Chrysostomus aliter: (*Ostendit ei,*) non quod ostēderit ei singula regna: sed ad quam partē quodq; regnum esset, & non solum hoc, sed ostendit *gloriam,* &c.) Hoc est, expresſit ei temporalem gloriam mundi. Oseæ 4. *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Philip. 3. *Gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt.*

Et dixit ei: (*hæc omnia*) in istis verbis duo facit. Vnum promittit, & aliud expetit: & in promissione est mendax, in expetitione superbus. Diabolus in primis explorauit, si esset filius Dei: modo credens iam se deprehendisse, quod non esset, dicit: [*Hæc omnia tibi dabo,* &c.] 1. Vbi mendax est, quia hæc non erant in potestate sua. Prouerb. 8. *Per me*

Princi-

Principes regnant, & potentes decernunt iustitiam, &c. Daniel. 4. *Donec cognoscant viuentes, quoniam dominatur excelsus in regno hominum & cuicunque voluerit, dabit illud.* Nullus enim malus regnat nisi permissione diuina. Iob 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* 2. Expetiit aliud: (*Si cadens adoraueris me.*)

NOTA tria; *Primo*, quod diabolus semper in id quod in principio appetiit, perseuerat. Esai. 14. *In cœlum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meũ, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis ascendã super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* Et propterea inducit ad idolatriam homines, volens vsurpare sibi, quod Dei est. *NOTA*, quod nullus adorat diabolum nisi cadat, sicut & ipse cecidit. Dan. 3. *Cadentes adorauerunt statuam auream*; ideo dicit: *Si cadens*, &c. *Tertio* nota, hic esse auaritiam. Vnde promittit regnum, in quo intelligitur abundantia diuitiarum, & excellentia honorum. Et petit, vt cadat: quia ambitiosi semper humiliant se vltra debitum. Vnde Ambrosius. *Habet ambitio domesticum periculum: curatur obsequio, vt honori donetur. Et dum vult esse sublimis, fit deiecta.* De II. Consequenter ponitur Resistentia. Vnde (*Tunc dicit ei Iesus.*) Circa hoc duo facit. *Primo*, cohibet tentationem. *Secundo*, inducit authoritatem ibi: (*Scriptum est*, &cæt.) De I. [*Tunc*, &c.] Nota, quod Christus audierat multas iniurias: sed non curauit. At hoc (*si cadens*, &c) non sustinuit, quia aliæ cedebant in iniuriam suam, sed hoc ad iniuriam Dei. Vnde Chrysost. *Iniuria propria toleranda est: iniuriam Dei*

dißimulare nimis est impium. Ideo dicit: (*Vade retro*, &c.) 2. Regum 19. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerant pactum suum filij Israel*. Psalm. 69. *Zelus domus tuæ comedit me*. Item, quod non est in potestate diaboli, vt tentet, quantum vult, sed quantum Deus permittit. Vnde dicit (*Vade*,) quasi dicens, Nolo, vt amplius tentes. 1. Corin. 10. *Fidelis Deus, qui nõ patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere*. Iob 38. *Hucusque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*. Et notandum, quod Dominus quasi similia verba dixit Petro: Matth. 16. Sed ibi dixit: (*Retro*.) Vnde alia est sententia hic, & ibi, quia Sathan interpretatur aduersarius. Voluit ergo Dominus, vt Petrus iret post eum, qui volebat impedire passionem: sed hic dicit, *Vade*, tantum, quia diabolus eum sequi non potest; & ideo dicit: Vade, sc. ad infernum. Matth. 26. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*.

Scriptum est,) Deut. 4. Inducit frequenter tales authoritates ex Deutero. vt significet, doctrinam noui testamenti per Deuteron. significari. Quod insequitur (*Dominum Deum*.) Hoc dupliciter inferri potest, quasi dicat: Tu diabole dicis, vt cadens adorem te, sed lex dicit (*Dominum Deum*, &c.) Vnde potest inferre, quod purus homo non debet adorari. Vel accipiendum est, quod loquatur de se tanquam de Deo. (*Dominum Deum tuum adorabis* &c.) quasi dicat: Magis debes adorare me, quàm è conuerso, quia (*scriptum est*, &cæt.) Prima tamen est ma-

est magis literalis. Et NOTA, quod duo dicit, scilicet, *adorabis*, & *seruies*: Et est inter ista differentia. Homo enim dupliciter se habere debet ad Deum: quia 1. debet ei subiectus esse: 2. & debet se in eum erigere, sicut in vltimum finem. 1. Quãtum ad primum debemus ei omnem obedientiam. Actuum 5. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Tunc enim sumus ei subiecti, quando omnem eius voluntatem facimus. 2. In Deum autem erigimur dupliciter: quia aliquando trahimus nos ad ipsum, Psalm. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur*, &cæt.

Aliquando alios ad ipsum trahimus, 1. Corinth. 3. *Dei enim sumus coadiutores.* Vtrumque demonstramus sensibiliter, quia dum prostrationes facimus; admonemus nos, quod debemus esse subiecti Deo. Et ideo dicit (*Dominum Deum*) Psalm. 71. *Omnes gentes seruient ei.* Item in hoc quod offerimus sacrificia & laudes, significamus hoc quod mentem nostram debemus eleuare in ipsum: & ad hoc pertinet seruitus. Et hoc est, (*Illi soli seruies.*

Et est duplex seruitus: Quædam quæ debetur soli Deo: & ista in Græco dicitur latria. Hæc duplex est. Quædam adoratio soli Deo debetur, quæ est, vt ei præ omnibus seruiatur. Alia seruitus est, vt in ipsum tendamus sicut in vltimum finem. Aliqua enim est adoratio vel seruitus, quæ solum subiectorum est: sicut quando superioribus seruiunt inferiores. Romanorum 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta sit.* sed non debet

illi

illi obedire super omnia: quia nunquam contra Deum. Similiter nulla creatura est, quæ debeat haberi sicut finis vltimus. Psalm. 145. *Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum, &c.* Hierem. 17. *Maledictus homo qui confidit in homine.* 2. Est etiam seruitus secunda, quæ debetur prælatis. Quæ in Græco vocatur dulia.

PARS V.

De victoria Christi.

HÆc insinuatur in duobus. In recessu Diaboli (*Tunc reliquit eum diabolus, &c.*) Iac. 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Et sicut consuetudo erat apud antiquos, vt victores honorarent: ita hic celebratur triumphus Christi ab Angelis. Vnde (*& ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.*) Non dicit, descenderunt; quia semper cum eo erant, & si ad horam recesserunt ad eius voluntatem, vt diabolus locum tentandi haberet. Exhibebant enim ministerium in exterioribus, sc. in miraculis, & aliis corporalibus quæ fiunt mediantibus Angelis. In interioribus enim non indigebat. In hoc significatur, quod homines, qui vincunt Diabolum, merentur ministerium Angelorum. Luc. 16. *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Et sciendum, quod Diabolus reliquit Christum vsque ad tempus, quia post, vsus est Iudæis tanquam membris suis ad eum impugnandum.

DOMI-

DOMINIC. II. QVADRAGES.

Filia mea male à Dæmonio vexatur.
Matth. 15.

SCOPVS: Cum docuisset Dominus Euangelicæ doctrinæ sufficientiam ex eo, quod ea legis obseruantiam non requirat: Iam nunc ostendit, quod ea non coarctetur ad populum vnum aliquem; sed ad salutem quoque Gentium sufficiat. Patet in liberata obsessa.

Præambulum descripti loci.

Et egressus Iesus venit in partes, &c.] Tyrus & Sidon sunt duæ ciuitates gentilium. Quia à Iudæis repellebatur, ideo ad gentes secessit, secundum illud Act. 13. *Vobis oportebat primum loqui regnum Dei,* &c. Et ostendit Dominus primo, eminere conuersionem obseruantium legem, secundo transitum ad gentes, quod significatum fuit, Actor. 10. quando Petrus apud Cornelium vidit linteum, & dictum est ei: *Quod Deus purificat, tu ne immundum dixeris?* &c.

PROPOSITIO. (*Ecce mulier.*) Hic ponitur instantia mulieris. Circa cuius petitionem tria significantur: pietas, fides, humilitas, & hæc necessaria sunt ad impetrandum.

PARTITIO.

I. *Ponitur interpellatio.*
II. *Adiutorium discipulorum.*
III. *Auxilium Domini.*

PARS I.

De instantia mulieris.

CIrca hanc *primo* ponitur pietas mulieris: *secundo* taciturnitas Christi.

De I. dicit (*Et ecce*, &c.) Sex possumus notare. Primũ est conuersio petentis. Eccl. 18. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum:* præparat animam, qui à vitiis se mundat. Esai. 1. *Cum multiplicaueritis orationes, non exaudiam vos, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Et hoc designatur per nomen, *Chananæa*, id est, mutata, Psalm. 76. *Hæc est mutatio dexteræ excelsi.* Et qui conuertitur, debet non solum vitare peccatum, sed etiam occasionem peccati, Ecclesiast. 21. *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* Secundum est deuotio, quia *clamabat.* Clamor magnum affectum designat, Psalm. 119. *Ad Dominum cum tribularer, clamaui.* Tertio notatur pietas. Quia alienam miseriam suam reputabat. Vnde dicit: (*Miserere mei,*) Et hæc est magna misericordia. Iob 30. *Flebam super eum, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Item tangitur humilitas. Quia petiit ex confidentia misericordiæ Dei, Daniel. 9. *Custodiens pactum, misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua*: quarto tangitur fides, quæ necessaria est ad petitionem, Iacobi 1. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.*

Item confitetur diuinam naturam in eo, in hoc quod dicit: (*Domine,*) Psalmo nonagesimo-

nono:

nono: *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus*, &cæt. Item humanam (*Fili Dauid,*) Romanorum 1. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.* Item expositio propriæ necessitatis. (*Filia mea male,*) id est, grauiter (*à dæmonio vexatur.*) Et potest esse typus totius Ecclesiæ gentilium; vel cuiuslibet conscientiæ, quæ à dæmonio vexatur; cum quis contra conscientiam operatur. Lucæ 6. *Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur.* Et dicit: *Male*, in quo aggrauat peccatum: 2. Paralypomenon vltimo: *Peccaui Domine, peccaui, & iniquitatem meam agnosco, ne simul perdas me cum iniquitatibus meis.*

De II. Consequenter ponitur taciturnitas Christi: (*Qui non respondit*, &cæt.) Mirabile, quod fons pietatis tacuit. Et assignatur triplex ratio. *Prima*, ne videretur ire contra illud, quod supra dixerat: *In viam gentium ne abieritis*: prompte noluit exaudire, nihilominus tamen, quia multum institit, accepit ea, quod petiuit. Et datur intelligi, quod propter instantiam petitionis impetratur, quod supra legem est. Erat enim de lege, vt soli Iudæi saluarentur: Sed ista per instantiam suam impetrauit, quod erat supra legem.

Secunda ratio, vt magis cresceret deuotio. Abac. 1. *Vsquequo clamabo, & non exaudies, vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem, & dolorem videre prædam, & iustitiam contra me?*

Tertia ratio, vt daret occasionem discipulis, vt & ipsi

ipsi intercederent pro ea. Quia quantumcunque sit aliquis bonus, indiget tamen orationibus aliorum.

PARS II.

De intercessione discipulorum.

ET *accedentes*, &c.)Et quare accesserunt? Vna ratio est, quia nesciebant, quare tantum retardabat: secunda, moti erant misericordia: 3. Item non poterant pati mulieris importunitatem. Luc. 10. *Si perseuerauerit pulsans*, &c. Discipuli non dicunt, sana eam, sed *dimitte eam*, id est, dicas ei: Nihil faciam tibi. Et iste est modus loquendi, quoniam cum intendimus vnum, dicitur contrarium. Sed obiicitur, Marc. 7. dicitur ingressa in domum, & ibi petiisse. Quid est ergo, quod hic dicitur, *quia clamat post nos.* August. dicit, quod sine dubio primo in domo fuit, & ibi dixit, *miserere mei*, & tunc recessit Iesus: Et illa sequuta est eum. Tunc sequitur responsio Christi.

Ipse autem respondens, &c.) Satis videbatur mulier pietatem ostendisse; sed hæc videbatur naturalis: ideo Dominus exigebat professionem fidei: abiiciensq; eam, dixit: *Non sum missus*, &c. Hebræorum erat peculiaris. Vnde dicebant: *Nos autem populus eius*, &c. Psal. 94. Et illæ oues perierant: quia abducti erant per diuersas obseruantias, vnde Matthæi 9. *Videns turbas misertus est eis, quia erant vexati, & iacentes sicut oues non habentes pastorem*, Psalm. 118. *Erraui sicut ouis, quæ periit*, &c.

Sed

Sed quid est, quod dicit: (*Non sum missus, &c.*) Nonne habetur Esaiæ 49. *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ?* ergo non solum ad Iudæos missus est, sed ad gentes. *Dicendum* quod ad omnes missus est, vt omnes in vnum cōgregaret. Sed missus est primo ad Iudæos, vt Iudæos ad gentes transferret, Rom. 15. *Dico autem Christum, &c.* (*At illa venit, & adorauit,*) vnde ingerit se. Et primo ponitur professio, quia Deum recognouit, quia eum adorauit. Licet enim haberet repulsus Apostolorum; tamen ingessit se, & adorauit. In hoc Deum recognoscit, Deut. 9. *Dominum Deū tuum adorabis, & illi soli seruies.* Psalm. 65. *Omnis terra adoret te Deus,* &c. (*Adiuua me.*) Non dicit, ora pro me, sed tu adiuua me, quia potes, Psalm. 120. *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.*

PARS III.

De probatione humilis, & auxilio Domini.

QVi respondens dixit: *Non est bonum, &c.*) Hoc additur ad probandum humilitatem, quia iam constabat satis de fide, ostendens excellentiam Iudæorum ad gentes. Tunc enim probatur humilitas, quando patitur, quod exprobretur gens sua. Vnde dicit: (*Non est bonum, &c.*) Iudæi vocabantur filij. Vnde: *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me,* &c. Esai. 1. Quia ipsi instructi erant in mandatis Dei. Ioan. 10. Panis est doctrina. Eccles. 15. *Cibauit eos pane vitæ & intellectus.* Panis iste possunt dici miracula Domini, vel documēta legis

(*& mittere canibus,*) sc. gentilibus. Quia sicut canis est animal immundum, sic gentes. Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus.* Dicit Hierony. quod & Iudæi canes dicuntur, Psalm. 21. *Circumdederunt me canes multi.* Ephes. 3. *Nos autem filij sumus.*

At illa dixit: Etiam Domine.] Hic tangitur mira humilitas mulieris, & sapientia. Visus est contumeliam inferre gentibus, sed humilitatis est, quod concedit contumeliam. (*Etiam Domine.*) Item maior ostenditur humilitas, quia ipse Dominus dixerat *canes*; sed ista dixit *catellos*. Item Dominus vocauerat *filios Iudæos*, sed ista *dominos*: vnde dicit: (*Quæ cadunt de mensa dominorum.*) Et ita humiliter sciuit compellere Dominum, q. d. non peto Domine, vt tot beneficia conferas nobis, quot Iudæis, sed de micis da nobis, Eccl. 25. *Oratio humiliantis se penetrat cælos.* Et Psalm. 101. *Respexit in orationem humilium, & Dominus exaudiuit.*

Tunc respondens Iesus ait illi, &c.) Et tria facit: *Primo* ponitur eius commendatio: *secundo*, exauditio: *tertio* effectus. Quando se humiliat, dicit: (*Magna est fides tua.*) *Magna*, quia magna credit. Item propter rectitudinem. Iaco. 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Item *magna*, propter feruorem, vnde *si habueritis fidem sicut granum sinapis*, &c. Ideo sequitur exauditio. (*Fiat tibi sicut vis.*) Psal. 144. *Voluntatem timentium se faciet*, &c. Sequitur effectus. (*Et sanata est filia eius ex illa hora.* Sic Gen. 1. *dixit: Fiat lux, & facta est lux.* sic, & hic (*fiat tibi:*) illud enim verbum fuit verbum æternum, Eccles. 8. *Sermo eius potestate plenus est.*

DOMI-

DOMINIC. III. QVADRAGES.

Oblatus est ei homo dæmonium habens, Matth.12.

SCOPVS. Dominus calumniatores doctrinæ ac vitæ suæ repulerat, defensis discipulis ob vellicatas spicas Sabbato, inq; Sabbato item consanato eo, cui manus arebat.

PARTITIO.

I. Ponitur miraculum.
II. Peruersitas detrahentium.
III. Eorundem confutatio.
IV. Exempli ad eos applicatio.

PARS I.

De miraculo.

DVo hic: *Primo*, multiplex infirmitas. *Secundo*, perfecta curatio.

De I. (*Tunc oblatus est ei, &c.*) De hoc habetur Luc.11. sub aliis verbis. Sed non est inconueniens, quod recitatur in vno, subticetur in alio. Per istum significatur gentilitas, vel peccator qui dæmonium habet inquantum seruus, quia *qui facit peccatū, seruus est peccati.* Ioann.8. Iste est cæcus priuatus lumine gratiæ. Vnde Esaiæ 59. *Palpauimus, sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus* &c. Item mutus à confessione fidei. In Psal.38. *Obmutui & silui à bonis,* &c. Et alibi: *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea,* &c. Psal.31.

De II. Sequitur perfecta curatio. (*Et curauit eum*,) expellendo mutitatem, (*ita vt loqueretur,*) expellendo cæcitatem, ita vt (*videret,*) Vnde datur perfectio sanitatis. Psalm. 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Vnde illum non dimisit, nec cæcum, nec mutum.

Sequitur effectus miraculi, scil. turbarum admiratio. (*Et stupebant omnes turbæ*, &c.) Item eorum confessio. Vnde (*dicebant*,) id est, confitebantur. (*Nunquid iste est filius Dauid?*) Promissum erat in Prophetis, quod Christus de semine Dauid nasceretur. Hierem. 23. *Suscitabo Dauid germen iustum.* Sed videtur impletum, Matth. 11. *Quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Vnde turbæ confitebantur.

PARS II.

De detrahentibus miraculo.

PHarisæi autem videntes dixerunt: *Hic non eiicit dæmonia nisi in Beelzebub.*) qui est Deus Acharon, vt habetur 4. Regum 1. & dicitur Deus muscarum, propter turpissimum ritum sanguinis immolatitij, ratione cuius multæ muscæ congregabantur. Ideo credebant illum dæmonem principem dæmoniorum, ideo credebant in potestate illius posse eiici dæmonia. Hier. 5. *Ibo ad optimates*, &cæt. Et paulo post: *Et ecce magis hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula.*

PARS

PARS III.

Confutatio detrahentium.

IEsus autem sciens cogitationes eorum.) In parte ista repellit Dominus detrahentes. Et *primo* arguit contra dicta. *Secundo* contradicentes, ibi: (*Item dico vobis*, &c.

Dictum redarguit quadruplici argumento. *Primum* expressissime ponitur, (*Omne regnum contra se diuisum*, &c. Hæc maior est. Triplex est communitas. Domus, siue familiæ, ciuitatis & regni. *Domus* est communitas consistens ex his, per quos fiunt communes actus; ideo consistit ex triplici cõiugatione ex Patre & filio: ex marito & vxore: ex domino & seruo. Communitas *ciuitatis* omnia continet, quæ ad vitam hominis sunt necessaria. Vnde est perfecta communitas quantum ad mere necessaria: *Tertia* communitas est regni, est communitas consummationis. Vbi enim esset timor hostium, non posset per se vna ciuitas subsistere: ideo propter timorem hostium necessaria est cõmunitas ciuitatum plurium, quæ faciunt vnum regnum. 1. Vnde sicut vita in quolibet homine, ita pax in regno. 2. Sicut sanitas nihil est nisi temperantia humorum; sic pax est, cum vnumquodque retinet ordinem suum. 3. Sicut recedente sanitate tendit homo ad interitum, sic de pace, si à regno discedit, tendit ad interitum. Vnde vltimum quod attenditur, est pax. Hinc Philosophus: *Sicut medicus ad sanitatem, sic defensor Reipublicæ ad pacem,*

tem. Ideo dicit: *Omne regnum in se diuisum desolabitur*. Ose. 10. *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt*. Esa 3. *Tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem.*

Et si Sathanas Sathanam, &c.) Eiectio importat actionem violentam, ideo oportet, vt vbi est contradictio, sit diuisio. Quia *inter superbos semper sunt iurgia*. Prouer. 13. Posset quis dicere: Non est eiectio, quia voluntarie exit. Sed fit tamen ex obedientia alio imperante: Et quod inuoluntarie exeant, apparet per hoc, quia inceperunt gemere & clamare: *Fili Dauid*, &c. Ergo est diuisio. (*Quomodo ergo stabit regnum eius?*) 1. Hieron. exponit sic: *Quomodo stabit*, &c. q. d. regnum diaboli stat in peccatoribus vsq; ad diem iudicij; quia tũc euacuabitur omnis potestas. Vnde si hoc esset, iam esset finis mundi. 2. Rabanus sic: *Quomodo stabit*, &c. Quia si pugnatur contra eum, ergo est in casu: ergo à regno suo debetis cauere. 3. Hilarius: *Quomodo stabit*, q. d. de potestate mea est, vt ego faciam ab vno expelli alium, ergo ego destruo regnum diaboli, & ex hoc debetis mihi adhærere.

II. *Si ego in Beelzebub*.) Hic ponitur secunda ratio. Si ego eiicio, 1. aut hoc facio virtute dæmonis. 2. aut virtute Spiritus S. quidquid horum sit, non debetis mihi detrahere. Et primo prosequitur primam. Secundo secundam, ibi: (*Si autem*, &c.) Dicit ergo: (*Si ego*, &c. *filij vestri in quo eiiciunt*, &c.) Hieron. exponit dupliciter: *Vno modo* de exorcistis, de quibus habetur Act. 19. quod quidam exorcistæ eiiciebant dæmonia in nomine Iesu Christi. Vnde

si ego

si ego in Beelzebub, &c. q. d. tunc in eodem & filij vestri eiiciunt. Si ergo de his non calumniamini, nec de me debetis calumniari. Ideo accipitis personã. Vnde (*iudices vestri erunt.*) Quod ego eiicio in virtute Dei, ideo ipsi iudicabunt: sic dicit de Regina Austri, quod ipsa iudicabit. 2. Vel potest exponi de Apostolis: *Filij vestri*, i. Apostoli. Appellat autem eos filios eorum, & non discipulos, vt magis afficiantur ad eos. Item vt derogantes eis seipsos redarguant. Quia si isti, qui filij vestri sunt, eiiciunt, similiter vos faceretis, si præpararetis vos. Ideo quia isti sunt conscij, quod hoc facio à potestate mihi tradita, non in Beelzebub, (*ideo iudices vestri erunt*,) non solum comparatione, sed autoritate, sicut habetur Mat. 19. *Sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes 12. tribus Israel.*

Probatur secunda. (*Si autem ego in Spiritu Dei eiicio dæmones, igitur peruenit in vos regnum Dei,*) q. d. stultus est, qui repellit à se, quę in bonum suum cedũt: hoc autem sc. expellere dæmones, redit in bonum vestrum. Inde ergo potestis colligere, quod in Spiritu Sancto, quia vt digitus Dei est Spiritus Sanctus, sic Filius est manus: nec tamen est ibi aliqua inuocatio, sed solum fit ex authoritate. Vnde si Spiritu Dei, &c. Sed quare dicitur eiectio dæmonum fieri in Spiritu Sancto? Quia ei amor & bonitas appropriatur, ideo repellere diabolum nulli tam bene conuenit, sicut personæ Spiritus Sancti. (*Peruenit in vos.*) Luc. 17. *Regnum Dei intra vos est.* Ideo quod fit à Christo, potestis cognoscere, quod sit vestra vtilitas, Ideo dicit: (*in vos.*)

Vel aliter, *Regnum Dei*, id eſt, Dominium Dei in hominibus. 1. Corinth. 15. *Oportet autem illum regnare, donec ponat inimicos ſub pedibus eius*. Si ergo dæmones iam ſuppedari incipiunt, iam peruenit in vos regnum & dominium Dei.

III. *Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis*, &c. Hic ponitur tertia ratio, per quam Dominus dicta Phariſæorum confutare intendit, & eſt argumentum ex his, quæ accidunt erga homines. Quia cum quis eſt potens in domo ſua, non poteſt inde eiici, nec vaſa eius diſrumpi, niſi fortior ſuperueniat, ſed Chriſtus ſpoliat vaſa diaboli, expellendo eum ab hominibus, in quibus eſt, vt in vaſis propriis, ergo Chriſtus fortior eſt eo. Et hanc rationem ponit ſub his verbis: (*Fortis*.) Iſte eſt diabolus, qui fortis dicitur ex virtute. Iob. 41. *Non eſt poteſtas, quæ huic valeat comparari*. Et fortior efficitur per conſenſum, quia qui conſentit, dat ei vires ſupra ſe. Eſaiæ 19. *Pugnabit vir contra fratrem, ciuitas contra ciuitatem, & tradam Aegyptum in manum dominorum crudelium*. 2. *Domus* iſta eſt mundus, vel cõgregatio peccatorum, non quia mundum creauit; ſed quia conſentiendo obediuit. Vnde Ioann. 12. dicitur *princeps huius mundi*. 3. *Vaſa* eius ſunt homines. Vas dupliciter accipitur. Vas alicuius quod plenum eſt illo, vt dicitur vas aquæ, quia plenum eſt aqua: ſic vaſa diaboli, quia pleni diabolo, & hoc ſecũdum corpus, vt obſeſſi à diabolo. Secundum animam vero illi, quorum corda ſunt in plenaria voluntate diaboli, vt dicitur de Iuda. Aliquando vaſa dicuntur quælibet inſtrumenta, ad quodcunque

cunque officium deputata: vnde dicuntur vas diaboli, qui occasionem peccandi alij tribuit. Quocunque modo sumatur; diripit Christus vasa diaboli, Coloss. 2. *Expolians principatus & potestates transduxit confidenter palam triumphans illos in seipso.* &cæt. Hoc tamen non sufficit, nisi alliget fortem.

Vnde (*nisi prius alligauerit fortem.*) Quæ est hæc alligatio? Quia potestas nocendi, quam habet dæmon à seipso, cohibetur à Deo: Sicut homo ligatus cohibetur, ne impleat, quod vult. Vnde Psal. 149. *Ad alligandos Reges eorum in compedibus* Et tūc domum eius diripiet, quia eo ligato homines ligati disrumpentur. Esa. 49. *Captiuitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerit à robusto, saluabitur.*

IV. *Qui non est mecum contra me est.*] Hic ponitur quarta ratio, & dat firmitatem omnibus. Posset enim quis dicere: Si per victoriam auferres, posset procedere ratio: sed non facis per violentiam, sed per pāssionem; ideo non est signum, quod alligaueris Ideo ponitur hic ratio talis. Quæ conueniūt in vno aliquo, opus simile habent: vnde qui opera similia faciunt, non se ad inuicem impediunt. Sed ego contraria opera facio eis. Ideo *qui non est mecum*, &c.

NOTA. Primo ponit rationem in generali. Secundo exemplificat in speciali. Dicit ergo 1. *Qui non est mecum*, &c.] Et diabolus non est mecum, quia contrarius est operibus meis, 1. ad Cor. 6. *Quæ conuentio Christi ad Belial?* Quod autem sit contra eum, habetur Eccl. 33. *Contra vitam mors, & contra virum iustum peccator:* sic contra hominem

diabolus, qui est pater peccati. Sed in quo contrariatur ei? (*Et qui non congregat mecum, spargit.*) Dominus enim congregat. Esa. 40. *In brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit eos, fetas ipse portabit.* Diabolus autem dispergit. Vnde Ioan. 10. *Lupus rapit, & dispergit oues.*

Sed Lucæ 9. habetur, *qui non est aduersus vos, pro vobis est*, &c. Hic autem dici videtur contrarium. 1. Chrysost. dicit, quod vtrumque particulariter dictum est: vnde non intelligitur vniuersaliter, sed in casu & specialiter, sic qui nõ habet pactum mecum, contra me est. Vnde ibi vocabat discipulos, hic diabolos. 2. Vel aliter possumus dicere: Quod aliter est de Deo & de homine. Cõstat, quod Deus naturalis est finis, in quem omnia tendũt, ideo qui non est cum Deo, oportet, vt sit separatus ab eo. Vnde 3. Reg. 18. *Vt quid claudicatis in duas partes. Si Dominus est Deus, sequimini eum.* Sed de homine ad hominem non est ita; quia qui non est pro me, nõ propter hoc contra me est.

PARS IV.

De exemplo ad detractores applicato.

C*Vm autem immũdus spiritus exierit ab homine*, &c.) Ostendit supra gentiles esse potiores Iudæis: Hic confirmatur exemplo. Et *primo* ponit exemplum: *secundo*, Adaptat, ibi: (*Sic erit.*) De I. Exemplum ponit de spiritu immundo. Notare debetis, quod aliquando ponitur exemplum ex re gesta; aliquando ex parabola. Cum ex re gesta, oportet

vnum-

vnumquodque seorsum exponi: sicut hic exemplum de Iona. Aliquando ponitur exemplum de parabola; vt dicitur: *Simile est regnum cælorum,* &c. Hic non oportet ponere, quid sit in regno cælorum. Possumus ergo dicere secundum Hieronymum, quod sit similitudo. & parabola, & sic est vnus sensus: Vel ex re gesta, secundum Aug. Et sic est duplex sensus. Immundus spiritus exit ab homine dupliciter, quia hominem aliquando torquet corporaliter, aliquando spiritualiter. Ad propositum.

Quatuor ergo dicuntur. *Primo* liberatio à spiritu immundo: *Secundo* iterata vexatio: *Tertio* grauitas: *Quarto* secundæ vexationis occasio. De I. (*Si spiritus immundus.*) Omnis res quæ commiscetur vili rei, immunda dicitur; quæ puriori, purior, vt si argentum plumbo iungatur, fit vilius: sic spiritus creatus, si adhæreat inferiori, dicitur spiritus immundus. Et iste erit aliquando ab homine quē corporaliter vexat; aliquando quem spiritualiter, vt in baptismo.

De II. Consequenter ponitur iterata vexatio & occasio. Et *primo*, ex parte dæmonis. *Secundo*, ex parte eorum qui vexantur. 1. Ex parte dæmonis. Primo quantum ad illos alios: secundo quantum ad istos. Hæc enim est cōsuetudo dæmonis, quod nō potest quiescere, nisi noceat, quia ab initio peccatum dilexit. Vnde, cū ab aliquo expellitur, quærit, vbi vexet. *Ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit.*) Aliquando requiem non inuenit. In quibus autem inueniat, dicit Iob 40. *Sub vmbra dormit.*

dormit, in secreto calami, in locis humentibus. Loca humentia sunt corda voluptatibus dedita; loca arida sunt, qui contemnunt voluptates, qui à prosperitatibus declinant. De his Ezech. *Aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra.* Dicit, *ambulat*, & explorat quemcũque hominem, quem decipiat. Vnde pro hoc solicitudinem ostendit, 1. Petr. 5. *Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Quærens requiem, non inuenit, nisi in locis humentibus. Ita exiens à Iudæis, iuit ad gentiles, qui aridi sunt ab humore gratiæ diuinæ. Sed non inuenit requiem, expulsus est, quia verbum Dei receperunt.

Tunc dicit: Reuertar, &c.] Hinc colligitur, quod si diabolus aliquando expellitur ab aliquo, quia agit pœnitentiam; non tamen totaliter dimittit eum, sicut de Christo legitur Luc. 4. *quod dimisit ad tempus.*

2. Ergo semper soliciti sint homines, ne reuertatur. Nam (*Reuertar, &c. Et veniens inuenit eam vacantem.*) Hic ponitur occasio ex parte eius, qui secundo affligitur. Si volumus ad Iudæos retorquere, planum est, quod cum expelleretur à gentibus, rediit ad Iudæos. Vnde triplex ponitur occasio, sc. otiositas. Vnde dicit *vacantem*, Eccles. 33. *Multam malitiam docuit otiositas.* Ideo Hieronymus: *Semper aliquid boni facito, vt te diabolus inueniat occupatũ.* Thr. 1. *Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbatha sua.* [*Scopis mundatam,*] quia quod mundatur scopis, non emundatur, nisi quid leuiter adhæret. Idemque est scopare, quod leuiter mundare. Item (*ornatam*) superficia-

perficiali ornatu. Mundatio perfecta debet igne fieri, sicut habetur in lege, quod vasa igne debebant mundari. Item illud quod ornatur, aliam habet ex se pulchritudinem, aliam ex ornatu tantũ, de quo in Psalm. 143. *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ, vt similitudo templi*. Sed qui volunt esse securi, debent habere pulchritudinem interiorem. Psal. 44. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus*. Sed cum sit ornatus solum in exterioribus, non relinquitur à dæmonibus. Ita est de Iudæis, quia ita seruabant sabbatha, vt magis vacarent à bonis, quam à malis. Item totam curam ponebant in minimis legis.

De III. *Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus*, &c.] Hic ponitur de secunda vexatione grauiori, & ostenditur grauior. *Primo*, quantum ad numerum: *Secundo*, quantum ad durationem: *Tertio*, quantum ad effectum. Quantum ad numerum, (*quia assumit septem.*) 1. Chrysost. exponit ad literam. Quia cum aliquis cadit, & non cauet; tunc deterius accidit ei. Ioann. 5. *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*. 2. Secundum Augustinum: *Assumit septem*, & hoc dupliciter. Aliquando enim pœnitens agit pœnitentiam, sed negligenter se habet, & tunc fit procliuior. Rom. 1. *Propter quod tradidit illos Dominus in reprobum sensum*. Et per hoc quod dicit *septem*, vniuersitas vitiorum signatur. 3. Aliter secundum Augustinũ, quantum ad durationem. Aliqui peccant aliquo peccato, & in statu pœnitentiæ addunt simulationem; & sicut septem sunt dona Spiritus Sancti, sic

septem

ſeptem ſimulationes. Vnde primo erant vitia ſimplicia, tunc adduntur ſimulationes vitiorum, quæ ſunt deteriores, & dicuntur ſeptem, vel propter vniuerſitatem vitiorum, vel propter ſabbathum. Et qui hoc modo peccant, fient perſeuerantiores in malo. Vnde dicit: (*Et intrantes habitant ibi,*) quia inde recedere nolunt. Hier. 8. *Populus in Hieruſalem auerſus eſt auerſione contentioſa, apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti.* Si exponatur de Iudæis, patet, quod habitat in eis, & diſcedere ab eis non vult.

De IV. *Et fiunt nouiſsima illius hominis peiora prioribus.*) Hic ponitur aggrauatio, quantum ad effectum ad literam. Qui magis punitur, magis aggrauatur. Vnde 2. Petr. 2. *Melius erat viam veritatis non cognoſcere, quam poſt agnitionem retrorſum reuerti.* Item quantum ad Iudæos, quia peius egerunt blaſphemando Chriſtum, quam colendo idola. Ideo ſequitur: *Sic erit & generationi huic peſsima*, quia deterius erit eis, quam vnquam fuerit eis in Ægypto.

DOMIN. IV. QVADRAGES.

Abiit Ieſus trans mare Galilææ. Ioan. 6.

SCOPVS. Capite 5. multa prodiderat Euangeliſta de ſpiritali vita, qua Chriſtus regeneratos viuificat. Hoc agit de ſpiritali nutrimẽto: ſed prius tamen de corporali.

PAR-

PARTITIO Euangelij fit in trinæ concionum dispositionem.

CONCIONIS I. DISPOSITIO.

PROPOSITIO. De miraculi adiunctis tractatur.

PARTITIO.

I. *De circumstantiis.*
II. *De necessitate.*

PARS I.

De miraculi circumstantiis.

PRimo describit multitudinem, quam pauit. *Secundo*, determinat locum vbi pauit. *Tertio*, Tempus quando pauit.

CIRCA PRIMVM tria facit. *Primo*, determinat locum, quo multitudo eum sequitur. *Secundo*, turbam sequentem. *Tertio*, causam sequelæ assignat. 1. Quo autem turba Dominum sequeretur, insinuat Euangelista, cum dicit: (*Posthac abiit Iesus trans mare Galilaa,*) id est, post mystica verba, quæ Dominus de sua potestate dixerat. Mare autem istud Galilææ frequenter in Scriptura, & in diuersis locis nominatur. Quia istud non est salsum, sed quædam congregatio aquarum ex influxu Iordanis; ideo dicitur stagnum: Lucæ 5. Quia vero secundum proprietatem Hebraici idiomatis omnes congregationes aquarum vocantur Maria; secundum illud Genes. 1. *Congregationesque aquarum appellauit Maria*; ideo dicitur mare.

Sed

Sed Genezareth cognominatur à natura loci. Nam multum fluctuat ex reuerberatione ventorum, qui ex ipsis aquæ resolutionibus generantur. *Genezareth* in Græco idem est, quod *auram generans*. Denominatur etiam Galilææ à Galilæa prouincia in qua est. Tyberiadis vero à ciuitate sic dicta, quæ erat ex vna parte ipsius maris, ex opposito habens ciuitatem Capharnaum, ex alia parte, quæ prius vocabatur Zenereth, sed postea ab Herode tetrarcha instaurata in honorem Tyberij Cęsaris, Tyberias appellata fuit.

Ratio autem literalis, quare Iesus abiit trans mare, assignatur à Chrysostomo. Vt cederet furori & turbationi Iudæorum, quam conceperant contra eũ; propter ea quæ de se supra dixerat. Vnde, sicut iacula cum in durum aliquod incidunt, grauius feriunt, quæ autem non habuerint aliquid obuiã dissoluuntur cito immissa, & quiescunt: ita si cum audacibus hominibus impetuose & resistendo incesserimus, sæuiunt magis. Si autem eis cesserimus, facile mollimus eorum insaniam. Propterea Christus furorem Iudæorum ex præmissis sermonibus natum secedendo trans mare, mitigauit. Dans nobis in hoc exemplum simile faciendi. Eccles. 8. *Ne stes contra faciem contumeliosi*.

Mystice autem per mare præsens sæculum turbidum designatur, Psal. 103. *Hoc mare magnum*, &c. Hoc mare transit Dominus, quando mare mortalitatis & pœnalitatis assumpsit nascendo, calcauit moriendo, & transiens resurgendo in gloriam resurrectionis peruenit. De istis transitu dicitur

Ioann.

Ioan. 13. *Sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.*

2. Eum transeuntem *secuta sunt*, credendo & imitando *turba multa*, ex gentibus & Iudæis collectæ. Isaiæ 60. *Tunc mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris.* Psalmo 7. *Exurge Domine in præcepto, quod mandasti, & Synagoga populorum circumdabit te.* Causa autem propter quã sequebatur, est operatio miraculorum. *(quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.)* Sciendum est, quod quidam sequebantur eum propter doctrinam eius, qui scil. melius erant dispositi: alij vero imperfectiores sequebantur eum propter admirationem signorum visibilium, grossioris mentis existentes. Signa enim, vt dicitur 1. Cor. 4. *non sunt data fidelibus, sed infidelibus.* Aliqui etiam propter deuotionem & fidem eum sequebãtur; scil. illi, quos corpore sanauerat. Sic enim à Domino sanabantur in corpore, vt etiam perfecte sanarentur in anima, Deut. 30. *Dei perfecta sunt opera.* Et hoc patet, quia paralytico Ioan. 5. signanter dixit: *Vade, & amplius noli peccare*; & Matth. 9. *Fili, remittuntur tibi peccata*; quæ magis ad sanitatem animæ pertinent, quàm corporis. Notandum autem quod cum Euangelista non fecerit mentionem, nisi de tribus miraculis, scil. de nuptiis, de filio reguli, & paralytico, hoc tamen indeterminate dicit *(signa quæ faciebat.)* Vt innuat, quia *multa alia signa fecit*, vt dicitur Marci vltim. de quibus in hoc libro mentionem non facit. Intendebat enim spiritualiter ad manifestandum Christi doctrinam.

De II. Determinat locū miraculi, qui eſt mons. Vnde dicit: *Subiit ergo montem*, id eſt, latenter aſcendit (*Ieſus, & ibi ſedebat,*) Et quidem mons ſatis eſt congruus locus refectioni. Per montem enim ſignatur perfectio iuſtitiæ. Pſalm. 35. *Iuſtitia tua ſicut montes Dei.* Quia ergo hæc terrena non ſatiant; imo *qui biberit ex aqua, ſitiet iterum*, Ioan. 4. ſpiritualia vero ſatiant, ideo Dominus ad altiora cum diſcipulis aſcendit, vt oſtendat in ſpiritualibus ſatietatem & perfectionem iuſtitiæ inueniri: de quo Pſalm. 67. *Mons Dei mons pinguis.* Vnde & ibi doctoris exercebat officium ſedens cum Diſcipulis ſuis. *Ipſe enim eſt, qui docet omnem hominem ſcientiam.*

De III. Conſequenter deſcribitur tempus, cū dicit: (*Erat autem proxim. Paſcha.*) Quod quidem tempus congruit refectioni. Exo. 13. *Eſt enim Phaſe*, id eſt, tranſitus Domini. Vt det intelligi, quod quiſquis pane diuini verbi, & Corpore, & Sanguine Domini deſiderat refici; debet tranſire de vitiis ad virtutes. 1. Cor. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur in ſinceritate.* Eccl. 24. *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me.* Hoc autem eſt ſecundum Paſcha, de quo Euangeliſta mentionem facit. Ad quod quidem iuxta legis præceptum, quod habetur Exodi 23. Dominus non aſcendit in Hieruſalem, cuius ratio eſt, quia Chriſtus Deus erat & homo: & inquantum homo ſuberat quidē legi, inquantum Deus ſupra legem erat. Vt ergo ſe hominem oſtenderet, ſeruabat aliquando legē: vt vero Deum, legem ſoluebat. Vnde & per hoc,

quod

quod non iuit, dedit intelligere, quod paulatim legalia cessarent.

PARS II.

De necessitate miraculi.

OStenditur necessitas patrandi miraculi. Hæc sumitur I. *ex interrogatione Domini.* II. *Ex responsione discipulorum.* Et ideo *primo ponitur Domini interrogatio. Secundo, discipulorum responsio.*

Circa primum tria facit. *Primo* ponitur interrogandi occasio. *Secundo,* subditur Christi interrogatio. *Tertio* aperitur interrogationis intentio. De I. Occasio autem interrogandi fuit visio multitudinis ad Christum venientis. *Cum subleuasset oculos Iesus,* &c.) existens in monte cum discipulis quasi perfectioribus, (*& vidisset,* &c.) In quo duo circa Dominum sunt consideranda. *Vnum,* vt discamus Christi maturitatem oculos non erigentis huc atque illuc; sed pudice sedentis, & attente cum discipulis suis. Contra quod Prou. 30. *Generatio cuius sublimes sunt oculi.* Eccl. 19. *Ex visu cognoscitur vir. Secundum,* vt discamus, quod non otiose sedebat cũ discipulis suis: sed attẽte eos docens, & ad seipsum corda eorum conuertens; discipulos, quos docebat, intuebatur. Luc. 6. *Et ipse eleuatis oculis in discipulos, docebat eos. Mystice* autem oculi Domini sunt dona spiritualia. Quæ, cum electis suis misericorditer concedit: tunc in eos oculos suos subleuat, i. respectum pietatis impendit. Hoc petebat Psaltes: *Respice in me Domine, & miserere mei.*

De II. Interrogatio vero est de refectione multitudinis: vnde [*Dixit ad Philippum: vnde ememus panes?*] Vnum supponit, & aliud quærit. *Supponit* quidem penuriam, quia non habebant, vnde tantæ multitudini cibum præberent. *Quærit* aũt modum inueniendi. Nota, quod omnis doctor necesse habet spiritualiter pascere turbam ad se venientem. Et quia nullus habet ex se, vnde pascat eam, ideo oportet, vt aliunde emat labore, studio, asiduitate orationum, Isai. 55. *Qui non habetis argentum. properate & emite absque vlla commutatione vinum & lac:* & iterum: *Quare appenditis argentum vestrum*, id est, eloquentiam, *& non in panibus*; id est, non in veram sapientiam, quæ reficit, Eccles. 16. *Cibauit illum pane vitæ & intellectus*: porrò, *& laborem vestrum non in saturitate*, addiscendo ea, quæ non satiant, sed magis euacuant.

De III. Intentio autem interrogantis aperitur, cum dicit: (*Hoc autem dicebat tentans eum*, &c.) Vbi Euangelista vnam dubitationem excludens, ducit in aliam. Potuisset enim dubitari, quod Dominus Philippum quasi ignorans interrogasset, sed hoc excludit dicens: (*Ipse enim sciebat, quid esset facturus.*) Sed cum tentare videatur etiam ignorãtis esse, cum idem sit, quod experimentum sumere, videtur, quod Euangelista in aliam dubitationem inducat, cum dicit: (*tentans eum.*) Dicendum, quod diuersimode quis tentat aliquem, vt experimentum de eo sumat. Aliter enim tentat homo, quia vt addiscat: aliter diabolus; quia vt decipiat, 1. Petr. vlt. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens*

ns circuit, quærens quem deuoret. Deus vero & Chri
s tentat quidem, non, vt addiſcat, quia ipſe eſt,
i ſcrutatur corda & renes. Non, vt decipiat, quia
neminem tentat. Iacobi 1. Sed tentat, vt aliis ex-
imentum de tentato tribuat. Sic Gen. 22. *Ten-
it Deus Abraham,* &c. ſequitur: *Nunc cognoui, quod
eas Dominum,* id eſt, cognoſcere feci. Ita ex hoc
lippum tentat, vt inſinuaret aliis ſuam reſpon-
iem, inducens per hoc eos in certiſsimam fu-
i ſigni cognitionem.

Conſequenter ponitur reſponſio diſcipulorũ,
ı dicit: (*Reſpondit ei,* &cæt.) Et *primo* reſponſio
ippi. *Secundo,* reſponſio Andreæ. Sciendum
utem circa primum, quod Philippus inter a-
magis tardus & rudis erat; & ideo inter alios
uentius Dominum interrogabat. Matth. 13.
ine oſtende nobis Patrem, &c. Sed in interrogatio-
torum duorum, quantum ad literam perti-
Andreas melius diſpoſitus erat quam Philip-
quia hic nullam intentionem & diſpoſitio-
habere videtur ad miraculum faciendum. Et
illum inducit modum, quo omnes paſcere
nt, ſcilicet per pecuniam, dicens: (*Ducentorum
iorum panes,* &c.) Quos nos non habemus; &
non poſſumus eis dare cibum. In quo Chriſti
ertas inſinuatur, qui nec ducentos denarios
bat.

ıdreas vero videtur habere reſpectum ad mi-
um faciendum. Fortaſsis enim in memoria
ɔat ſignum, quod Heliſæus de panibus hor-
is fecerat, quando pauit de viginti panibus

centum viros, vt legitur 4. Reg. 4: Et ideo dicit: *Est puer vnus hic*, &c.] Sed tamen opinatus est, Christũ non facturum maius miraculum, quam Helisæus. Æstimabat enim, quod de paucioribus panibus pauciora, & de pluribus plura miraculose fierent. Quamuis ei qui subiecta materia non indiget, perinde facile sit de pluribus vel de paucioribus pascere turbas. Et ideo subdit: (*Sed hæc quid inter tantos?*) quasi dicat: si etiam multiplicentur sicut Helisæus multiplicauit, non sufficit.

Mystice, refectio spiritualis per sapientiam significatur. vna autem sapientia est, quam docuit Christus, qui est vera sapientia, 1. Cor. 1. *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Sed ante aduentum Christi duplex doctrina erat. Vna humana, quam habebant Philosophi: alia legis scriptæ. De prima ergo mentionem facit Philippus: & ideo vtitur nomine emptionis, dicit: (*Ducentorum.*) Nam sapientia humana per acquisitionem habetur. Centenarius numerus perfectionem importat. Vnde ducenti duplicem perfectionem insinuant; necessariam huic sapientiæ: nam ad eius perfectionem duplici via peruenitur; per experimentum, & per contemplationem. Dicit ergo: (*Ducentorum*, &c.) quia quicquid humana ratio potest experiri & cogitare de veritate, non sufficit ad perfectam satietatem sapientiæ, Hierem. 9. *Non glorietur sapiens in sapientia sua*, &c. *sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me.* Nam nullius Philosophi tanta fuit sapientia, vt per eam homines ab errore reuocari possent, quin potius multos ad errorem inducũt.

De secunda responsione Andreæ. Melior est? Noluit, vt alij panes emerent, sed de habitis turba reficeretur, scilicet de his, quæ lex continebat. Vnde melius dispositus erat, quam Philippus. Et deo dicit: (*Est puer vnus hic*, &c.) 1. Puer iste potest lici Moyses, propter imperfectionem status legis, Hebræorum 10. *Neminem ad perfectum adduxit lex.* .. Vel populus Iudæorum, *qui sub elementis mundi* *ruiebat*. Galatar. 4. Puer ergo iste quinque panes abet, id est, doctrinam legis. *Vel*, quia in quinque oris Moysi contenta est, Matth. 1. *Lex per Moy-* *i data est. Vel*, quia data est hominibus vacantibus nsibilibus, quæ per quinque sensus exprimunr: qui sunt hordeacei; quia lex ipsa data erat, vt ea vitale alimentum corporalibus sacramentis tegeretur: hordei enim medulla, tenacissima ea tegitur. *Vel*, quia populus Iudæorum nonm expoliatus erat carnali desiderio: sed tanquá ea cordi eius inhærebat. Nam in veteri Testanto, exterius duritiam experiebantur, propter moniales obseruantias, Actorum 15. *Hoc est o-* *quod nec nos, nec patres nostri portare potuerunt.* Et i- ıdæi corporalibus dediti, spiritualem sensum non capiebant. 2. Corinth. 3. *Velamen positum* *ora corda eorum.*

:r *pisces* autem *duos*, qui saporem suauem pani nt, intelligitur doctrina Psalmorũ & Prophen, & sic vetus lex non solum habebat panes, s. ; quinq; Moysi; sed etiam duos pisces, s. Pros & Psalmos. vnde & Scriptura veteris Test. :c tria diuiditur, Lu. vlt. *Quæ scripta sunt in lege,*

& Prophetis, & Psalmis de me. Vel per duos pisces secundum Augustinum duæ personæ significantur, scilicet Regia, & Sacerdotalis, quibus populus ille regebatur, quæ tamen duæ personæ Christum præfigurabant, qui fuit verus Rex & Sacerdos. (*Sed hæc quid sunt inter tantos?* &c.) quia per ea non potuit humanum genus ad cognitionem veritatis perfecte duci: licet enim Deus in Iudæa notus esset, gentes tamen eum ignorabant.

CONCIONIS II. DISPOSITIO.

Facite homines discumbere. Ioan. 6.

PROPOSITIO. Agitur de patratione miraculi.

PARTITIO.

I. *Ponitur hominum dispositio.*
II. *Eorum refectio.*
III. *Fragmentorum collectio.*

PARS I.

De hominum collectione.

PRimo ponitur mandatum de dispositione turbarum. *Secundo*, opportunitas dispositionis. *Tertio*, numerus dispositorum.

De I. Mandatum autem fuit Domini ad discipulos, vt disponerent turbam ad comedendum, [*Facite homines discumbere,*] id est, sedere ad comedendum,

dendum, nam antiquitus lectis accumbentes prãdebant. Per quod *Mystice* significatur quies, quæ necessaria est ad perfectionem sapientiæ, Eccl. 38. *Qui minoratur actu, perficiet sapientiam*, &c. Quæ dispositio fit per discipulos, quia per eos ad nos cognitio veritatis deriuata est, Psalm. 71. *Suscipiant montes pacem populo.*

De II. Opportunitas autem dispositionis captatur ex loco. (*Erat autem fœnum multum in loco.*) Quod ad literam commodum est discumbentib. *Mystice* autem per fœnum 1. caro significatur, Isa. 40. *Omnis caro fœnum*, & secundum hoc potest ad duo referri. Competit doctrinę veteris Testamenti, quæ dabatur quiescenti in carnalibus, & populo carnaliter sapienti, Isai. 1. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.* Deut. 33. *Oculus Iacob in terra frumenti vini & olei.* 2. Vel competit percipienti veram sapientiam, ad quam veniri non potest nisi calcatis carnalibus, Rom. 12. *Nolite conformari huic sæculo.*

De III. Numerus autem erat magnus, vnde dicit: (*Discubuerunt ergo viri*, &c.) Viros tantum Euãgelista enumerat, legalem cõsuetudinem sequens, in qua Moyses à viginti annis & supra, populum numerauit, nulla mentione de mulieribus facta, vt dicitur Numer. 1. Quod ideo Euangelista fecit, quia isti soli sunt capaces doctrinæ perfectæ, 1. Corinth. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos*, Hebræorum 6. *Perfectorum est solidus cibus.*

* * *

PARS II.

De refectione.

PRimo insinuatur reficientis affectus. *Secundo* materia refectionis. *Tertio*, perfecta satietas. In affectu autem Iesu reficientis. *Primo* quidem attenditur humilitas. *Secundo* vero gratiarum actio.

De I. *Humilitas* quidem: *quia accepit panes & distribuit*. Et quidem Christus facturus miraculum poterat panibus ex nihilo creatis pascere turbas. Sed dispensatione panes præexistentes multiplicauit ad refectionem turbarum. *Primo*, quidem, vt ostenderet sensibilia à diabolo non esse; sicut Manichæi errant: nam si hoc verum esset, Dominus non vteretur rebus sensibilibus ad opus diuinæ laudis, & præcipue cum ipse venerit, *vt dissoluat opera diaboli*. 1. Ioann. 4. *Secundo*: Vt ostendat, falsum esse, quod ipsi dicunt, scil. doctrinam veteris Test. non esse à Deo, sed à diabolo. Vt ergo ostenderet, non esse doctrinam aliam noui Test. quam quæ præfigurabatur, & continebatur in doctrina veteris Testamenti, præexistentes panes multiplicauit, innuens, quod ipse est, qui legem perfecit, & impleuit, Matt. 5. *Non veni soluere legem*.

De II. *Gratias egit.*] Vt ostēdat, se ab alio habere, sci. à Patre, quicquid habet, in quo dedit nobis exemplum simile faciendi. Cum comestionem incipimus, gratias debere agere Deo, 1. Tim. 4. *Nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*, Ps. 21. *Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum*, &c. Item vt ostendat, quod non propter se

orabat,

orabat, sed propter turbam, quæ præsens erat; cui oportebat suaderi, quod à Deo venerat. Et ideo, cum coram multis miraculum facit, orat, vt ostendat, se Deo non esse contrarium, sed secundum voluntatem eius operari.

Dicitur tamen in Marco, quod Christus per Apostolos distribuit panes turbis. Sed hic dicitur, quod ipse distribuit, quia ipse videtur fecisse, quod per alios fecit. Sed vtrumq; secũdum mysterium verum est: Quia ipse solus interius reficit, & alij exterius, vt ministri reficiunt. Materia aũt refectionis fuit panis & piscis, de quibus supra. Satietas verò refectionis perfecta fuit, quia (*quantum volebant.*) Solus enim Christus est, qui facit animam inanem, & animam esurientem replet bonis, Psalm. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Alij vero, quasi ex mensura habentes gratiam, miracula faciunt. Christus vero absoluta virtute, cum multa superabundantia omnia operabatur. Vnde dicitur, quod (*impleti sunt.*

PARS III.

De fragmentorum collectione.

PRimo ponitur mandatum Domini. *Secundo*, executio discipulorum. Dicit ergo. [*Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite,* &cæt.) Quod quidem Dominus non ad superfluam ostentationem fecit, sed vt ostenderet factum miraculum non esse phantasticum, per hoc quod collectæ reliquiæ diu seruatæ sunt, & aliis in cibum fuerunt. Voluit etiam per hoc miraculũ illud firmius disci-

pulorum

pulorum cordibus inhęrere, quibus & fragmenta portanda præcepit, quoniam eos maxime erudire volebat, qui orbis terrarum debebant esse magistri

De II. Sed discipuli fideliter exequuntur. Vnde sequitur: (*Collegerunt.*) Nota, quod non quantæcunque reliquiæ supersunt: sed secundum certitudinem, quia neque plus neque minus, sed quantum voluit, fecit superfluum esse. Cuius signum est, quod cophinus cuiuslibet Apostoli plenus fuit. Cophinus autem vas est rustico officio deputatum. Duodecim ergo cophini significant duodecim Apostolos, & eorum imitatores, qui licet in præsenti sint contemptibiles, spiritualium tamen sacramentorum diuitiis sunt interius refecti. Qui duodecim esse dicuntur, quia fides sanctæ Trinitatis per eos prædicanda erat, in quatuor partibus mundi.

CONCIONIS III. DISPOSIT.

Illi ergo homines cum vidissent, quod Iesus fecerat. Ioan. 6.

PROPOSITIO. Posito signo visibili de nutrimento corporali; hic ponitur effectus signi in turbis duplex,

PARTITIO.

I. *Quantum ad fidei confessionem.*
II. *Quantum ad intentam honoris exhibitionem.*

PARS

PARS I.

De plebis confeßione fidei.

NOta, quod quaſi ex ore Iudæorum dictum eſt in Pſal. 73. Signa noſtra non vidimus, iam non eſt Propheta. Erat autem olim conſuetudo, vt Prophetæ multa ſigna facerent, vnde deficientibus ſignis videbatur prophetia ceſſaſſe. Cum vero ſigna vident, redditam ſibi prophetiã confitentur. Vnde iam tantum de viſo miraculo profecerant, vt Dominum Prophetam dicerent. Dicitur ergo: (*Illi homines,*) qui ſatiati fuerant ex quinque panibus (*Cum vidiſſent, quod fecerat ſignum, dicebant*, &cæt.) Nondum ad perfectam fidem peruenerant, quia eum Prophetã credebant, qui erat Dominus Prophetarum. Nec tamen ex toto falluntur, quia etiam ipſe Dominus ſe Prophetam nominat. Sed 1. Regum 9. Qui nunc dicitur Propheta, olim vocabatur *Videns.* Viſio ad vim cognoſcitiuam pertinet. In Chriſto autem fuit triplex cognitio: *Senſitiua*, & ſecundum hanc habuit aliquam ſimilitudinem cum Prophetis, inquantum in imaginatione Chriſti formari poterant aliquæ ſpecies ſenſibiles, quibus futura, vel occulta præſentarentur, præcipue propter paſsibilitatem, quæ ipſi conueniebat propter ſtatum viatoris. *Intellectiua*: Quantum ad hanc, non habet ſimilitudinem cum Prophetis: ſed etiam eſt ſupra angelos. Quia erat comprehenſor excellentius, quam aliqua creatura. *Diuina:* Quantum ad hanc, fuit Prophetarum & Angelorum

inſpi-

inſpirator, cum omnis cognitio cauſetur per participationem Verbi diuini. Videntur tamen in Chriſto excellentiam prophetiæ cognoſcere in hoc, quod dicunt (*vere Propheta.*) Licet enim multi Prophetæ inter Iudæos fuerint, vnus tamen expectabatur in eis præcipuus; Deut. 18. *Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus*, & de hoc loquuntur: Vnde ſignanter dicit, (*qui venturus eſt in mundum.*)

PARS II.

De honore turbæ in Ieſum.

PОnitur ſecundus effectus, quantum ad intentatam honoris exhibitionem, quam tamen Chriſtus refugit. Et ideo *primo* ponitur conatus plebis: *ſecundo* fuga Chriſti. De I. Conatus quidem, cum dicit: (*Vt raperent eum, & facerent eum Regem.*) Rapi dicitur, quod præter voluntatem & opportunitatem accipitur. Verum autem erat, quod diſpoſitio Dei Patris ab æterno fuerit de regno Chriſti manifeſtando: ſed manifeſtatio hæc nondum opportuna erat ſecundum tempus. Nam venerat nõ regnare, quomodo regnans eſt in eo, quod dicimus: *Adueniat regnum tuum.* Vbi regnabit etiam ſecundum illud, quod *homo factus eſt.* Et ideo huic manifeſtationi aliud tempus eſt ordinatum, quando ſcilicet erit aperta claritas Sanctorum eius; poſt iudicium ab eo factum. De iſta manifeſtatione quærebant diſcipuli Acto. 1. *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?*

Credentes ergo turbæ eum regnaturũ veniſſe, vole-

volebant eum facere Regem. Cuius ratio est, quia hoēs frequenter talem in Dominum volunt, qui eos in temporalib. pascat. Vnde quia Christus pauerat eos, eū Regem facere voluerunt, Isa. 3. *Vestimentum tibi est, esto princeps noster.* Chrys. dicit: *Vide quanta est gulæ virtus, non eis vltra cura est sabbati transgreßionis, nec vltra zelant pro Deo, sed omnia remota sunt ventre repleto: sed & Propheta iam erat apud eos, & Regem eum inthronizare volebant.*

De II. *Fugit iterum in montem, &c.*] Significatur quod Dominus videns turbas, de monte descenderit, & circa inferiora loca pauerit turbas. Nisi enim de monte descendisset, non diceretur iterum fugere in montem. Sed cum ipse sit vere Rex, quare fugit? Ad quod triplex ratio assignatur. *Vna:* Quia derogasset dignitati eius, si regnum ab homine recepisset; qui sic Rex erat, vt eius participatione Reges omnes essent, Prou. 8. *Per me Reges regnāt. Alia ratio.* Quia præiudicasset suæ doctrinæ, si claritatem aut robur ab hominibus accepisset. Sic n. operabatur & docebat, vt totum virtuti diuinæ ascriberetur, & non fauori humano, Ioan. 5. *Claritatem ab hominibus non accipio. Tertia ratio* est. Vt erudiret nos mundanas dignitates contemnere, Ioa. 13. *Exemplum enim dedi vobis, &c.* Eccl. 7. *Noli quærere ab homine ducatum.* Sic ergo gloriam mundi recusauit, vt tamen pœnam sponte subiret, secundum illud Heb. 12. *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.*

Sed huic videtur contrariū, quod dicitur *Mat. 3.* ascendisse solus in montē orare. Sed secundū Aug.

hæc non sunt contraria, quia causa fugiendi coniuncta est causæ orandi: nunc enim docet nos Dominus magnam causam esse orandi, cum imminet causa fugiendi.

Mystice autem tunc ascendit in montem, quando turbæ refectæ paratæ erant ei subiici: quia tunc ascendit in cœlum, quando populi parati erant, se veritati fidei subiicere, secundum illud Psalm. 7. *Synagoga populorum circumdabit te, & propter hanc in altum regredere*, id est, vt circumdet te Synagoga populorum, regredere in altum. Sed dictum est, (*fugit.*) Vt signaret, quod non potuit intelligi altitudo eius. Quod enim non intelligimus, dicimus à nobis fugere.

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioann. 8.

SCOPVS. Postquam posuit diabolicam conditionem, hic consequenter ostendit Iudæos esse diabolicæ conditionis imitatores. Duas autem malitiæ conditiones Dominus diabolo ascripsit, homicidium scilicet & mendacium, sed de homicidio quidem in quo isti diabolum imitabantur, reprehendit eos supra. Nunc autem *quæritis me interficere*, &c. & ideo hoc prætermisso, redarguit eos de auersione eorum à veritate.

CON-

CONCIONIS I. DISPOSITIO.

SCOPVS. Contendit Dominus cum Iudæis quoad iuſtitiam ſuam inculpabilem.

PARTITIO.

I. *Oſtendit eos à ſeſe eſſe auerſos.*
II. *Ei contradicitur.*
III. *Refutantur.*
IV. *Arguit iniuriantium pertinaciam.*

PARS I.

Iuſtitiam Domini cauſam auerſionis eſſe oſtendit.

P*Rimo* oſtendit eos eſſe auerſos à veritate. *Secundo,* cauſam quam allegare poterant, excludit. *Tertio*, veram cauſam auerſionis concludit.

De primo, dictum eſt, quod diabolus mendax eſt & pater eius, quem quidem vos imitamini, quia veritati non vultis adhærere. Vnde dicit: (*Ego autem ſi veritatem dico vobis, non creditis mihi,*) Luc. 22. *Si autem dixero, non creditis mihi.* Ioan. 3. *Quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credetis?* Vnde & Iſai. 53. conqueritur dicens: *Domine quis credit auditui noſtro?* Cauſa autem ſuæ infidelitatis quam poterant Iudæi allegare, eſt peccatum in Chriſto: nam peccatori etiam in veritate non de facili creditur. Vnde Pſalm. 49. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas?*

De II. Poterant ergo dicere: Non credimus, quia peccator es, & ideo hanc cauſam excludit di-

cens: (*Quis ex vobis arg.*) q. d. Non habetis iustam causam, quare mihi veritatem dicenti non creditis; cum in me nullum peccatum inueniri posſit, 1. Petr. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Secundum Grego. penſanda eſt Dei manſuetudo, qui non dedignatur ex ratione oſtendere, ſe peccatorem non eſſe; qui ex virtute diuinitatis poterat peccatores iuſtificare. Iob 22. *Si contempſi ſubire iudicium meum cum ſeruo meo,* &c. Admiranda eſt etiam Chriſti ſingularis puritatis excellentia; quia, vt Chryſoſt. dicit: Hoc nullus hominum fiducialiter potuit dicere: (*Quis ex vobis arguet me,* &c.) niſi ſolus Deus noſter, qui peccatum non fecit, Prouerb. 20. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meũ, purus ſum à peccato,* q. d. nullus, niſi ſolus Deus, Pſalm. 13. *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum,* id eſt, Chriſtum.

De III. Veram autem cauſam auerſionis concludit, dicens: (*Si veritatem dico, quare non,* &cæt.) Tria facit. *Primo* ponit quæſtionem. *Secundo* aſſumit rationabilem propoſitionem. *Tertio* infert intentam concluſionem.

De I. Ex quo ergo non poteritis dicere, quod ideo non creditis mihi, quia peccator ſum, nunc reſtat quærere, quare (*Si veritatem dico, non creditis mihi?*) quia non ſum peccator, quaſi dicat: Si me, quem exoſum habetis, non poteſtis arguere de peccato, manifeſtum eſt, quoniam propter veritatem me odio habetis; quoniam dico me filium Dei, Prouerb. 18. *Non recipit ſtultus verba prudentiæ.*

De

De II. Rationabilem autem propositionem, & veram assumit dicens: (*Qui ex Deo est, verba*, &c.) Vt enim dicitur Eccl. 14. *Omne animal diligit sibi simile*. Quicunque ergo est ex Deo, inquantum huiusmodi, eius similitudinem habet & horum quæ sunt Dei, & eis inhæret. Vnde *qui ex Deo est, verba Dei* libenter *audit*. Ioan. 19. *Omnis qui est ex veritate, audit meam vocem*. Præcipue autem verbum Dei libenter audiri debet ab his, qui ex Deo sunt; cum ipsum sit semen, per quod in filios Dei generamur, Ioan. 8. *Illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est*.

De III. Et ideo ex hoc intentam cõclusionem infert dicens: (*Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis;*) quasi dicat: Non ergo peccatum meum est causa incredulitatis vestræ, sed malitia vestra, Eccl. 4. *Quam aspera est nimium indoctis hominibus sapientia*. Et, vt dicit Augustinus: *Ex Deo quidem sunt secundum naturam: sed ex Deo non sunt, vitio & praua affectione:* nam eis hoc verbum dictum est, qui non solum peccato vitiosi erant. Hoc enim commune omnibus erat, sed etiam præcogniti quod nõ fuerant credituri ea fide, qua possent à peccatorum obligatione liberari.

NOTA, quod triplex est gradus male affectorum, vt dicit Greg. Nam *quidam* sunt qui præcepta Dei, nec aure corporis dignantur audire: sed Psal. 7. *Sicut aspidis surdæ & obturantis aures*, &c. *Quidam* vero sunt, qui hæc quidẽ corporis aure percipiũt; sed nullo ea mentis desiderio cõplectuntur, nõ habentes voluntatẽ implẽdi, Eze. 33. *Audiunt sermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticũ oris sui vertunt*

illos, & auaritiam sequitur cor eorum. Quidam autem sunt qui libenter verba Dei suscipiunt; ita vt etiam in fletibus compungantur; sed post lachrymarum tempus, vel tribulationibus oppressi, aut allecti delitiis, ad iniquitatem redeunt, vt Matt. 13. Et Luc. 8. de verbo à solicitudinibus suffocato, Ezech. 3. *Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.* Est ergo signum, quod homo sit à Deo, quia scilicet libenter audit verba Dei, sed qui recusant audire affectu vel effectu, ex Deo non sunt.

PARS II.

De Iudaeorum contradictione.

DVo autem imponunt Iudæi Christo. *Primo* quidem: (*Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es?*) Datur intelligi, quod hoc frequenter Domino improperabant. *Secundo,* (*Dæmonium habes.*) Matth. 9. & 12. *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia,* &c. Sed quod dixerunt eum Samaritanum, nusquam nisi hic in Euangelio inuenitur; licet forte hoc multoties dixerint. Multa enim non sunt scripta in Euangeliis, vt dicitur Ioan. 20.

Duplex autem causa assignari potest, quare Iudæi hoc Christo dicebant. *Vna* quidem, quia Samaritani gens odiosa erat pro populo Israelitico, eo quod decem tribubus in captiuitatem ductis, terram eorum possidebant, Ioan. 4. *Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Quia ergo Christus Iudæos arguens credebatur à Iudæis, quod hoc ex odio faceret; ideo eum Samaritanum & quasi aduersariũ repu-

reputabant. *Alia ratio*: Quia Samaritani partim quidem ſeruabant ritus Iudaicos; partim vero non. Videntes ergo Iudæi Chriſtum in aliquo legem ſeruantem, & in aliquo diſſoluentem, vtpote ſabbatum; vocabant eum Samaritanum.

Similiter autem duplici de cauſa dicebant eum habere dæmonium. *Vna* quidem, quia miracula, quæ faciebat, & cogitationes eorum, quas reuelabat, non attribuebant virtuti diuinæ in Chriſto, ſed arti dæmonum. Vnde dicebant: *In Beelzebub principe dæmoniorum*, &c. *Alia ratio* eſt, propter eius ſermones, tranſcendentes capacitatem humanã, dicens: *Deum patrem ſuum eſſe, & deſcendiſſe de cælo*, &c. Conſuetudo autem rudium eſt, vt cum talia audiunt, diabolica reputent. Et ſic iſti Ioan. 10. *Alij dicebant, dæmonium habet*, &c. Dicunt autem, vt arguant de peccato, contra illud quod dixerat: *Quis ex vobis arguet me?* &c.

PARS III.

De refutatione eorum.

PRimo quidem Dominus non ſe excuſat, & hoc duplici de cauſa. *Vna* quidem ſecundum Origenem, quia Iudæi ſemper volebant ſe à gentilib. ſeparare. Iam autem venerat tempus, quo remouenda erat diſtinctio gentilium & Iudæorum, & omnes ad viam ſalutis reuocandi; & ideo Dominus vt oſtendat ſe veniſſe pro ſalute omnium, vt, magis quam Paulus *omnibus omnia factus*, omnes nanciſcatur, 1. Corint. 9. Ideo non negauit ſe eſſe

Samaritanum. *Alia ratio est.* Quia *Samaritanus* interpretatur *custos*, & quia ipse præcipue custos noster est; secundum illud Psalm. 120. *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel:* ideo se Samaritanum esse non negauit.

Negat autem se dæmonium habere dicens: (*Ego dæmonium non habeo.*) Duo facit: *Primo* repellit illatam iniuriam: *Secundo* manifestat hoc per oppositum. De I. Nota circa primum, quod Dominus Iudæos corrigendo, frequenter eis dure locutus est: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ:* & multa quę leguntur in Euangeliis: Non aūt inuenitur, quod Dominus Iudæis sibi dura verba vel facta inferentibus, iniuriose vel dure locutus fuerit, sed, vt dicit Gregor. *Iniuriam suscipiens Deus, non contumelosa verba respondit:* simpliciter dicit: (*Ego dæmonium non habeo.*) Ex qua re, quid nobis innuitur, nisi vt eo tempore quo à proximis ex falsitate contumelias accipimus, etiam eorum verba mala taceamus, ne ministerium iustæ correctionis in arma vertatur furoris: Et quod quæ ad Deum pertinent, vindicare debemus, quæ vero ad nos, despicere. Hoc autem (*Ego dæmonium non habeo,*) solus dicere potest, vt Origenes dicit. Nam ille nihil quod dæmonis est, leue videlicet aut graue in se habet. Vnde Ioan. 16. *Venit princeps huius mūdi, & in me non habet quicquam.* 2. Cor. 6. *Quæ conuentio Christi ad Belial?* De II. Manifestat aūt hoc, quod dixit per oppositū dicens: *Sed honorifico Patr.*) Diabolus n. honori Dei resistit. Qui ergo quęrit Dei honoré, alienus est à diabolo. Christus ergo qui honorificat Patré, sc. Deū, dęmoniū non habet. Est aūt propriū Christo & singulare, vt

honorificet Patrē ſuū, vt dicitur Mal. 1. Filius hono rificat Patrē: Chriſtus vero ſingulariter eſt Dei fili⁹

PARS IV.

Arguit iniuriantium pertinaciam.

ET *primo* arguit iniuriātes. *Secundo* excludit cauſam inopinatam arguitionis. *Tertio* prædicit eis debitam damnationem. Dicit ergo *primo*: *Ego honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me*) q. d. Ego facio, quod debeo, vos facitis, quod nō debetis: imo dum inhonoraſtis me, inhonoratis Patrem meū, Ioan. 5. *Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum.* ❡ De II. Sed quia poſſent dicere, nimis durus es; nimis gloriam tuam curas, ſic nos arguendo: ideo hoc excludens ſubdit, inquantum eſt homo, (*Ego gloriam meam non quæro.*) Solus n. Deus eſt, qui poteſt gloriam ſuam abſque culpa quærere. Alij autem non niſi in Deo, 2. Cor. 9. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Ioa. 6. *Si ego glorifico meipſum gloria mea nihil eſt.* Sed nu nquid Chriſtus inquantum homo non habet gloriam? Imo magnā per omnem modum. Sed licet ipſe eam non quærat, (*eſt tamen qui quærat,*) ſcil. Pater: nam dicitur in Pſ. 8. *Gloria & honore coronaſti eum*, ſc. Chriſtum hominem. Et Pſ. 20. *Gloriam & magnum decorem impoſuiſti ſuper eum.*

De III. Et non ſolum gloriam meam quæret in operantibus viuas veritatis cauſas, ſed & puniet & condemnabit contradicentes gloriæ meæ. Vnde ſubdit: (*Et iudicet.*)

Sed contra Ioan. 5. dicitur: *Pater non iudicat quen-*

quam, sed omne iudicium dedit filio. Respondeo 1. Pater non iudicat quêquam seorsum à filio: quia etiam hoc iudicium, quod faciet de eo, quod iniuriamini mihi, per filium faciet. 2. *Vel dicendum,* quod iudicium quandoque pro condemnatione accipitur. Et hoc iudicium Pater dedit Filio, quia ipse solus apparebit in forma visibili, in iudicium. Quandoque accipitur pro discretione, & de hoc loquitur hic. Vnde dicit Psalmo 42. *Iudica me Deus, & discerne causam meam,* q.d. est pater, qui gloriam meam à vestra discernet. Vos enim pro sæculo gloriari discernit, & gloriam filij sui, quem *vnxit præ participibus suis,* & qui sine peccato est, vos vero homines cum peccato.

CONCIONIS II. DISPOSITIO.

Amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit. Ioan. 8.

SCOPVS. Supra Dominus duo promiserat eũ sequentibus, scilicet liberationem à tenebris, & adeptionem vitæ, dicens: *Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris,* &c. Et de primo quidem dictum est supra. Nunc agitur de secundo, scil. de adeptione vitæ per Christum.

PARTITIO.

I. *De conatu redarguendi propositam veritatem.*
II. *De responsione Domini quoad gloriam propriam.*
III. *De gloriæ suæ manifestatione.*

IV. De

IV. De comparatione Domini cum Abraham.
V. De Iudæorum irrisione in Dominum.
VI De conatu lapidationis.

PARS I.

De conatu redarguendi propositam veritatem.

I. VEritatem proponit Dominus. II. Contradicunt Iudæi. Quoad 1. *Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus,* &cæt.] Sciendum est autem; quod, quamuis Christus lacessitus esset iniuriis & opprobriis; nō tamen destitit à doctrina, sed postquam habere dæmonium dictus est, prædicationis suę beneficia largius impendit dicens: (*Amen amen dico vobis,* &c.) In quo datur vobis exemplū, quod cum malorum peruersitas crescit, & per opprobria hominum conculcantur, qui conuertuntur; non solum prędicatio frangi non debet, sed etiam augeri, Ezech. 3. *Tu ergo fili hominis ne timeas,* &c. 1. Timoth. 3. *Laboro vsque ad vincula quasi male operans, sed verbum Dei non est alligatum.* Duo autem facit Dominus in his verbis. Vnum, quod requirit, aliud quod promittit. 1. Requirit quidē sermonis sui obseruationem. *Si quis sermonem meum seruauerit,* &c.) Nam sermo Christi veritas est: Ideo debemus ipsum seruare. *Primo* quidem per fidem, & iugem meditationem, Prouerb. 4. *Serua eam & seruabit te. Secundo* vero per operis impletionem, Ioann. 14. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.* 2. Promittit autem mortis liberationem.

 (*Mor-*

(*Mortem non videbit in æternum,*) id eſt, non experietur, Eccl. 24. *Qui operantur in me,* ſci. in diuina ſapientia, *non peccabunt, & qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Et congrue tali merito debetur tale præmium. Nam vita æterna præcipue in diuina viſione conſiſtit. Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Huius autem viſionis, quoddam ſeminarium, & principium in nobis fit per verbum Chriſti. Matt. 13. *Semen eſt verbum Dei.* Sicut ergo ille, qui ſeruat ſemen alicuius plantæ vel arboris ne corrumpatur; peruenit ad perceptionem fructus: ita qui ſeruat verbum Dei, peruenit ad vitam æternam, Leuit. 18. *Quæ fecerit homo, viuet in eis.*

Quoad II. Conantur eum redarguere præſumptionis. *Primo* irrogando improperium. *Secundo,* proponendo factum. *Tertio* interrogando duo.

De I. Irrogauerunt autem improperium mendacij, cum dicunt: *(Nunc cognouimus, quia dæmonium habes.)* Hoc ideo dixerunt: quia notum eſt apud Iudæos, quod adinuentor peccati eſt diabolus, & præcipue mendacij: ſecundum illud 3. Reg. *Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore ipſorum.* Quia autem videbatur eis hoc: *Si quis ſermonem meum,* &c. apertum mendacium eſſe: (nam ipſi tanquam carnales intelligebant de morte corporali, quod de ſpirituali & æterna morte dixerat:) & præcipue quia contrariatur auctoritati ſacræ Scripturæ, Pſalmo 88. *Quis eſt homo, qui viuit, & non videbit mortem?* Ideo dicunt ei: (*Dæmoniũ habes,*) quaſi dicat, ex inſtinctu dæmonis mendacium loqueris.

De

De II. Vt conuincant eum de mendacio. *Primo* quidem proponunt mortem antiquorum. *Secundo* vero repetunt verba Christi ibi: (*Et tu dicis*, &c.) 1. Dicunt ergo, vere falsum est, quod loqueris: Si quis sermonem tuum, &cæt. Nam (*Abraham*) homo (*mortuus est*,] vt patet Gen. 25. Similiter (*& Prophetæ mortui sunt*,) 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & quasi aqua delabimur in terram.* Et quidem licet mortui sint corporaliter, non tamen mortui sunt spiritualiter, Matth. 23. *Ego sum Deus Abraham*, &c. sequitur: *Non est Deus mortuorum, sed viuorum.* Mortui ergo sunt corpore, sed viuunt spiritu, quia sermonem Dei seruauerunt & vixerunt ex fide. Et de ea morte Dominus intelligebat, non de corporali.

2. Verbum autem Christi repetunt, cum subdunt: (*Et tu dicis*, &c.) Velut incauti & maligni auditores Dominicũ sermonem confundentes, non repetunt eadem verba. Nam Dominus dixit: *Mortem non videbit*, ipsi vero protulerunt: (*Mortem non gustabit*,) sed quantum ad eorum intentionem idem est, quia per vtrumque ipsi intelligunt, quod mortem scilicet corporalem, non experietur in ęternum: Sed quantum ad verum intellectum differunt, vt Orige. dicit, mortem gustare & videre. Nã *videre mortem*, est eam perfecte experiri. *Gustare mortem*, est aliquem mortis gustum seu participationem habere. Sicut autẽ est plus ad pœnã videre mortem, quam gustare, ita plus est ad gloriam nõ gustare mortem, quam videre. Illi n. non gustant, qui in alto sunt cũ Christo, sc. in intellectuali loco

statum

ſtatum obſeruant. De quibus Matt. 14. *Sunt de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem*, &c. Aliqui tamen ſunt, qui, ſi non videant mortaliter peccando: tamen aliquid guſtant per aliquam leuem terrenorum affectionem: Et ideo Dominus vt habetur in Græco, & Origenes etiam exponit, dixit: *mortem non videbit in æternum*, quia qui ſermonem Chriſti acceperit, & cuſtodierit, etſi guſtet aliquid, non tamen videbit mortem.

De III. Interrogant autem & primo quidem quærunt de comparatione ipſius ad antiquos patres: (*Nunquid*, inquiunt, *tu maior es*, &c.) Poterant vt Chryſoſt. dicit, ſecundum carnalem eorum intellectum altius quærere. Nunquid ſcilicet tu maior es Deo? Nam Abraham, & Prophetæ mandata Dei ſeruauerunt; & tamen corporaliter mortui ſunt. Sic ergo, *ſi quis ſermonem tuum ſeruauerit, non morietur*; videtur, quod ſis maior Deo. Sed contenti ſunt hac redargutione; quia putabant eum minorem, quam Abraham. Cum tamen ſit ſcriptum Pſal. 85. *Non eſt ſimilis tui in diis Domine*. Et Exod. 15. *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* q. d. nullus. Secundo quærunt de ſui exiſtimatione, *quem* ſcilicet *ſeipſum facit?* q. d. Si tu es maior iſtis, ſc. Abraham & Prophetis, videtur, quod ſis altioris naturæ, puta Angelus, vel Deus. Sed hoc non exiſtimamus de te: & ideo non dicunt: Tu quis es? ſed (*quem teipſum facis?*) quia quicquid dicitur ſupra iſtos, nos recognoſcemus de te, reputabimus, quod tu illud fingas. Similiter dicebant Ioan. 10 *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum.*

PARS

PARS II.

De responsione Domini ad secundam quæstionem Iudæorum, quoad gloriam propriam.

HIc tria facit: *Primo* excludit falsitatem, quam intendebant. *Secundo* docet veritatem, quam ignorabant. *Tertio* manifestat vtrumq;, quod proponebant ibi: (*Et non cognouistis eum.*) De I. ergo: Quæritis ex me: (*Quem teipsum facis?*) ac si gloriam, quam non habeo, mihi vsurpem. Sed superuacua fuit hæc quæstio; quoniam non me facio id, quod sum; sed ex Patre accepi: Nam (*si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.*) Quod secundum hunc modum posset intelligi de Christo, secundũ quod est filius Dei, vt dicatur cum præcisione, (*si ego*) sc. solus (*glorifico meipsum,*) id est, attribuam mihi gloriam, quam pater mihi non attribuat, (*gloria mea nihil est.*) Nam gloria Christi, secundum quod est Deus, est gloria Verbi & filij Dei. Filius autem nihil habet nisi natus, id est, quod nascendo ab aliquo recepit. Si ergo detur per impossibile, quod gloria sua non esset ab alio, nõ esset gloria filij. Melius tamen videtur, vt dicatur de Christo secundum quod homo. Nam quicunque attribuit sibi gloriam, quam non habet à Deo; gloria illa est falsa; nam quicquid veritatis est, à Deo est. Quod autem est veritati contrarium, falsum est, & per consequens, nihil. Gloria ergo quæ à Deo non est, nihil est. Hebr. 5. Dicitur de Christo, quod non seipsum

psum clarificauit, vt Pontifex fieret. 2. Corin. 10. *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Sic ergo patet Iudæorum falsitas.

De II. Veritatem autem quam intendit docere, ponit, dicens: (*Est Pater meus, qui glorificat me:*) q. d. Non ego meipsum glorifico, sicut vos fingitis; sed alius est, qui me glorificat, scilicet (*Pater meus.*) Quem quidem describit ex proprietate, & ex natura. I. Ex proprietate quidem paternitatis: (*Est Pater meus*) & non ego. Ex quo, vt Aug. dicit, calumniantur Arriani, dicentes: maiorem esse Patrem Filio, nam maior est, qui glorificat, eo, qui glorificatur ab ipso. Si ergo Pater glorificat Filium, Pater maior est Filio. *Sed dicendum*, quod apparentiam quidem haberet argumentum, nisi inueniretur e-conuerso, quod Filius glorificet Patrem. Dicit n. Filius Ioan. 17. *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te.* Et in eodem: *Ego te clarificaui super terram.* In Græco autem idem est, glorifica, & clarifica, & secundum Ambrosium, *gloria est clara cum laude notitia.* Hæc autem quod dicit: (*Est Pater, &c.*) potest referri ad Christum, quà Filiū Dei, quà Filium hominis. Quà est Filius Dei, Pater glorificat eum, gloriâ diuinitatis, ab æterno eum sibi æqualem generando. Hebr. 1. *Qui cum sit splendor gloriæ, &c.* Philip. 2. *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Patris.* Quà Homo, habuit gloriam per redundantiam diuinitatis in ipsum, & gratiæ & gloriæ singularis, Ioann. 1. *Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti, &c.*

II. Ex

II. Ex natura vero diuinitatis describit eum, cũ dicit: *(Quem vos dicitis, quia Deus, &c.)* Ne autem alium Patrem putes, quam Deum, dicit se glorificari à Deo, Ioan. 13. *Nunc clarificatus est Filius hominis, &c. Et Deus clarificabit eum, &c.* Sed secundum August. hoc verũ est contra Manichæos, qui dicunt annunciatum non esse in veteri Test. Patrem Christi; sed esse aliquem ex principibus malorum angelorum. Constat autem quod Iudæi non dicunt alium Deum suum esse, quam Deum veteris Test. Deus veteris Test. est Pater Christi, glorificans eũ. Manifestat autem vtrumque, sc. Iudæorum falsitatem, & suam veritatem.

PARS III.

De suæ gloriæ manifestatione.

MAnifestat autem dupliciter. *Primo* quidem ostendendo Iudæorum ignorantiam: *Secundo*, suam notitiam.

De I. Sciendum, quod possent Iudæi dicere: Tu dicis, quod glorificaris à Deo, sed nobis nota non sunt iudicia eius, secundum illud Ps. 141. *Non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestauit eis.* Ergo si verum est, quod dicis, non vtique sciremus hoc: cum ergo nos lateat, constat, quod non est verum, & ideo concludens dicit: *(Et non cognouistis,)* q. d. Non mirum est, si non cognoscitis gloriam, qua me glorificat Pater meus, quem dicitis Deum vestrum: quia nec ipsum Deum cognoscitis. Sed contra, Psalm. 75. *Notus in Iudæa.*

Respon-

Respondeo 1. vt Deus: sed non vt Pater. Vnde supra dixit: *Est Pater meus*, &c. 2. Vel dicendum, quod non cognouistis eum Affectu: quia carnaliter colitis, qui spiritualiter colendus est. Ioann. 4. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Item Effectu; quia mandata eius adimplere contempsistis. 1. Tim. 1. *Confitentur se nosse Deum factis autem negant.*

De II. Sed quia possent dicere: Esto, quod nos cognoscamus gloriam tuam, quomodo cognoscis tu, gloriam te à Deo Patre habere? & ideo subiungit notitiam suam dicens: (*Ego autem noui eum.*) *Primo* ponit suam notitiam. *Secundo* ostendit necessitatem huius notitiæ proferendæ. *Tertio* exponit, quod dicit.

De primo: Ideo scio me habere gloriam à Deo Patre, quia (*ego noui eum,*) ea scilicet notitia, qua ipse nouit seipsum, & nullus alius filius. Matth. 11. *Nemo nouit Filium nisi Pater, nec Patrem quis nouit nisi Filius*, scilicet cognitione perfecta comprehensionis. Et quia omne imperfectum à perfecto initium sumit, inde est, quod omnis nostra cognitio à verbo deriuatur. Vnde sequitur: *Et cui voluerit Filius reuelare.*

De secundo. Sed quia secundum carnem iudicātibus posset Christo ad arrogantiam ascribi dicenti se nosse Deum, ideo subdit necessitatem dicti sui, cum subiungit: (*Et si dixero, quia non*, &c.) Nam secundum August. non est sic arrogantia vitanda, vt relinquatur veritas, & incurratur mendacium. Ideo dicit: (*Si dixero*) q. d. sicut vos dicentes, scire eum,

eum, mentimini: ita ego (*si dixero*) me nescire, cum sciam eum; (*ero similis vobis mendax.*) Vnde hæc similitudo sequitur à contrario, vt sit similitudo in mendacio. Quia sicut isti mentiuntur, dicentes se scire eum, quem nesciunt: ita Christus esset mendax, si diceret se nescire, quem nouit. Sed dissimilitudo est in cognitione: Quia isti nõ cognoscunt; Christus vero scit eũ. Sed nunquid potuisset Christus hoc dicere? Potuisset quidem verba proferre materialiter; sed non intendere actum exprimendi falsitatem. Quia hoc non potuisset fieri, nisi per inclinationem voluntatis Christi ad falsum, quod erat impossibile: sicut impossibile erat eum peccare. Nihilominus tamen conditionalis est vera, licet antecedens & consequens sit impossibile.

De tertio. Quod autem Patrem cognoscat, manifestat subdens: (*Sed scio eum*, &c.) Et cognitione Speculatiua, cum dicit: (*scio*) intellectualiter per dictam cognitionem (*eum*,) scil. Patrem. Item cognitione Affectiua, scil. per consensum voluntatis ad ipsum. Vnde dicit: (*Et sermonem eius seruo,*) Ioan. 6. *Descendi de cælo, non vt faciam volũtatem meam*, &c.

PARS IV.

De responsione Domini ad I. Quæstionem, de comparatione sui cum Abraham.

N*Vnquid tu maior es?* &c.] Ostendit se maiorem, tali ratione. Quicunque enim expectat bonũ ab aliquo, & perfectionem suam, est minor eo, à quo expectat: sed Abraham totam spem suæ perfectionis,

fectionis, & sui boni habuit in me; ergo est me minor. Et quantum ad hoc, dicit: (*Abraham pater vester,*) de quo scilicet gloriamini. (*Exultauit, vt videret,* &c.) Hic ponit duplicem visionem, & duplex gaudium: sed alio & alio ordine. Nam primo præmittit gaudium exultationis dicens (*exultauit,*) & subdit visionem, dicens, (*vt videret.*) Deinde præmittit visionem, dicens (*vidit*) & subdit gaudium dicens: (*Et gauisus est.*) Et sic gaudium consistit inter duas visiones, procedens ab vna, & tendens in aliam, q. d. (*Vidit, & gauisus est, vt videret diem meum,*)

Primo ergo videndum, quis sit ille dies quem *vidit, & exultauit, vt videret.* Est autem duplex dies Christi; Æternitatis: de quo in Ps. 2. *Ego hodie genui te.* Item dies incarnationis, & humanitatis. De quo Ioann. 9. *Me oportet operari, donec dies est.* Roman. 13. *Nox præcessit dies autem appropinquauit,* &c. Vtroque ergo modo dicimus, quod Abraham vidit primo diem Christi, scilicet æternitatis & incarnationis per fidem, Genes. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam,* &c. & quod vidit diem æternitatis, manifestum est. Alias enim non fuisset iustificatus à Deo, quia vt dicitur Hebr. 10. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est,* &c. Quod autem viderit diem incarnationis, manifestatur ex tribus. 1. Ex iuramento quod exegit à seruo, Genes. 24. quem mittebat. *Pone manum subter fœmore meo, & iura mihi per Deum cœli:* ex quo, vt dicit Aug. signabatur, quod de fœmore eius processurus esset Deus cœli. *Secundo,* vt Greg. dicit: Cum in figura summæ æternitatis tres Angelos hospitio susce-

pit.

pit. *Tertio*, quando cognouit præfiguratam passionem Christi oblatione arietis, & Isaac. Gen. 22. Sic ergo ex hac visione gauisus est, sed non quieuit in ea: imo ex hac exultauit in aliam visionem, s. apertam & per speciem, quasi totum gaudium suum in ea ponens. Vnde dicit: (*Exultauit vt videret,*) aperta visione (*diem meum*) scil. diuinitatis & humanitatis meæ, Luc. 10. *Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre,* &c.

PARS V.

De Iudæorum irrisione aduersus Dominum.

PRimo ponitur irrisio verborum Christi à Iudæis ad confutandum. *Secundo* subditur manifestatio ipsorum verborum à Christo, ad irrisionem vitandam.

De I. Quia ergo Christus dixerat, quod *Abrahã exultauit, vt videret,* &c. Iudæi carnalem mentem habentes, & in eo solam carnis ætatem pensantes, irrident dictum, & dicunt: (*Quinquaginta annos nondum habes.*) Vere quinquaginta annos non habebat, nec etiã quadraginta, sed circa tricesimũ erat, Luc. 3. *Erat Iesus incipiens quasi annorũ triginta.* Quod dicunt: (*Quinquaginta annos,* &c.) ideo forte est, quia apud Iudæos annus iubilæus in maxima reuerentia habebatur, quasi per eum omnia computantes; in quo & captiuos manumittebant, & emptitiis cedebant possessionibus, q. d. Tu nondũ excessisti spatiũ vnius Iubilæi (*& Abraham vidisti?*) Quamuis Dñs nõ dixerit, quod viderit Abraham,

sed quod Abraham diem eius vidit: & ideo Dominus vt irrisionem vitet, respondens Iudæis, verba sua exponit.

De II. *Amen amen dico vobis*, &c.) In quibus verbis Dominus de se notabilia, & efficacia contra Arrianos dicit. *Vnum* est, quia, vt dicit Grego. coniungit simul verbum præsentis temporis, & præteriti. *Ante* enim significat præteritum, *sum*, præsens. Vt ergo ostenderet, se esse æternum, & esse suum, esse æternitatis insinuet: non ait ante Abraham ego fui, sed *ante Abraham ego sum*. Nam esse ęternum, nouit tempus pręteritũ & futurum, sed in vno indiuisibili includit omne tempus. Vnde dici potest illud Exod. 2. *Qui est, misit me ad vos, & ego sum qui sum*. Ante ergo vel post Abraham habuit esse, qui & accedere potuit per exhibitionem præsentis, & recedere per cursum vitæ. Aliud est, secundum Augustinum, quia cum loqueretur de Abraham, qui creatura est, non dixit, antequam Abraham esset, sed (*antequam fieret*.) Sed loquens de se, vt ostendat, quod non est factus vt creatura, sed ab æterno de essentia Patris genitus, non dicit, ego fio, sed (*ego sum*,) qui *in principio erat Verbum*, Ioannis 1. Prouerb. 8. *Ante omnes colles generauit me Dominus.*

PARS VI.

De conatu lapidationis.

PRimo ponitur Iudæorum persecutio. Secundo Christi euasio. Sed persecutio Iudæorum procedit

cedit ex infidelitate. Nam mentes infidelium æternitatis verba sustinere non valentes, nec intelligere ea, reputabant blasphemiam: & ideo secũdum legis mandatum, eum tanquam blasphemũ lapidare volentes. (*Tulerunt lapides, vt iacerent in eũ, &c.*) Et, vt dicit Aug. tanta duritia hominum, quo curreret nisi ad lapides? Ioann. 10. *De bono opere non lapidamus te.* Simile faciunt, qui ex duritia cordis non intelligentes veritatem aperte prolatam, blasphemant proferentem. Vnde dicitur in Canonica Iudæ: *Quæcunque non nouerunt*, &c.

Euasio autem Christi est ex eius potestate, vnde sequitur: (*Iesus autem abscondit se.*) Qui sc. si diuinitatis suæ potentiam exercere voluisset in suis actibus; eos ligaret, aut in pœnas subitæ mortis obrueret. (*Abscondit autẽ se.*) Specialiter propter duo, *Primo*, vt daret fidelib. suis exemplum declinandi persecutores suos, Matth. 10. *Si vos persecuti fuerint in vnam ciuitatem, fugite in aliam.* *Secundo*, quia non elegerat hoc genus mortis, sed potius in ara crucis voluit immolari, & quia nondum impletum erat tempus, adhuc fugit. Sic ergo tanquam homo à lapidibus fugit, non autem abscondit se sub lapide, vel in angulo; sed potestate suæ diuinitatis, inuisibilem se eis exhibens, exiuit & recessit de templo. Simile fecit Luc. 4. Quando voluerunt eum præcipitare de supercilio montis. Per quod, vt Gregorius dicit, significatur, quod illis ipsa veritas absconditur, qui eius verba sequi contemnunt. *Eam quippe, quam non inuenit humilem, veritas fugit mentem.* Isa. 18. *Qui abscondit faciem suam à domo Iacob.*

 Et si-

Et similiter etiam, quia debebat eos, correctionem & veritatem non suscipientes, relinquere, & ire ad gentes: Matt. 21. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*

DOMINICA PALMARVM.

Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, Ioan. 12.

SCOPVS. Præparatio fit ad passionem. Cum igitur vnctione in sepultura fuisset à suis honoratus Dominus: hic exponitur, vt à turbis quoque fuerit glorificatus.

PARTITIO.

I. *De turba Christum inuisente.*
II. *De eadem Christo occurrente.*
III. *De Domino aduenienté.*
IV. *De causa popularis occursus, & inuidia Pharisæor.*
V. *De gentium deuotione ad Christum.*

PARS I.

De turba ad Christum accurrente.

DVo hic: *Primo* ponitur deuotio turbarum visitantium. *Secundo* exagitatur concitatus zelus Pharisæorum inuidentium.

De I. Primo, turbarũ visitatio. *Secundo* subditur visitationis occasio. 1. *Cognouit ergo turba multa ex Iudæis,*

Iudæis, quia Iesus illic esset,) in Bethania, (*& venerunt.*) Ad quod Dominus inuitat Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis*, &c. Et ideo vbi scimus esse eum, debemus festinanter accedere. 2. Causa autem visitationis ponitur duplex. *Vna*, vt fruerentur visione & doctrina Christi. *Alia*, vt viderent Lazarum. Et hoc propter duo: *Primo*, quia illud quod factũ erat circa ipsum inquantũ quatriduanus in monumẽto suscitatus fuit, valde mirabile erat. Et hoc homines videre desiderant. Ps. 138. *Mirabilia opera tua & anima mea cognoscit nimis*, i. laborabit ad cognoscendum. *Secundo*, quia sperabant Lazaro referente, aliquid de alia vita audire, cuius cognitionis desiderium innatum est hominibus. Hoc autem est contra illud, quod stulti dicunt Sap. 2. *Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, &c. Et non est, qui agnitus sit reuersus ab inferis.* Ecce enim Lazarus, quem suscitauit à mortuis, ab inferis rediit. Concitatum autem zelum Pharisæorum inuidentium ponit, dicens.

De II. (*Cogitauerunt*, &c.) In quo videbantur obuiare Deo, ipse enim viuificauit Lazarum, & isti volebant occidere, Iob 15. *Cucurrit aduersus Deum erecto collo & pingui*, &c. Ratio autem zeli ponitur. (*Quia multi propter illum abibant*, &cæt.) Quæritur. Christus multos sanauerat, puta paralyticum, Ioann. 5. Cæcum natum, Ioann. 9. Quare Lazarum tantum volebant occidere? Ad quod Chrysostomus quatuor rationes assignat. *Vnam*, quia istud miraculũ erat euidentius corã multis factũ, & inopinabile, videre mortuũ quadriduanũ, ambulantẽ

& loquentem. *Alia* ratio erat, quia Lazarus persona insignis erat. Cæcus autem persona ignobilis. Vnde & eiecerunt eum de templo. *Tertia* ratio est, quia miraculum istud factum est imminente festiuitate, quando totus populus Iudæorum, ad diem festum conueniens admirabantur, & dimittentes festiuitates, Bethaniã veniebant. *Quarta* ratio, quia in aliis Christi miraculis nitebantur criminari violationem sabbati, & per hoc ab eo turbas adducere, sed hic nihil tale facere poterant, Vnde, quia in nullo valebant conqueri contra Iesum: aduersus Lazarum faciunt conatum: tanquã hæc esset potissima via ad miraculum occultandũ. Prouerbior. 1. *Pedes eorum ad malum currunt, & festinant*, &c.

PARS II.

De turba occurrente Christo.

OBuiatio describitur quoad quatuor. *Primo*, quantum ad tempus. Quia (*incrastinum*,) scil. ab illo die, de quo dixerat: *Ante sex dies Pascha*, qui est decimus dies mensis. Et congruit figuræ, Exodi 12. vbi dicitur, quod agnus Paschalis, qui immolandus erat quarto decimo die ad vesperam, debebat accipi decimo die mensis. *Secundo* describitur quoad personas obuiantes, quia (*turba multa quæ conuenerat ad diem festum.*) Per quod significatur populorum multitudo, qui conuertendi erant ad Christum. Psalm. 7. *Synagoga populorum circumdabit me*. Dicit autem (*ad diem festum*.) Quia ad hoc fideles

les conuertuntur ad Christum; vt ad diem festum cœlestis Hierusalem perueniant. Matth. 8. *Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent*, &c. *Tertio* describitur, quantum ad motiuum obuiandi, quod est auditus de aduentu Iesu. (*Cum audissent, quia venit Iesus Hierosolymam.*) Ad Christum enim omnes fideles conuertuntur propter auditum fidei, Roman. 10. *Fides ex auditu, auditus autem*, &c. Exod. 5. *Audierunt filij Israel, quod visitasset*, &c.

Quarto describitur, quantum ad modum obuiandi.

Et I. Quantum ad ea quæ fecerunt, quia (*receperunt ramos palmarum.*) Palma enim, quia viriditatem suam conseruat, significat victoriam. Vnde & apud antiquos triumphantibus in signum victoriæ dabatur. Et de martyribus triumphantibus legitur Apoc. 7. *Palmæ erant in manibus eorum.* Rami ergo palmarum secundum Augustinum laudes sunt, significantes victoriam, quia Dominus erat mortem moriendo superaturus. In trophæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. (*Et processerunt obuiam ei,*) Amos 4. *Præparare in occursum Dei tui*, &cæt. II. Quantum ad ea quæ dixerunt: [*Quia clamabant Osanna*, &c.] Vbi ponit petitioné, & laudem 1. Petitionem quidem cum dicunt. [*Osanna,*] id est, salua obsecro. q. d. *Osy*, quod est salua, & *Anna*, quod est, obsecro. Quod secundum Aug. non est verbum, sed interiectio deprecantis. Rectè à Domino Iesu salutem petunt: quia dicitur Isai. 35. *Dominus ipse veniet & saluabit nos*, Psal. 79. *Excita potentiam tuam, & veni.*

2. Laudant autem quantum ad duo: Quoad eius aduentum, & potentiam regni eius. 1. Aduentum quidem eius laudant, dicentes: (*Benedictus qui venit in nomine Domini*, &c) Vnde sciendum est, quod benedicere est bonum dicere. Aliter autem Deus benedicit nobis. Aliter nos Deo. Deus enim benedicendo nobis, facit nos bonos; nam dicere suum, est eius facere: *dixit enim & facta sunt*. Nos autem benedicendo Deo, confitemur eius bonitatem. Psalm. 117. *Benediximus vobis de domo Domini*. Genes. 26. *Qui benedixerit tibi, sit ille benedictus*, &cæt. (*Benedictus*,) ergo, (*qui venit in nomine Domini*,) Christus enim operabatur in nomine Dei, quia omnia opera quæ faciebat, ad gloriam Dei ordinabat.

Quia vero & Pater Dominus est, & Filius Dominus est, ideo hoc quod dicitur: (*In nomine Domini*,) potest intelligi dupliciter: Vno modo: *Benedictus qui venit in nomine Domini*.i. in nomine suiipsius, tanquam Dominus. Isai. 30. *Dominus legifer noster*. Moyses ergo hoc modo, non venit in nomine Domini, quia venit sicut seruus. Hebr. 6. *Moyses in omni domo sua tanquam famulus*, &c. Sed secundũ Aug. melius dicitur: (*In nomine Domini*, s. Patris. Nam verba eius ad hoc nostrum dirigunt intellectum. Ioa. 6. *Ego veni in nomine Patris mei*, &c.

Dupliciter autem dicitur venire in nomine Patris. *Primo* quidem inquantum venit vt filius. Per quod datur intelligi Pater. *Secundo* inquantum venit vt manifestans Patrem. Ioan. 14. *Manifestaui nomen tuum*, &c.

1. Poten-

1. Potentiam vero regni eius laudant, cum dicunt, (*Rex Israel.*) Ad literam enim credebant Iudæi quod venisset regnaturus temporaliter super eos, & redemturus eos à seruitute Romanorum, & ideo applaudebant ei tanquam regi, Hiere. 33. *Regnabit Rex, & sapiens erit*. Isa. 32. *Ecce in iustitia regnabit Rex*, &c. Sed sciendum, quod omnia verba prædicta poterant haberi ex Psalmis. Nam cum Psal. 117. diceret: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes*, subdit: *O Domine saluum me fac Benedictus*, &c. Vbi Hieronymus secundum Hebræam veritatē transtulit *Osanna, Benedictus*, &c. Sed hoc, quod subdūt: (*Rex Israel*,) non est in Psalm. Sed est ibi, *Deus Dominus, & illuxit nobis*. In quo ex eorum cæcitate minuunt eius laudem: quia Psalmus laudat eum tanquam Deum; ipsi vero tanquam regem temporalem.

PARS III.

De Domino aduenienteɔ.

PRimo ponit modum veniendi. *Secundo* inducit prophetiam. *Tertio* ostendit dispositionem discipulorum circa hoc factum.

De I. *Nota* 1. Ioannes Euangelium suum post oēs alios Euangelistas cōscripsit. Vnde omnia Euangelia diligenter perlegerat. Et quæ per alios diffuse dicta erant, ipse cōpendio tradidit. Quæ vero omiserant, ipse suppleuit. Quia vero diffuse in aliis Euāgelistis habetur, quomodo Domin⁹ misit duos de discipulis suis, vt asinam adducerent: Ideo hoc

Ioannes

Ioannes breuiter pertransiuit, dicens: (*Et inuenit Iesus asellum, & sedit super eum*, &c.

NOTA 2. Quod facta Christi sunt quasi media inter facta veteris Testamenti, & noui; & ideo tam *turba* quæ præcedebat, quam quæ sequebatur, eum laudabat, inquantum facta Christi sunt regula & exemplar eorum, quæ fiunt in nouo Testamento; & præfigurata à patribus veteris Testamenti. *Asellus* autem, quod est animal rude, significat populum gentium, super quem sedit, vt significaret; quod ipse redempturus esset gentes, Isaiæ 42. *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea*. &c. Isaiæ 32. *Beati qui seminatis super omnes aquas, mittentes pedem bouis & asinæ*, id est, coniungentes in veritatem fidei populum Iudæorum & gentium. Quia autem Matthæus Euangelium suum scripsit Iudæis, mentionem facit de asina, per quã signatur Synagoga Iudæorum, quæ fuit quasi mater gentium in spiritualibus, quia *de Sion exibit lex, & verbum*, &c Alij vero Euangelistæ, quia gentibus Euangelia scripsere, faciunt etiam mentionem de pullo.

De II. (*Sicut scriptum est*, &c.) Inducit prophetiam, quæ scripta est Zach. 9. In qua *primo* dat securitatem. *Secundo* promittit regiam maiestatem. *Tertio* subdit vtilitatem regis. I. Securitatem. (*Noli timere filia Syon*,) Syon arx erat in Hierusalem, vbi erat habitatio Regis. Filia ergo Syon est plebs Hierosolymorum, & Iudæorum, qui subditi erant regi Hierusalem. Iudæis ergo dicitur: (*Noli timere*) quia Dominus defensor tuus, Isai. 51. *Quis tu, vt timeas ab homine mortali?* Psalm. 20. *Dominus defensor*

vitæ

vitæ meæ, &c. In quo excludit Euangeliſta timorem mundanum & ſeruilem. Regiam autem maieſtatem promittit, dicens: (*Ecce Rex tuus venit*, &c.) Iſai. 9. *Paruulus datus eſt nobis*. Et infra: *Super ſolium Dauid & ſuper regnum eius ſedebit.*

Dicit autem [*tuus*,] id eſt, ex te carnem ſumens. *Quia nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*, Hebr. 2. Iterum [*tuus*,] id eſt, ad vtilitatem tuam. Vnd ſubdit: [*venit tibi*,] Luc. 19. *Et nunc quæ ad pacem tibi*, &c. Sed tamen ipſi reſiſtendo, eorum vtilitatem impedierunt. [*Venit*] inquam [*tibi*] non ad terrorem, ſed ad liberationem. Vnde ſubdit: (*Sedens ſuper pullum aſinæ.*) In quo ſignatur regis clementia, quæ valde eſt accepta ſubditis. Prou. 20. *Clementia robora*, &c. Econtra dicitur, Prou. 9. *Sicut fremitus leonis*, &c. q. d. Non veniet in faſtu regio, propter quod poſſet eſſe odioſus: ſed venit in mãſuetudine, Eccleſ. 10. *Rectorem te poſuerunt*, &cæt. Noli ergo timere regni oppreſsionem. Vetus autem lex in timore data eſt; quia lex ſeruitutem generabat. Item ſignatur in hoc regis potentia, in quantum in humilitate & infirmitate veniens, totum mundum attraxit, 1. Corint. 1. *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.*

De III. [*Hæc non cognouerunt*, &c.] Ponit diſpoſitionem diſcipulorum ad prophetiam inductam, in quo Euangeliſta confitetur ignorantiam ſuam & diſcipulorum. Quia Prouerb. 18. *Iuſtus in principio accuſator eſt ſui.* Vnde dicit, quod (*hæc*) quæ prędicta ſunt, cognouerunt diſcipuli eius primum, id eſt, ante paſsionem; (*ſed quando glorificatus eſt Ieſus*,)

id eſt

id est, quando virtutem suæ resurrectionis ostendit, (*tunc recordati sunt*,&c.) Ideo autē quando glorificatus est, cognouerunt. Quia tunc receperunt virtutē Spiritus S. ex qua effecti sunt omnibus sapientibus sapientiores, Iob 21. *Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam*. Hoc autem ideo introducit Euangelista, vt ostendat non fuisse quod factum est serio, à discipulis procuratum.

PARS IV.

De causa popularis occursus & inuidia Pharisæorum.

PErhibebat turba quæ cum eo erat, de resurrectione Lazari,) quando scil. vocauit Lazarum de monumento. (*Propterea & obuiam*,&c.) 1. Cor. 1. *Iudæi signa quærunt*. Istud enim euidentius signum erat, & mirabilius, & ideo vltimo ipsum reseruauit; vt magis imprimeretur eorum memoriæ.

I. *Pharisæi ergo*,&c.] Ponit Pharisæorum zelum: qui concitabatur ex frustratione conatus eorum. Vnde dicebant: (*Videtis, quia nihil proficimus?* &c.) Quod quidem est verbum Pharisæorum inuidentium, vt dicant: (*Nihil proficimus*,) sc. in malitia nostra, non valentes eum impedire. Hoc modo accipitur proficere, 2. Timo. 3. *Mali autem homines, & seductores proficient in peius*, &cæt. Sed quid inuident cæci turbæ, quia *post eum abiit mundus, per quem factus est mundus?* Sed tamen signatur per hoc, quod totus mundus eum secuturus erat. Oseæ 6. *Viuemus in conspectu eius*, &c. Chrysostomus autem vult, quod hæc

hæc ſint verba Phariſæorum credentium; occulte tamen, propter metum Iudæorum, & dicunt hoc, vt retraherent eos à perſecutione Chriſti, ac ſi dicerent: Quantumcunque inſidiamini, tanto hic augetur, & gloria eius intenditur. Quid ergo non deſiſtitis à tãtis inſidiis? Quod quidem quaſi idem eſt cum conſilio Gamalielis, de quo habetur Actuum 5.

PARS V.

De gentium deuotione ad Chriſtum.

POſita gloria, quam Chriſtus habuit ex miniſterio domeſticorum, & ex deuotione turbarum: Hic Euangeliſta ponit gloriam, quam Chriſtus habuit ex deuotione gentilium. Et primo ponitur gentilium deuotio. Secundo deuotionis ipſorum denunciatio. Tertio paſsionis Chriſti prænunciatio.

De I. Deuotio autem gentilium ponitur quãtum ad duo. *Primo* ponitur quantum ad ſacramenta veteris Teſtamenti. *Secundo*, quantum ad Chriſtum. 1. Deuotio autem gentilium ad ſacramenta veteris Teſtamenti oſtenditur per hoc, quod templum viſitabant. Vnde dicit: (*Erant autem gentiles quidam, qui aſcenderant*,) ſupple in Hieruſalem, (*vt adorarent in die feſto*,) quaſi dicat: Non ſolum turba Iudæorum; ſed etiam ipſi gentiles honorabant Chriſtum. Ratio autem, quare aſcendebant ſecundum Interlinearem, 1. quia erant proſeliti, & conuerſi ad ritum Iudæorum, ad prædi-

prædicationem Iudæorum: Quia per mundum habitabant, & conabantur multos ad se conuertere. Matth. 26. *Circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselitum*: & ideo secundum ritum Iudæorũ ascendebant cum aliis. 2. Sed melius dicendum est secundum Chrysostomum, quod sicut habetur 2. Mach. 3. *Templum Dei, quod erat in Hierusalem, in veneratione habebatur cunctis populis, & regibus vniuersæ terræ, ita vt ipsum templum maximis muneribus illustrarent*: & ideo contingebat, quod in diebus festiuis multi etiam gentiles ascenderent Hierusalem. Simile habetur Act. 8. de eunucho Candacis Reginæ Æthiopum: *qui venerat adorare in Hierusalem*. Vnde & Isa. 6. dicitur. *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus, ait Dominus*. Isti autem gentiles ex deuotione, quam habebant, ad templum ascenderant. In quo præfigurabatur conuersio gentilium ad fidem.

II. *Hi accesserunt ad*, &c.) Deuotio gentilium ad Christum ostenditur per hoc, quod desiderabant eum videre: vnde dicit (*hi ergo*) scilicet gentiles, (*accesserunt ad Philippum*, &cæt.) Sciendum, quod Christus Iudæis tantum personaliter prædicauit. Roman. 15. *Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei*, &c. Gentilibus autem prædicauit per Apostolos, Isai. vltim. *Mittam ex eis qui saluati fuerint ad gentes*, &c. *& annunciabunt gloriam meam gentibus*. Matth. vltimo: *Euntes docete omnes gentes*, &c. Hoc ergo hic iam præsagiebant, inquantum gentiles Christum videre volentes, non venerunt immediate ad eum: sed ad vnum ex disci-

discipulis eius, s. ad Philippum. Et hoc congruenter, quia ipse primus prædicauit his, qui erant extra ritum Iudæorum, scilicet Samaritanis, vt habetur Act. 9. *Philippus autem descendit in ciuitatem Samariæ, & prædicabat illis Christum.* Et hoc conuenit ei secundum nominis interpretationem. Philippus enim interpretatur os lampadis. Prædicatores autem sunt os Christi, Hier. 25. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris, Christus autem lampas est.* Isai. 42. *Dedi te in lucem gentium, &c.* Conuenit etiam ei quantum ad locum, (*qui erat à Bethsaida.*) quæ interpretatur *venatio*: quia prædicatores venantur eos, quos ad Christum conuertunt, Hierem. 16. *Mittam eis piscatores, & piscabuntur eos.* Item (*Galilææ*) quæ interpretatur *transmigratio*, & gentiles ad prędicationes Apostolorum transmigrati sunt de statu gentilitatis, ad statum fidei. Ezech. 12. *Fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis, &c.* Accedentes autem ad Philippum exprimūt eorum desiderium, dicentes: (*quia volumus Iesum videre.*) In quo signatur, quod gentiles, qui Christum corporaliter non viderant, ministerio Apostolorum ad fidem conuersi, desiderant eum videre glorificatum in patria. 3. Reg. 10. *Omnis terra desiderabat videre faciem Salomonis.*

De II. (*Venit Philippus, &c.*) Hic ponitur denūciatio deuotionis gentilium ad Christum. In qua quidem ordo attenditur, quia vt dicitur Rom. 13. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt.* Est autem hic diuinus ordo, vt inferiora reducantur in Deum per superiora. Andreas autem superior fuit in Apostolatu

t Philip-

Philippo: quia prius eo conuersus fuit; & ideo Philippus non per seipsum tantum, sed per Andream istos Gentiles voluit ad Christum adducere. Memor forte eius, quod Dominus dixerat: *In viam gentium ne abieritis.* Et ideo (*Philippus dicit Andreæ, rursum*, &c.) In quo datur nobis exemplum omnia de consilio maiorum facienda. Sic & Paulus ascendit Hierosolymam, & contulit cum Apostolis Euangelium, quod in Gentibus prædicabat, ad Galat. 2.

2. Possumus autem in nominibus istorum duorum, intelligere duo necessaria prædicatoribus, vt homines ad Christum adducant. Primum est disertitudo ordinatæ locutionis, quæ notatur in nomine Philippi, quod interpretatur *os lampadis.* *Secundum* est virtus bonæ operationis, quod notatur in nomine Andreæ, quod interpretatur *virilis*, Psa. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius*, &c

De III. *Venit hora, vt clarificetur*, &c.) Prænunciat Christus imminere suæ passionis tempus. (*Venit hora*, &c.) Nota: Dominus videns Gentiles istos properare ad fidem; & intelligens in eis quodammodo conuersionem Gentium inchoari; pręnunciauit suæ passionis tempus imminere, à simili; sicut qui videt segetem dealbatam dicit: *Venit hora*, vt falx mittatur in messem. Ioan. 4. *Videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem.* Sic ergo hic Dominus loquitur, ex quo, inquit, gentes quærunt me videre. (*Venit hora, vt glorificetur Filius hominis.*)

Qui quidem glorificatus est tripliciter. *Primo* in sua passione, Hebr. 5. *Non semetipsum glorificauit,*

vt Pon-

Vt Pontifex fieret, sc. in ara crucis, *sed qui locutus est ad eum*, &c. Et secundum hoc dicit: (*Venit hora, vt clarificetur Filius hominis,*) id est, patiatur: quia ante eius passionem gentes non conuertentur ad eum. In qua quidem passione clarificatus fuit, & quantum ad signa visibilia, sicut in obscuritate Solis, in scissione veli, & aliis huiusmodi: & quantum ad signa inuisibilia, sicut in triumpho, quo palam in semetipso de tartareis principibus triumphauit: vt dicitur Coloss. 2. Ideo autem supra dixit: *Nondum venit hora mea*: quia nondum parata erat deuotio gentium, sicut modo.

Secundo clarificatus fuit in Resurrectione, & Ascensione. Prius enim oportuit Christum resurgere, & in cœlum ascendere, vt sic clarificatus mitteret Spiritum Sanctum in Apostolos, per quos gentes conuertendæ erant. Ioann. 7. *Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Psalm. 67. *Ascendens Christus in altum*, &c.

Tertio glorificatus est per conuersionem gentium. Philippens. 2. *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria.*

DOMINICA PASCHATIS.

Venit Maria Magdalene. Matth 28.

SCOPVS. Postquam compleuit sacramenta Dominicæ passionis: agit Euangelista de triumpho Dominicæ resurrectionis, cognitæ per auditum à mulieribus.

PARTITIO.

I. *De personis, quibus facta fuit reuelatio.*
II. *De Angelo reuelante.*
III. *De reuelatione ipsa.*
IV. *De certificatione resurrectionis facta per mulieres.*
V. *De eiusdem annunciatione facta per custodes.*

PARS I.

De personis.

TRia hic: *Primo* designat tempus: *Secundo*, personas. *Tertio*, studium.

De I. [*Vespere autem Sabbathi.*] Et circa hoc duplex est dubitatio. *Prima:* Videntur contrariari Matth. & Ioan. quia Ioan. dicit, quod adhuc tenebræ erant. Quid ergo dicit hic? *Vespere autem*, &c. Est triplex solutio. *Prima* Hieronym. quod venerunt vespere & mane. Et quod hic dicit, *vespere*, ille quidem mane, non est dissonantia, sed sedulitas sanctarũ mulierum. *Secunda*. Beda soluit sic, quod inceperunt venire vespere, sed peruenerũt mane.

Sed

Sed nunquid erat tantum ſpacium? dicit, quod non; ſed tunc dicitur aliquis facere, quando præparat ſe ad faciendum. Et hoc habetur in Luca, quod *videntes monumentum*, &c. In paraſceue emerunt aromata, & in ſabbato quieuerunt; & veſpere parauerunt ſe ad eundum. *Tertia ſolutio* eſt Auguſtini, qui dicit, modus conſuetus in ſacra Scriptura eſt, vt ſumatur pars pro toto. Vnde intelligitur veſpere pro tota nocte ſabbati. Vnde *veſpere*, quæ eſt initium primæ ſabbati. Simile habetur Geneſ. 1. in commemoratione operum Dei. *Et factum eſt veſpere & mane*, &c. Ergo venerunt *veſpere*, quia in vltima parte noctis. Et hæc eſt, *quæ luceſcit*, &c. Veſpere non luceſcit, quia veſpere tenebreſcit, luceſcit in prima hora diei.

Notate, quod Iudæi omnes ferias incipiunt à ſabbato. Vnde prima ſabbati dicitur dies Dominica. Et ſi quæras ab Aug. quare Marcus vtitur tali modo loquendi? Dicet, quod veſpere parauerunt aromata, & mane venerunt, ſicque redit in idem cum Beda.

Sed ſecundum Hieronymum, quomodo intelligendum, quod dicit, quæ luceſcit? quia veſpere tenebreſcit. Sciendum, quod Iudæis dies incipit eſſe à veſpera. Et ratio eſt, quia à Luna obſeruabant dies. Luna autem incipit lucere à ſero: ideo illa dies incipit à veſpere, ſed luceſcit in prima ſabbati. Similis modus loquendi, Luc. vlt. *Erat autem paraſceues*, &c.

Et iſte modus loquendi *myſterio* competit. Primo ad ſolemnitatem Dominicæ reſurrectionis,

quia nox illa fuit lucida. Psal 138. *Et nox sicut dies illuminabitur.* Item 2. humanæ restaurationi, quæ facta est per Christum. In primo enim homine fuit processus à die in noctem, scilicet peccati, & mutatus est status, scilicet à nocte in diem, Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Item 3. signatur, quod, quicquid erat tenebrosum in lege & Prophetis, totum per resurrectionem Christi lucescit. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, Psal. 17. Hoc autem in resurrectione illuminatur, vt habetur Lucæ vltimo: *Incipiens à Moyse & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.*

De II. Consequenter agit de personis. *Venit Maria Magdalena, & altera Maria.)* Et intelligitur mater Iacobi. Marcus addit tertiam, *& Salome.* 1. Sed non fuit sine mysterio, quod duæ eiusdem nominis venerunt. mulierique primo voluit apparere; quia in hoc quodámodo reparatur sexus mulieris. Nam sicut mulier prima in loco vitæ prius audit mortem, sic in loco mortis per ordinationem diuinam prima vidit vitam, Ecclesiast. 25. *A muliere initium peccati factum est.* 2. Item, eiusdem nominis, quia per has vnitas signantur Ecclesiæ. Primo enim vna fuit ex gentibus, vna ex Iudæis: sed modo omnes sunt vna Ecclesia, Cant. 6. *Vna est columba mea.* 3. Item, vocantur Maria. Sicut enim de vtero clauso Maria suscepit puerum; sic illæ exeuntem de tumulo clauso meruerunt videre eum. Vnde istæ *venerunt videre sepulcrum*, & in hoc signatur deuotio earum; quia non poterant satiari,

ſatiari, ideo cum non poſſent eum videre, volebant ſ. tem videre ſepulcrum. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum eſt,* Matt. 6.

PARS II.

De Angelo reuelante.

ET *ecce terræmotus,* &c.] *Primo* tangitur aduentus Angeli. *Secundo* opus eius. *Tertio,* diſpoſitio: *Quarto,* effectus.

Primo, præſignatur aduentus: *Secundo,* tangitur aduentus cauſa.

De I. [*Et ecce terræmotus,* &c.] Hoc congruebat, & habet cauſam literalem. *Vna ratio* ſecundum Chryſoſtomum, quia iſtæ de nocte venerant, & fieri potuit, vt dormirent. Vt ergo excitarentur, factus eſt terræmotus. Hieronym. dicit, quod aliquid dictum erat de humanitate; debebat aliquid tangi de diuinitate: ideo cum agitur de ſepulchro, quod erat humanitatis; fit terræmotus, vt ſignaretur, quod talis mortuus non poterat teneri ſub terra. *Fuit* enim *inter mortuos liber,* Pſalmo octuageſimoſeptimo.

Myſtice. Bis factus eſt terræmotus. Vt per vnum ſignificetur motus cordium; quia per mortem eius liberati ſumus à peccato: per alium transi. ad gloriam. Roma. 4. *Traditus eſt propter peccat. ſtra & reſurrexit propter iuſtificationem noſtra* mo 59. *Commouiſti terram, & conturbaſti e*

2. Item, huius reſurrectio eſt c...

figuratio resurrectionis futuræ. In futura autem erit tremor terræ, Psal. 75. *Terra tremuit & quieuit cum exurgeret in iudicio Deus.*

Quare? Subiungitur; (*Angelus Domini descendit de cœlo.* Si terra non potuit angelũ sustinere, multo minus poterit aduentũ Christi ad iudiciũ. Et dicit: *descendit.* Licet enim Angelus nõ circumscribatur loco: tamen definitur loco, secundum suam operationem, ideo aliquis motus ei conuenit. Item 3. conuenit, vt per Angelum denuncietur resurrectio tum propter gloriam illius, per quem fit, vt dicit Paulus, Acto. 13. *Deus suscitauit eum à mortuis.* Eius autem ministri sunt Angeli. 4. Item, ad denotandam dignitatem resurgentis. De isto dicitur Matt. 4. *Accesserunt Angeli & ministrabant ei.* 5. Item competit, quia per resurrectionem cœlestia terrestribus coniungebantur.

De II. Consequenter ponitur opus Angeli. (*Et accedens reuoluit lapidem,* &c.) Et hoc secundum literam: vt panderet iter mulieribus, quia secundum veritatem iam surrexerat Christus. Sicut enim de vtero clauso exiuit, ita de signato sepulchro. Et hoc factum est ad manifestandum se mulieribus. Vnde *reuoluit,* id est, iterato voluit, ad signandam gloriam resurgentis. Et hæc reuolutio significabat manifestationem legis, quæ scripta erat in tabulis lapideis.

De III. Consequenter ponitur dispositio. Et *primo,* quoad situm: *secundo,* quantum ad aspectum: *tertio,* quoad habitum. 1. Quantum ad situm, quia (*sedebat,*) non vt fessus. Ad signandum, quod doctor

ctor esset diuinæ resurrectionis. 2. Item, sedere est quiescentium: & per hoc signatur quies, quam ex resurrectione habuit in gloria. Rom. 6. *Christus resurrexit ex mortuis, iam non moritur*, &c. 3. Item, sedere est dominantis. Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Et iste sedet (*super lapidem,*) sc. diabolum. Ad signandum, quod iam dominabatur & mortis, & diaboli.

Erat autem aspectus eius, &c.] Patet, quod apparuit in corpore assumpto. Sed quare (*sicut fulgur?*) Quia sicut fulgur claritatem habet, sic & angeli cognitionem. Dan. 10. *Et oculi eius quasi lampas*, sed Christus est, qui omnem venientem in hunc mundum, illuminat. Ioann. 1. Item, fulgor habet terrorem: sic aspectus angeli. vnde Luc. 1. quod territus fuit Zacharias ad vocem angeli. 3. Item, describitur ex habitu. (*Vestimenta eius sicut nix.*) Per quod candor iustorum; *Mystice* autē signatur gloria resurrectionis. Apoc. 3. *Qui vicerit, vestietur vestimentis albis*. Item claritas vitæ. Eccles. 9. *Omni tempore vestimenta tua sint candida.* Item, nota, quod dicit, quod *aspectus eius erat sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix:* quia in iudicio erit terribilis malis, & demulcebit bonos. Ioa. 16. *Videbo vos, & gaudebit cor vestrū.* De IV. *Præ timore autē*, &c. Hic ponitur effectus apparitionis. Quia in eorum cordibus extitit timor, & merito: Quia ex mala conscientia seruabant eum; *& semper timida est nequitia*, Sap. 17. (*Et facti sunt quasi mortui,*) qui Christum in morte, quantum in ipsis fuit, voluerunt detinere. Esaiæ 33. *A voce Angeli fugerunt populi.*

PARS III.

De reuelatione resurrectionis.

RESpondens autem &c.]. Et *primo*, mulieres confortat: *Secundo*, studium commendat. *Tertio*, gaudium indicat. *Quarto*, officium iniungit denunciandi.

De I. *Respondens autem Angelus*, &c.) sed ad quid respondet? intentioni mulierum. Non legitur, eas aliquid fuisse locutas præ timore. Semper enim ita est, vt homo turbetur in apparitione Angeli, siue bonus siue malus appareat Angelus, quia natura humana fragilis est. Sed sicut dicit Beatus Antonius, si bonus est Angelus, semper dimittit consolatum: vt patet in apparitione Zachariæ, & Virginis Mariæ: vtrique dictum est: *Ne timeas*, &c. Luc. 1. sic & istas confortat. Et si dimittat desolatum hominem, constat, quod non fuit bonus Angelus: ideo dixit: (*Nolite timere vos*,) quasi dicat: Vestrum non est timere, quia amatis Christum. *Non enim accepistis spiritum seruitutis in timore*, Romanor. 8. Non confortauit custodes, quia non digni erant.

De II. Commendat studium. (*Scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis*, &c.) Sed numquid Angeli cognoscunt cogitationes? Videtur, quod non. Hierem. 12. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda, & probans renes.*

Dicendum est, quod non, nisi per reuelationem diuinam,

diuinam, vel per signum: quia frequenter per gestus corporis habet indicia voluntatis. (*Iesum quaritis.* Nominat eum, vt significet eũdem esse. Item *crucifixum.* Et in hoc innuit paruam fidem earum, quia quærebant eum in loco mortis; & credebant eum morte posse teneri. Tunc annunciat resurrectionem. (*Surrexit*) scilicet, propria virtute. Psal. 3. *Ego dormiui & somnum cepi, & exsurrexi, quia Dominus suscepit me.* Et probat hoc per recordationem verbi Dei *quia sicut dixit*, quia Matth. 20. dixerat: *Et tertia die resurget.* Verbum enim Domini non potest deficere. Item indicat ex visu. (*Venite & videte*, &c.) Vnde *viderunt lapidem reuolutum*, & non viderunt Christum: quia surrexit clauso tumulo.

De III. Indicit eis officium denunciationis, (*& cito euntes dicite discipulis eius, quia surrexit*) Tria indicit. *Primo:* Denuncient resurrectionem: *secundo*, locum: *tertio*, visionem eis promittit. 1. Sicut prima mulier prima locuta est diabolo; sic cum bono angelo prima locuta est, vt omnia restaurarentur.

2. Innuitur locus. (*Et præcedet vos in Galilæam.*) Quare primo in Galilæam? Non enim prius visus est in Galilæa, sed in Hierusalem. Sed quare magis nominat Galilæam? 1. Ad signandum, quod ipse idem est, qui solebat conuersari in Galilæa: 2. Item vt à timore liberarentur, quia securius habitabant in Galilæa, quam Iudæa.

3. *Vel mystice* dicitur Galilæa transmigratio, & potest signare transitum ad gentes. Vnde vide-

videbitis in Galilæa, id est, nunciabitis nomen meum gentibus. Hoc autem non facerent, nisi præcederet eos.

3. *Ibi eum videbitis, sicut prædixit vobis,*] vnde verbum Domini tantæ potestatis est, vt non possit aliter esse. Sed hic est *quæstio* literalis: Hic dicitur: *Viderunt eum sedentem super lapidem*: in alio Euangelista quod *introeuntes in monumentum*, &c. 1. *Soluit August.* quod bis viderunt visionem angelorum, vnde possibile fuit, vt vnum viderent extra, alium intra. 2. *Vel* potest dici, quod sepulcrum non dicitur lapis excisus, sed erat ibi aliqua materies, vbi includebatur monumentum. vnde Marcus dicit, quod *introeuntes in monumentum*, non est intelligendum de lapide illo; sed de spacio in quo includebatur. & hoc patet, quia dicitur hic: *exierunt cito de monumento cum timore & gaudio.*

PARS IV.

De certificatione resurrectionis.

PRimo describuntur mulieres; *Secundo* Christi occursus. *Tertio* iniungitur denunciationis officium.

De I. tria nota. *Primo* mulierum statum. *Secundo* affectum. *Tertio* propositum. 1. Status, cum dicitur: (*Exierunt cito.*) Quantum ad literam. Monumentum non dicitur lapis excisus: sed illud spacium, quod aliquo munimine erat firmum,

Mystice: monumētum est locus mortuorum, & per hoc signatur status peccati. Psal. 87. *Sicut vulnerati*

nerat i dormientes in sepulchris, &c. Vnde exire de monumento est exire de peccato. 2. Corint. 2. *Propter hoc exite de medio eorum*, &c. Nota, dicit, (*cito*,) quia de peccato est cito exeundum. Eccles. 5. *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.*

II. Affectus duplex, scilicet timoris & gaudij. Timor de Angeli visione, gaudium de resurrectione. Timor ex fragilitate humana; gaudium à visione diuina Psalm. 29. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Sic peccator debet timere. Eccles. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Sed gaudere debet de spe resurrectionis. Psalm. 2. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

III. Propositum. (*Currentes nunciate discipulis*, &c.) Et istud pœnitentibus competit: quia currere debent, & festinare, vt proficiant in bonis. 1. Cor. 9. *Sic currite, vt comprehendatis*, Hebr. 4. *Festinemus ingredi.* &c. Item, quia voluit, vt, quod acceperant, aliis communicarent, 1. Petr. 4. *Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum administrantes.*

De II. *Et ecce Iesus.*] Hic ponitur *primo* occursus Christi. *Secundo*, salutatio. *Tertio*, mulierum reuerentia. I. (*Et ecce Iesus occurrit illis.*) Et recte dicit, quod occurrit; quia ex insperato occurrit dando gratiam. Sap. 6. *Præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat.* Esaiæ 64. *Occurristi lætanti & facienti iustitiam.*

II. Salutauit eas dicens: (*Auete.*) Auete in Græco gaudium signat: vnde supra, *cum gaudio ibant.* Nam spirituale gaudium semper augetur in iustis, & hoc per spiritualem loquelam, Psal. 84. *Audiant,*

quid

quid loquatur in me Deus. Et hæc erant verba consolatoria; quia sicut prima mulier audiuit maledictionem: sic istæ mulieres audierunt benedictionem; & maledictioni benedictio respondet. (*Et tunc illæ accesserunt,* &c.) vnde accedunt, tenent pedes, adorant. 1. Sic anima peccatoris non debet gratiam Dei recipere in vanum. Et hoc signatur, quia accesserunt. Psalm. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini.* 2. Debent firmiter adhærere: & hoc signatur in eo, quod (*tenuerunt pedes eius.*) *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina.*

III. Tangit reuerentiam in hoc, quod dicit, (*Et adorauerunt eum,* &c.) Quia ipsum Deum recognouerunt. Psalm. 131. *Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.* *Quæstio.* Ioannis vltimo dicitur ei: *Noli me tangere:* Hic autem, *tenuerunt pedes eius* Intelligendum, quod bis viderunt, & semel viderunt vnum Angelum, vt dicit Augustinus, alia vice duos. Sed etiam bis Christum. Primo vidit Maria Magdalena plorans. Ioannis 20. Sed post aliis superuenientibus occurrit eis, & tunc *tenuerunt pedes eius.* Maria Magdalena primo non potuit tenere eum; & hoc secundum Augustinum, quia primo dubitauit: & ideo digna non fuit, sed iam certificata, digna est effecta tangere Christum. Vt tactus exterior concordaret interiori.

De III. Iniungit officium denunciandi. Et *primo*, excutit timorem. *Secundo*, officium iniungit.

I. *Tunc ait Iesus eis: Nolite timere,* &cæt.) Et de hoc factum est conuenienter: Quia qui ad officium prædi-

prædicationis ponuntur, non debent timere. Vnde Dominus mittens diſcipulos ſuos, dixit: *Nolite timere.* Timor autem eſt duplex, ſeruilis, & filialis; & hic eſt bonus: Pſal. 118. *Confige timore tuo carnes meas.* Vnde dixit: (*Auete,*) vt augeret charitatem in eis.

II. Sed quia *perfecta charitas foras mittit timorem,* 1. Ioann. 4. ideo dicit: (*Nolite timere.*) Dat annunciandi officium mulieribus: vt, ſicut mulier tulit verba mortis ad virum; ſic è contrario congruebat mulieri, vt eſſet nuncia ſalutis. Et *primo*, tangitur denunciatio: *Secundo*, locus apparitionis. 1. (*Ite, nunciate fratribus meis,* &cæt.) Quare meis? Ad comprobandum veritatem naturæ. Quia enim exierat de ſepulcro, & apparebat glorioſus; poſſet quis credere, quod veram carnem non recepiſſet.

Item propter ſimilitudinem gratiæ, quia frater noſter fieri voluit propter iuſtificationem noſtram. Romanorum 8. *Vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Item fratres, id eſt, cohæredes. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.*

2. Vnde iam acquiſita hæreditate vocat fratres, (*Vt eant in Galilæam.*) Hæc verba videntur ſonare, quod primo apparuit in Galilæa. Iſte non facit mentionem de aliis apparitionibus. Sed Beda dicit, quod decem vicibus apparuit. Quinquies ipſo die reſurrectionis. *Primo,* Mariæ Magdalenæ, vt Ioannis 20. *Secundo*, his duabus, de quibus hic. *Tertio* apparuit Petro, qualiter tamen & quando, non

non dicitur, sed quod sit factum, nō tacetur in Luca. *Quarto*, duobus discipulis euntibus in Emaus. *Quinto*, quando omnibus discipulis apparuit, excepto Thoma. Verum post istas leguntur quinq; aliæ. *Primo*, post alias fuit, quando die octaua omnibus discipulis apparuit, & Thomæ. *Secundo*, quādo apparuit in piscatione, quando Petrus dixit: *vado piscari*, Ioan. vlti. *Tertia*, quæ hic dicitur. *Quarto*; quando exprobrauit incredulitatem. *Quinto*, quando in monte Oliueti, cum ascendit in cœlum, Marci vlt. Tamen aliæ fuerunt, sicut dicit Paulus 1. Cor. 15.

Sed quid est, quod dicunt, & angelus, & Christus, quod *præcedet vos in Galilæam?* Chrysost. dicit. 1. quia solebant ibi conuersari. 2. Vt securi essent ibi, & secure eum expectarent. Tamen Augustinus secundum mysterium dicit: Quod Galilæa transmigratio dicitur. vnde signat transmigrationem ad gentes: Vel huius mundi in gloriam: 2. Cor. 5. *Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino.*

PARS V.

De resurrectionis annunciatione per custodes facta.

PRimo ponit denunciationem: *Secundo*, impedimentum.

De I. *Et cum abiissent*, &c.] Et quare tam diu expectauerunt? Quia præ *timore exterriti sunt custodes.* Et forte hoc fecit Dominus, ne molestiam mulieribus

lieribus inferrent. (*Ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus Sacerdotum.*) Quare Principibus? Quia habebant familiaritatem. Item, quia ab eis acceperant pretium. Nihilominus nunciauerunt Pilato: vt in quadam epistola, quam misit Pilatus ad Tiberium, scriptum est. Iam signabatur, quod per ora gentilium erat manifestanda Christi resurrectio.

De II. Ponitur malitia impedientium. Et *primo* tangitur malitia principum: *secundo*, corruptio custodum: *tertio*, plebis. Circa primum: Concurrunt quatuor ad exaggerandum malitiam istorũ. 1. Congregatio: (*Et congregatis*, &c.) Quia non vnus tantum, Daniel. 14. *Egressa est iniquitas à senioribus populi.* 2. Quia hoc non fecerunt ex infirmitate, sed ex malitia, siue ex maligno cõsilio: de quo Psalm. 1. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.*

3. Fraudem fecerunt, quia oblatam pecuniam expenderunt in vsum mendacij. vnde sciebant illud, Eccl. 10. *Pecuniæ obediunt omnia.* Dicit Hieron. Similes sunt isti, qui bona Ecclesiastica expendunt ad voluptatem. 4. Suaserunt mendacium.

De III. *Dicite, quia discipuli eius*, &c.) Hierem. 9. *Docuerunt linguam suam loqui mendacium.* in Psal. 26. *Mentita est iniquitas sibi.* Et vere, vt ait Hieronymus, mendacium: quia discipuli ita stupefacti erant, vt non ausi fuissent accedere. Item, si debuissent accedere, accessissent primo die, quando non aderant custodes. Item hoc patet, quia remanserunt linteamina: vnde si tulissent eum, ista non dimisissent. Item constat, quod cum aromatibus sepul-

tus eſt, vnde linteamina adhærebant. Item, lapis erat magnus, vnde potuiſſent ſine magno adiutorio, & ſine ſtrepitu multo ſoluiſſe. Item arguit ſic Auguſt. *Aut venerunt vobis vigilantibus, aut dormientibus. Si vigilantibus, quare non eiecistis eos? Si dormientibus, quomodo vidiſtis?* apparet mendacium.

Deinde impunitatem promittunt. *Si hoc auditum fuerit à præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros,* &c.) Et quomodo poterunt iſtud? Dicendum, quod præſes non multum curabat. Item, ſciebant, quod non puniret eos, niſi ad petitionem eorum, ideo ſciebant, quod, &c. In hoc ſignatur cautela diaboli. (*At illi accepta pecunia fecerunt, ſicut erant edocti.*) Non eſt mirum, ſi milites corrupti fuerunt pecunia, quia & vnus de diſcipulis eius corruptus erat. Eccleſ. 9. *Auaro nihil eſt ſceleſtius.* (*Et diuulgatum eſt.*) Et non ſolum vſquequo fuit ſcriptum hoc, ſed etiam *vſque nunc.*

DOMINICA PASCHATIS.

II. CONCIONIS DISPOSITIO.

Vna autem Sabbati Maria Magdalene, &c. Ioann. 20.

SCOPVS. Apparuit Dominus primum mulieribus, dein diſcipulis. Sed illis viſa primum fuit monumenti apertio, dein Angeli apparitio, demum Chriſti.

PAR-

PARTITIO.

I. *De apertione sepulcri visa ac denunciata.*
II. *De rei denunciatæ inquisitione.*
III. *De inspectione sepulcri.*
IV. *De introitu Ioannis in sepulcrum.*

PARS I.

De apertione sepulcri visa ac denunciata Petro.

DVo hic: *Primo*. De visione aperti monumenti. *Secundo*, de rei visæ denunciatione. Circa primum quatuor consideranda occurrunt. *Primo*, *visionis tempus*: Quia (*Vna sabbati*,) scil. prima feria. Nam apud Iudæos dies sabbati solemnior habebatur, & ideo ab eo omnis alius dies denominabatur. Vnde dicebant prima sabbati, secunda sabbati, &c. Vnde & Matth. 28. dicit prima sabbati. Sed Ioannes dicit: (*Vna sabbati*,) propter mysterium. 1. Quia in hac die, in qua resurrectio facta est, inchoauit quasi quædam noua creatura. Psal. 103. *Emitte spiritum tuum*, &c. Galat. 6. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed noua creatura.* Moyses autem in principio Genesios de prima die non dicit, factus est dies primus, sed dies vnus. Ideo Euangelista ad ipsam renouationem insinuandam vtitur verbo Moysi.

2. Quia in hac die inchoabatur dies æternitatis, quæ est vna non habens interpolationem noctis.

Quia Sol, qui eam facit, non occidit. Apocal. 21. *Ciuitas illa non eget Sole, neque Luna vt luceant in eam. Nam claritas Dei illuminabit illam, & lucerna eius est agnus.* Zachariæ vltimo: *Erit dies vna, quæ nota est Domino, non dies neque nox, & in tempore vesperi erit lux.*

Secundo ponitur persona videns. Quia (*Maria Magdalene venit, &c.*) Sed hic est dubium. Quia in Marco dicitur, Maria Magdalene, & Iacobi, & Salome. Et Matth. vlt. connumeratur etiam alia Maria. *Responsio*, secundum August. Maria Magdalena feruentior & deuotior erat ad Christum aliis mulieribus. Vnde Luc. 7. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ideo eam Euangelista specialius nominat. Et inde est, quod prius ei apparuit Dominus. Marci vltim. Ioan. 6. *Præoccupat eos, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat.*

Tertio ponitur *hora*, seu qualitas temporis, quia (*mane cũ adhuc tenebræ essent.*) Luc. 23. dicitur, quod *mulieres, quæ cum Iesu venerunt de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus Iesu, & reuertentes parauerunt aromata & vnguenta, & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.* Et ideo statim transacto sabbato ante lucem primæ sabbati venit ad monumentum: nam nimius ardor amoris eam sollicitabat. Cantic. 8. *Lampades eius lampades ignis atque flammarum*, scilicet charitatis. Sed hic est *quæstio* literalis. Dicitur Matthæi vlt. *Valde mane orto iam Sole.* Quid igitur dicit Euangelista: (*Cum adhuc tenebræ essent.*) Responsio. Quod dicit Marc. intelligitur de aurora: Vnde *orto iam Sole*: Nõ quod supra terram appareret, sed appropinquaret ad nostras

nostras regiones. *Quarto, quid videt.* Quia (*vidit reuolutum lapidem.*) Signum, vel quod aliquis Christum abstulerit, vel quod resurrexerit. Hoc Marc. vltim. *Angelus Domini descendit de cœlo*: non est intelligendum, quod ante lapis esset reuolutus, quàm Christus resurgeret: Sed postquam Christus exiuit de clauso vtero Virginis, nondum gloriosum corpus habens: Non est mirum, si cum corpore glorioso exiuit de sepulcro. Nam lapis est reuolutus, vt videntes ibi Christum non esse, facilius crederent eius resurrectionem.

II. Ponitur rei visæ denunciatio. Ex nimio enim amore, non distulit nunciare discipulis, quod vidit, sed (*currit & venit ad Simonem Petrum, & alium discipulum, quem diligebat Iesus.* 4. Regum 7. *Hæc dies boni nuncij est, si tacuimus, & noluerimus nunciare vsque mane, sceleris arguemur.* Sic qui audit verba Dei, debet festinus aliis dicere. Apoc. vltim. *Qui audit, dicat, veni.* Sed ad illos venit, qui præcipui erant, & Christum feruentius diligebant: vt aut secum quę rerent, aut secum dolerent.

Et dicit eis: Tulerunt Dominum de monumento.] Viso enim sepulcro vacuo nondum habens in corde, quod Christus resurrexerit, dicit: (*& nescimus, vbi posuerunt eum.*) Vbi dat intelligere, quod non sola fuerit ad monumentum: & quod adhuc de resurrectione dubitaret. Ideo Euangelista non sine causa dixit: (*cum adhuc tenebræ essent,*) per qualitatem temporis, qualitatem mentis, in qua dubitationis tenebræ erant, designans. Psal. 81. *Nescierunt, neq; intellexerunt in tenebris*, &cæt. Sed attende, quod in

Græcis codicibus habetur (*Dominum meum*) ad designandum propensiorem charitatem, & famulatus affectum. Psalm. 72. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* Vsque, *Pars mea Deus in æternum.*

PARS II.

De rei denunciatæ inquisitione.

PRimo ponitur quærentium studium ad inquirendum. Et hoc per exitum, dum dicit: (*Exiit ergo Petrus & alius discipulus.*) Qui enim scrutari vult mysteria Christi, debet exire quodammodo à se, & à carnali consuetudine. Cantic. 5. *Egredimini & videte filiæ Syon Regem Salomonem. Secundo* ponitur inquisitionis ordo & modus. Et *primo*, quantum ad cursum: Quia (*currebant duo simul,*) qui præ cæteris Christum diligebant. Psalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* 1. Cor. 9. *Sic currite, vt comprehendatis*, &c. *Secundo*, quantum ad aduentum. Quia (*& ille alius discipulus*, &c.) vbi primo ponitur, quomodo Ioannes præuenit. Secundo quomodo Petrus eum sequitur.

Sed nota, quod non sine causa Euangelista etiã particularia diligenter enarrat. 1. Nam istis duobus discipulis, populus duplex, Iudæorum scil. & gentilium designatur. Quia licet Iudæi prius habuerint cognitionem vnius veri Dei, tamen quãtum ad statum mundi populus gentium est antiquior: quia ex gentilibus processerunt etiam Iudæi. Genes. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua.*

tua. 2. Isti simul currebant decursum huius mundi, Iudæi per literam legis, Gentiles per legem naturæ. 3. Vel simul currunt naturali desiderio ad beatitudinem, & veritatis cognitionem, quam omnes homines natura scire desiderant. (*Sed ille alius discipulus,*) s. minor, (*præcucurrit citius Petro.*) Quia gentiles ad cognitionem veritatis tardius venerunt, quam Iudæi. Nota quondam Deus erat tantum in Iudæa notus. Vnde dicunt Psal. 147. *Non fecit taliter omni nationi.* (*Et venit prior ad monumentũ*) Quia prius considerauit mysteria Christi, & prius Iudæis de Christo est promissio. Rom. 9. *Quorum est adoptio filiorum, & gloria & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem, &c.*

Et cum se inclinasset, vidit linteamina posita, non tamẽ introiuit. Et cum se inclinasset.) s. sub iugo legis. Exo. 24. *Omne quodcunque præcepit Dominus, faciemus.* (*Vidit linteamina posita,*) sc. figuras quasdam, omnium mysteriorum. 2. Cor. 3. *Vsque in hodiernum diem idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non reuelatum.* (*Non tamen introiuit.*) Quia non peruenit ad veritatis cognitionem, dum in mortuum credere noluit. Et hoc dicitur, Luc. 15. de fratre maiore, quia audiens symphoniam & tripudia fratri referenti facta, noluit intrare: cum tamen introitum promittat Dauid, dicens: Psalm. 43. *Introibo ad altare Dei, &cæt.*

PARS III.

De sepulcri inspectione per Petrum.

SEcundum literam, quod simul currebant, signũ erat feruentis deuotionis. Sed Ioannes citius peruenit, quia iunior erat sene Petro. Sed *Mystice*, Petrus Ioannem sequitur: quia gentiles ad Christum conuersi non erant cõgregandi in aliam Ecclesiam ab Ecclesia Iudæorum: sed inserendi in præcedentem oliuam & Ecclesiam. Roman. 11. Et ideo 1. Thess. 2. commendans eos dicit; *Vos autem fratres facti estis imitatores Ecclesiarum, quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu.*

Tertio ponitur ordo inquisitionis, quantum ad eorum ingressum. Quia (*introiuit in monumentum.*) Et quidem secundum literam, Ioannes qui primo peruenit, non intrauit propter reuerentiam Petri, cui priorem ingressum seruabat. Sed secundum mysterium, signatur, quod populus Iudæorum, qui primo mysteria Incarnationis audiuit, posterius ad fidem conuertitur, quam populus gentiũ. Roman. 9. *Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam. Israel vero sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit.*

Et vidit,) scil. Petrus, (*posita linteamina.*) Ioannes vidit sola linteamina, quæ Petrus similiter vidit. Quia non reprobamus vetus Testamentum. *Nam aperuit eis sensum, vt intelligerent Scripturas.* 2. Sed adhuc vlterius vidit sudarium, quod fuerat super caput eius. 1. Corinth. 11. *Caput Christi Deus.* Videre

ergo

ergo ſudarium quod fuerat ſuper caput Ieſu, eſt habere fidem Diuinitatis Chriſti quam Iudæi acceptare noluerunt. 3. Quod quidem ſudarium deſcribitur, (*& ſeparatum,*) ab aliis, (*& inuolutum, & in vnum locum.*) Quia diuinitas Chriſti occulta eſt, & ſeparata ab omni creatura propter ſui excellentiã Rom. 9. *Qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, Amen.* Iſa. 45. *Vere tu es Deus abſconditus.* 4. Inuolutum vidit quaſi in modum circuli: quia lintei quãdo inuoluuntur, nec initium, nec finis in eis aſpicitur, celſitudo diuinitatis eſt, quæ nec cœpit eſſe, nec deſinit. Hebr. vltim. *Ieſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula.* Pſalm. 101. *Tu autem idem ipſe es* &c 5. In vnum locum viderunt, quia Deus non habitat, vbi eſt ſciſſura mentium. Sed illi eius merentur gratiam, qui ſunt vnum per charitatem, Pſal. 75. *In pace factus eſt locus eius.* 1. Corinth. 14. *Non eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis.*

Vel aliter. 1. Per ſudarium quo laborantium ſudor detergi ſolet, intelligi poteſt labor Dei, qui etſi quietus ſemper permaneat, tamen ſe laborare denunciat, dum duras hominum prauitates portat. Iſai. 1. *Facta ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinens.* Et præcipue hunc laborem pertulit Chriſtus in humanitate aſſumpta. Thren. 3. *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis.* 2. Hoc igitur ſudarium longe ſeorſum inuenitur? quia ipſa redemptoris noſtri paſsio longe eſt à noſtra paſsione diſiuncta. Nam per linteamina quæ ita ſe habent ad membra ſicut ſudarium ad caput, intelliguntur paſsiones ſanctorum, à quibus ſudarium ſeorſum

scilicet passio Christi, quam ipse sine culpa pertulit, quod nos cum culpa toleramus. 1. Petr. 3. *Christus mortuus est, iustus pro iniustis*: Ipse sponte morti succumbere voluit. Ioann. 10. *Nemo tollit à me animam, sed ego pono eam à meipso.* Ephes. 5. *Dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis.* Sed sancti ad mortem vadunt inuiti. Ioan. vlt. *Alius te cinget, & ducet, quo tu non vis.*

Sed quare Euangelista sic diligenter omnia narrat? *Dicendum* secundum Chrysostomum. Vt excluderet falsam opinionem à Iudæis diuulgatam; quod corpus Christi furtim sublatum esset, vt habetur Matthæi vltimo. Nam si hoc modo aliqui transtulissent illud, non vtique eum denudassent, præcipue cum oportuisset eos festinanter hoc facere propter præsentiam custodum: neque etiam fuissent ita soliciti, vt leuarent sudarium, & inuoluerent, & seorsum in vnum locum ponerent, sed simpliciter, vt contigisset, suscepto corpore, dimisissent. Huius etiam rei causa permisit, quod sepultus fuit cum myrrha & aloe, quæ cõglutinant corpori linteamina, ita vt non potuissent tam cito à corpore separari.

PARS IV.

De Ioannis introitu in sepulcrum.

DVo hic. *Primo*, Ioannis introitus. *Secundo* visionis effectus.

De I. Ioannes non foris remansit, sed post Petrum

trum intrauit. Quia in fine mundi ad receptionis fidem etiam Iudæi colligentur. Romanorum 11. *Ex parte cæcitas contingit in Israel, donec plenitudo gentium subintraret, & sic omnis Israel saluus fieret.* Isai. *Reliquiæ saluæ fient.*

Vel aliter *Mystice.* Per illos duos discipulos duo genera hominum designantur, scilicet Vacantes contemplationi veritatis, & hi signantur per Ioannem. & Insistentes obedientiæ mandatorum: qui signantur per Petrum. Vnde Simon obediens interpretatur. Contingit autem plerunque, vt prius perueniat ad cognitionem mysteriorum Christi contemplatiuus, sua docilitate, sed non intrat. Quia quandoque præcedit intellectus, & sequitur tardus, aut nullus affectus. Sed actiuus instantia feruoris, & sedulitate, etsi tardus intelligat. Psalm. 118. *A mandatis tuis intellexi*; tamen citius intrat, ita vt qui fuerunt posteriores in perueniendo, fiant priores in cognoscendo. Matt. 20. *Erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.*

De II. Ponitur effectus inquisitionis. Et in primo aspectu posset talem sensum habere, quod (*vidit*) illa, scilicet (*& credidit,*) quod Christus resurrexit. Sed secundum Augustinum hoc non potest stare. Quia sequitur. (*Nondum enim sciebat,* &c.) Ideo dicendum, quod (*vidit,*) vacuum monumentum (*& credidit*) his quæ dixerat mulier, sc. quod aliqui Dominum asportassent. Et sequitur. (*Nondum enim sciebant Scripturam.*) Quia nondum eis erat apertus sensus, vt intelligerent Scripturas. Lucæ vltimo.

Sed

Sed nonne Christus passionem & resurrectionem eius prædixit? Matth. 20. *Et tertia die resurget.* Respondeo: Quadam consuetudine audiendi ab eo parabolas, multa quæ eis aperte dicebat, non intelligebant, & aliquid eum significare credebãt. Vel secundum Chrysostomum, *(vidit)* linteamina posita sic ordinata, quod non fuisset factum, si corpus furtim fuisset sublatum, *(& credidit,)* scilic. vera fide, quod Christus à morte resurrexerit. Et tunc hoc, quod sequitur: *(Nondum enim sciebant Scripturam,)* refertur ad hoc, quod dicit, *(vidit, & credidit,)* quasi diceret: Antequam videret, non sciebat Scripturam, *(quia oportebat eum à mortuis resurgere,)* sed quando vidit, credidit, quod à mortuis resurrexisset, &c.

CONCIONIS III. DISPOSIT.

Maria stabat ad monumentum plorans.
Ioann. 20.

SCOPVS. Posito quomodo Maria Magdalena venit ad aspiciendam sepulchri apertionem: Hic Euangelista ostendit, quomodo peruenit ad Angelorum visionem.

PARTITIO.

I. *De Magdalenæ deuotione in Dominum.*
II. *De Angelorum visione & allocutione.*
III. *De visione Domini incogniti.*
IV. *De agnitione Christi, & instructione Magdalenæ prohibitoria.*
V. *De Domini iussu ad Mariam.*

PARS

PARS I.

De Magdalenæ deuotione in Dominum.

DEuotio mulieris quæ meruit angelorum visionem, commendatur ex tribus. *Primo* quidem ex eius constantia, quam commendabilem reddidit. Primo discipulorum recessus, quia (*Abierunt ergo iterum discipuli, nondum scientes Scripturam, quia oporteret eum à mortuis resurgere.*] [*ad semetipsos,*] id est, vbi habitabant, & vnde ad monumentum cucurrerant. Adhuc enim ex timore dispersi non simul manebant. Zachar. 13. *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.* Threno. 4. *Dispersi sunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum.* Secundo constans eius mora, quia (*Maria stabat ad monumentum, &c.*) Nam discipulis recedentibus infirmiorem sexum fortior, feruentior in eodem loco figebat affectus.

Sed hic est *quæstio*, quia Marc. vlti. dicitur, quod mulieres egressæ sunt de monumento: ergo fuerunt intus: Vt quid ergo tunc dicit Ioannes (*stabat foris?*) *Responsio.* Monumentum Christi erat excisum in lapide, & circa ipsum erat clausura horti, sicut supra habitum est. Quandoque ergo monumentum vocant Euangelistæ solum locum, vbi corpus reconditum fuit: quandoque totum illud, quod clausum erat. Cum ergo dicitur, quod ingressæ sunt monumentum, intelligendum est de tota clausura horti; sed hoc quod dicitur (*stabat foris,*) intelligendum est de illo saxei sepulcri loco,

sed

ſed tamen intra illud ſpacium, quod iam ingreſſæ fuerant, vbi ſtabat propter amoris conſtantiam, quæ mentem accenderat. 1. Cor. 15. *Stabiles eſtote, & immobiles abundantes in opere Domini*, &c. Pſal. 121. Stantes erant pedes noſtri.

Secundo commendatur eius deuotio ex lacryma rum affluentia, quia (*plorans.*) Threu. 1. *Plorans plorauit in nocte.* Eſt autem duplex lachrymarum gemitus, ſcilic. compunctionis ad peccata abluenda. Pſal. 6. *Lacrymis meis ſtratum meum rigaui.* Et deuotionis ad cœleſtia deſideranda. Pſal. 125. *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina*, id eſt, properantes ad cœleſtia. Sed Maria Magdalena lacrymis quidem compunctionis abundauit, tempore ſuæ conuerſionis, quando quæ fuerat in ciuitate peccatrix, amando veritatem lauit lacrymis maculas criminis Luc. 7. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Abundauit etiam lachrymis deuotionis in Chriſti paſsione & reſurrectione, vt habetur hic.

Tertio, commendatur eius deuotio ex inquiſitionis diligentia. Vnde dicit. (*Dum ergo fleret, inclinauit ſe*, &c.) Fletus enim iſte ex deſiderio amoris proueniebat. Natura enim amoris eſt, quod velit dilectum præſentem habere, etſi hoc non poteſt in re, ſaltem eius præſentiam habet in cognitione. Matt. 6. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Amare ergo flebat Maria, quia oculi, qui Dominum quęſierant, & non inuenerant, lacrymis vacabant, amplius dolens, quod ablatus fuit de monumento, quoniã magiſtri tanti cuius vera ſubtracta fuerat,

rat, memoria remanebat, & ideo quia eum habere non poterat, volens saltem videre locum, vbi positus fuerat, (*inclinauit se, & prospexit in monumentũ.*) In quo datur intelligi, quod in morte Christi debemus prospicere cum humilitate cordis. Matt. 11. *Abscondisti hæc à sapientibus*, &c. (*& prospexit.*) Vt daret exemplum continue oculis mentis mortem Christi prospicere. Quia amanti semel aspexisse non sufficit, cuius vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. Hebr. 11. *Aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta.* (*Inclinauit autem se, & prospexit.*) Quia charitas Christi eam vrgebat. 2. Cor. 5. *Charitas Christi vrget nos.* Vel potius secundum Augustinum, diuino instinctu in animo eius factum est, vt perspiceret, & altius aliquid videret, scilicet angelos. Roman. 8. *Qui spiritu Dei aguntur*, &c.

PARS II.

De Angelorum visione & allocutione.

Circa hanc quatuor tangit Euangelista. *Primo*, quid vidit? Quia (*duos angelos.*) Vt ostendat, quod omnes Angelorum ordines tam asistentiũ quam ministrantium Christo obsequebantur. Hebræor. 1. *Adorent eum omnes Angeli eius.* Sed circa hoc est quæstio. Quia Matthæi & Marci vltimo dicitur, quod Maria, & aliæ mulieres viderunt vnum Angelum existentem in latere monumenti: hic autem dicitur quod duos, & intus. Sed vtrumque

que verum eſt. Quia illud præceſsit, quod narrant Matthæus & Marcus, quando ſcilicet primo venerunt, & credentes eum ſublatum, redierunt ad diſcipulos. Et iſtud quod narrat Ioannes, contigit, quando rediit cum diſcipulis, & eis recedentibus, ipſa remanſit.

Secundo, deſcribit habitum. Quia (*in albis.*) Per quod claritas reſurrectionis, & gloria Chriſti reſurgentis demonſtratur. Apoc. 3. *Ambulabunt mecum in albis.* Apoc. 20. *exercitus, qui eſt in cælo, ſequebatur eum in veſte alba*, id eſt, glorioſa. *Tertio* deſcribit ſitum, quia (*ſedentes.*) Per quod quies & poteſtas Chriſti deſignatur, qui iam ab omnibus tribulationibus requieſcens regnat in carne immortalis, ſedens ad dexteram Patris, Pſal. 109. *Sede à dextris meis.* Iſai. 9 *Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit.*

Quarto deſcribit ordinem. (*Vnum ad caput, & vnum ad pedes.*) Quod poteſt referri ad tria. *Primo* quidem ad duo teſtamenta. Angelus enim Græce, Latine dicitur nuncius. Chriſtum autem annunciauerant teſtamenta: quia dicitur Matth. 21. *Turba quæ præibat, & quæ ſequebatur, clamabat: Oſanna filio Dauid.* Sic ergo angelus ſedens ad caput, ſignat vetus Teſtamentum, & qui ad pedes, Nouum. *Secundo* ad prædicatores. In Chriſto enim eſt duplex natura, diuina ſcilicet & humana. *Caput autem Chriſti eſt Deus*, vt dicitur 1. Cor. 11. Pedes vero humanitatis, Pſalm. 131. *Adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius.* Qui ergo annunciat diuinitatem Chriſti, ſicut eſt illud: *In principio erat Verbũ*, ſedet ad caput.

Qui

Qui vero humanitatem annunciat, sicut illud: *Verbum caro factum est*, sedet ad pedes. *Tertio* potest referri ad tempus annunciationis. Et sic sedet vnus ad caput, & vnus ad pedes; quia ab initio vsque ad finem mundi mysteria Christi significabant esse annuncianda, 1. Cor. 11. *Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.*

II. Agitur de angelorum allocutione. Et *primo* ponit angelorum interrogationem. *Secundo* mulieris responsionem. Circa primum sciendum est, quod angeli scientes mulierem adhuc dubitare, quasi à remotis incipientes, causam fletus exquirunt. Vnde dicit: (*Dicunt illi*) (*Quid ploras?*) q. dicat: Plorare noli. Superuacuum enim est, quia *ad vesperum*, sc. passionis *demorabitur fletus, & ad matutinum* resurrectionis *lætitia*. Hierem. 31. *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi à lachrymis, quia est merces*, &c. Nota secundum Gregorium, quod ipsa sacra eloquia, quæ in nobis lacrymas amoris excitant, easdem lacrymas consolantur, dum nobis redemptoris nostri spem repromittunt. Psalm. 1. *Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

Sed mulier non Angelos, sed homines esse putat; & causam fletus sui exponit, (*& dicit eis, quia tulerunt Dominum meum,*) id est, Corpus Domini mei, à toto partem significans. Sicut confitemur Dominum Iesum Christum Filium Dei sepultum, cum eius sola sepulta sit caro; quia diuinitas carnem non deseruit. (*Et nescio, vbi posuerunt eum.*) Hoc enim erat ei causa desolationis; quia nesciebat,

quo iret, & eum ad consolationem sui doloris inueniret.

Sed nunquid ad consolationem amantis est habere aliquid, quod fuit amici? Et quidem secundũ Aug. 4. Confess. magis pertinet ad dolorem. Vnde ipse dicit, quod fugiebat omnia loca, in quibus conuersatus fuerat, cũ amico suo. Et tamen Chrysostom. dicit, quod est ad consolationem. Sed vtrunque est verum. In omnibus enim, quæ habẽt admixtionem gaudij & tristitiæ: spes rei desideratæ est delectabilis. Rom. 12. *Spe gaudentes*, &c. est etiam & tristabilis, quia *spes quæ differtur, affligit animam*, sed non secundum eandem rationem. Nam in quantum per spem repræsentatur res amata, vt possibilis consequi, causat gaudium. In quantum autem separat actu, absens contristat. Et sic est in isto loco: quia res amici inquantum repræsentat amicum, amanti delectabilis est. Inquantum vero subtractionem amici ad memoriam reducit, tristitiam infert.

PARS III.

De visione Domini incogniti.

PRimo ponit Christi visionem. *Secundo* eius allocutionem. *Tertio*, mulieris responsionem.

De I. duo: [*Hæc cum dixisset*,] scilicet Maria Magdalena ad Angelum; (*conuersa est retrorsum.*) Sed quærit Chrysostomus: Mulier quæ loquebatur cum Angelis, quos saltem venerandos viros putabat, quare non expectabat eorum responsum de hoc,

hoc, quod dixit: ſed retrorſum conuertitur. Reſponſio: Cum mulier Angelis reſpondiſſet, Chriſtus aduenit, cui Angeli reuerentiam exhibentes aſſurrexerunt: quod videns mulier admirans reſpexit retro, vt ſciret, ad quid aſſurrexiſſent. Vnde & Luc. vlt. Angelos ſtantes viſos eſſe commemorat, & ſic retrorſum ad aſpiciendum conuerſa, (*vidit Ieſum ſtantem, & non ſciebat, quia Ieſus eſſet*) Videbat enim eum in ſpecie non glorioſum, quem Angeli glorioſum videntes honorabant. Oſtenditur etiam per hoc, quod, ſi quis Chriſtum videre deſiderat, oportet, vt ad eum conuertatur. Zach. 1. *Conuertimini ad me*, &c. illi ad eum videndum perueniunt, qui ſe totaliter in eum per amorem cõuertunt. Sap. 7. *Praeoccupat eos, qui ſe concupiſcunt.*

Myſtice autem per hoc ſignatur, quod hæc mulier per infidelitatem ad Chriſtum verterat dorſum, ſed quando animum eius ad cognoſcendum conuertit, retrorſum conuerſa eſt. Sed quare eum non agnoſcebat, cum idem ipſe eſſet? *Dicendum*, quod hoc erat vel quia mortuum viderat, reſurrexiſſe non credebat: vel quia tenebantur oculi eius, ne eum agnoſceret; vt dicitur de duobus diſcipulis euntibus in Emaus, Luc. vlt.

II. *Mulier, quid ploras? Quid quæris?*] Sciendum eſt, quod mulier iſta paulatim proficit. Nam Angelus cauſam ploratus exquirit; ſed Chriſtus, quid quærat, interrogat. Nam ploratus ex deſiderio inquiſitionis cauſabatur, quem quærit enim, interrogat, vt augeatur deſiderium; quatenus eum nominaret, quem quæreret, in amorem

eius ardentius æstuaret, & sic semper quæreret. Psal. 105. *Quærite faciem eius semper.* Prou. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit & crescit vsque ad perfectum diem.*

III. Ponitur responsio mulieris. Et *Primo*, opinio, quam de interrogante habebat. *Secundo*, ponuntur verba responsionis. 1. Opinabatur autem illa, quod (*hortulanus esset.*) Sciebat enim, quod exterriti custodes propter terræmotum & aspectũ Angelorum iam fugerant, & nullum circa loca illa occupari, nisi eum qui eorum cultor esset. Et vt Greg. dicit: *Hæc mulier errando non errauit, dum Christum hortulanum credidit, quia in eius pectore per amoris sui vim semina virtutis plantabat.* Eccles. 24. *Dixi, rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo partus mei fructum.*

Et dixit ei: Domine, si tu sustulisti eum.] Dominum enim vocat, vt beneuolentiam captet. Sed cum iste de nouo venisset, nec ei dixerat, quem quærebat, quare dixit: (*Si tu sustulisti eum.*) Quem eum? Sed dicendum, quod vis amoris hoc agere solet in amato, vt quod ipse semper cogitat, nullum alium credat ignorare. Vnde Luc. vlt. cũ quæreret Dñs: *Qui sunt hi sermones? &c. Dixerunt: Tu solus peregrinus es*, &c. Sed quid dicit: (*Si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam.*) Mirabilis mulieris audacia, quam mortui non terret aspectus. Et cuius valitudo ad graue mortui funus tollendum plus intentat, quam possit. Sed hoc est, quod dicitur, 1. Cor. 13. *Charitas omnia sperat.* Ideo autem eũ accipere volebat, ne Iudæi in corpus sæuirent exanime,

anime, & ideo volebat in alio loco incognito illud transportare.

PARS IV.

De agnitione Christi, & instructione Magdalenæ prohibitoria.

PRimo ponitur vocatio, cum dicit: (*Maria*,) quã supra alloquens, mulierem quasi nomine communi vocauerat. Sed hic proprio nomine vocatur (*Maria*,) vt designet spiritualem notitiam, quã habet ad Sanctos. Psalm. 146. *Qui numerat multitudinem stellarum.* Exod. 33. *Noui te ex nomine.* Et vt ostendat, quod licet quadam generali motione omnes res moueantur à Deo: specialiter tamen ad hominis iustificationem necessaria est gratia specialis.

Effectus vocationis ponitur, cum dicit: (*Conuersa illa, dicit ei: Rabboni, quod dicitur Magister.*) Sed nũquid non respiciebat ad Christum, qui eam vocauerat? Respondeo 1. secundum Augustinũ, quod hoc referendum est ad interiorem dispositionem mentis. Nam prius corpore conuersa fuit; putauit Christum esse, quod non erat, scil. hortulanũ: Nunc autem corde conuertitur, dum quod erat, agnouit. 2. *Vel* dicendum, quod vt dictum est, credebat eum esse aliquem alium hominem. Vnde, dum sibi loqueretur, solicita de eo quod gerebat in corde, nõ eum respicit; sed circumquaque, si aliquod signum videret sepulti. Et ideo Christus reuocans eam, ex proprio nomine vocauit dicens:

(*Maria,*) q.d. quo respicis? Recognosce eum à quo recognosceris. Et ideo statim vocata ex nomine recognouit auctorem, dicens (*Rabboni, quod dicitur magister.*) Sic enim eum cõsueuerat vocare. In quo datur intelligi, quod vocatio Christi est causa iustificationis nostræ & confessionis veræ.

Secundo, ostendit Euangelista, quomodo Maria instruitur à Christo, & *primo* ponit vnam instructionem prohibitiuam. *Secundo,* aliam affirmatiuã. Circa primum duo facit. *Primo* ponit prohibitionem. *Secundo,* assignat eius rationem.

De I. Admonet Christus Mariam, ne eum tangat, dicens: (*Noli me tangere.*) Et si non legatur hic, quod mulier vellet eum tangere: datur ex hoc intelligi secundum Gregorium, quod Maria ad pedes prostrata amplecti voluit eius vestigia, quem recognouit. Sed subditur pro ratione: (*Nondum enim ascendi ad Patrem meũ.*) Per quod videtur, quod Dominus post resurrectionem noluit tangi ab hominibus antequam ascenderet.

Dices: Contrarium habetur Luc. vltimo: *Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet.* Et si dicas, eum à discipulis se tangi voluisse, non autem à mulieribus: hoc non potest stare. Quia Matth. vltimo dicitur de Magdalena & aliis mulieribus, quia accesserunt & tenuerunt pedes eius. *Intelligendum* est ergo secundum literam, quod mulier hæc bis vidit Angelos in hoc itinere. Primo quidem simul cum aliis mulieribus vidit Angelum sedentem super lapidem, vt dicitur Matthæi 28. & Marci 16.

Secun-

Secundo vero in reditu vidit duos Angelos intus in monumento, ſicut dicit Ioannes. Similiter etiam in hoc eodem itinere bis vidit Chriſtum. Primo quidem in horto, quando æſtimauit eum hortulanum, vt ſupra habitum eſt. Secundo in via, quando currebat cum aliis annunciare diſcipulis, quæ viderat, vt magis firmarentur in fide reſurrectionis. Et *tunc acceſſerunt & tenuerunt pedes eius*, vt dicitur Matt. & Marc.

Eſt autem duplex ratio myſtica, quare tangi noluit. *Vna*: Quia hæc mulier ſignificabat Eccleſiam gentium, quæ Chriſtum non erat tactura per fidem, niſi cum aſcendiſſet ad Patrem. Pſal. 7. *Synagoga populorum circumdabit te, propter hanc in altum regredere.*

Alia ratio eſt, quia ſecundum Auguſtinum 1. de Trinitate cap. 9. Tactus facit quaſi finem cognitionis. Quando enim videmus rem, vtcunque eam cognoſcimus, ſed per tactum conſummatam cognitionem de ea habemus. Mulier autem hæc aliquam fidem habebat de Chriſto, ſicut de ſancto viro. Vnde & magiſtrum eum vocabat. Nec dum ad hoc peruenerat, vt cognoſceret eum æqualem Patri, & vnum cum Deo. Et ideo dicit: (*Noli me tangere,*) id eſt, non conſtituas finem tuæ notionis in id, quod credis de me. (*Nondum enim aſcendi ad Patrem meum:*) ſcilicet in corde tuo, quia non credis me eſſe vnum cum eo, quod tamen poſtea credidit. Nam in eius intimis ſenſibus quodammodo Chriſtus aſcendit ad Patrem, qui ſic in ea profecerat, vt Patri cognoſcat æqualem.

Vel dicendum secundum Chrysostomum, Quod hæc mulier videns Christum surrexisse, credidit, quod esset in eadem qualitate, in qua fuerat prius habens mortalem vitam. Vnde & volebat cum eo esse, sicut ante passionem, & præ gaudio nihil magnum excogitabat, quamuis caro Christi multo melior facta fuerit resurgendo. Et ideo ab hac intelligentia eam reuocare volens, dicit: (*Noli me tangere.*) q. d. Non putes me de cætero habere vitam mortalem, & vobiscum eo modo conuersari, quo primo. 1. Corinth. 15. *Et si nouimus secundum carnem Christum, sed iam nunc non nouimus.* Et hoc est, quod subdit: (*Nondum enim ascendi*, &c.) Et tunc non est monitionis ratio, sed tacitę quæstionis responsio; q. d. Etsi videas me hic manentem, non est propter hoc, quod non habeam gloriosam carnem; Sed quia (*Nondum ascendi*, &c.) Voluit enim, priusquam ascenderet, fidem resurrectionis, & suæ diuinitatis firmare in cordibus Apostolorum.

PARS V.

De Domini iussu ad Mariam.

V*Ade ad fratres meos*, &c.) scilic. Apostolos, qui sunt fratres per conformitatem naturæ. Hebræorum 4. *Debuit per omnia fratribus assimilari.* Et per adoptionem gratiæ; quia eius patris sunt filij adoptiui, cuius ipse est filius naturalis. Vbi notandum est triplex priuilegium, quod Magdalenæ est collatum. *Primo* quidem Propheticum, per hoc, quod meruit Angelos videre. Propheta enim est medius

medius inter Angelos & populum. *Secundo* angelorum fastigium, per hoc quod vidit Christum, in quem desiderant angeli prospicere. *Tertio* officiũ Apostolicum, immo facta est Apostolorum Apostola, per hoc quod ei committitur, vt resurrectionem Dominicam discipulis annunciet. Vt sicut mulier viro primo nunciauit verba mortis; ita & mulier primo nunciaret verba vitæ. (*Et dic eis: Ascendo ad Patrem meum*, &c.) Ioan. 16. *Vado ad eum, qui me misit*. Eph. 4. *Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cælos.*

Sed ex hoc Arrius sumit sui erroris fulcimentum, quia per hoc quod dicit: (*Patrem meum & Patrem vestrum*,) concludere voluit, quod eodem modo Deus sit Pater Filij, sicut est noster Pater: & Deus Filij, sicut Deus noster. Sed contra hoc dicendum, quod hæc verba qua intentione dicantur, apparet ex circumstantiis loquendi. Dicit enim supra: (*Vade ad fratres meos*, &c.) Hos autem fratres habet Christus, secundum quod homo. Et secundum hoc Christus est subiectus Patri, sicut creatura creatori. Nam ipsum corpus Christi creatura quædam est. 2. *Vel aliter*, secundum August. Christus hic loquitur de se secundum vtramque naturam. Quia quod dicit, (*Ascendo ad Patrem meũ, & Patrem vestrum*,) pertinet ad diuinam naturam, secundum quam habet patrem Deum connaturalem, cui est æqualis: & sic intelligendum est aliter (*meum*,) & aliter (*vestrum*;) naturâ meum, gratiâ vestrum; Quasi hoc, quod estis filij adoptiui per gratiam, per me habetis. Galat. 4. *Misit Deus Filium*

suum, vt adoptionem filiorum Dei reciperemus. Rom. 8. *Quos præsciuit conformes fieri imaginis filij sui*, &cæt. Quod addit (*Deum meum & Deum vestrum*) refertur ad humanam naturam, secundum quam habet Deum gubernatorem, & sic dicit, (*Deum meum,*) sub quo ego homo sum [*& Deum vestrũ*] inter quos & ipsum mediator sum: quia per ipsum habemus Deum nobis placatum, & sic Deus noster. Rom. 5. *Iustificati igitur ex fide, pacem habeamus per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum in gratiam, in qua stamus*, &c. 2. Corinth. 5. *Deus erat Christo mundum reconcilians sibi.* Promptitudo obedientiæ Mariæ ponitur, cum dicit: (*Venit Maria Magdalena annuncians, quia vidit Dominum, & hæc dixit mihi:*) Venit de loco, vbi erat horti spacium ante lapidem monumenti, (*annuncians discipulis.*) 2. Corinth. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, &c. Isaiæ 21. *Quæ audiui à Domino Deo exercituum domus Israel, annunciaui vobis*, &c.

DOMINICA IN ALBIS.

Cum sero esset die illa, &c. Ioan. 20.

SCOPVS. Positis apparitionibus Christi factis mulieribus. In parte ista agit Euangelista de apparitione facta Apostolis, simul omnibus in Hierusalem excepto Thoma. Secundo de ea quæ facta est Thoma præsente.

PAR-

PARTITIO.

I. *De circumstantiis apparitionis.*
II. *De apparitione ipsa.*
III. *De apparitionis effectu, datoque Apostolis officio.*
IV. *De collatione muneris spiritalis.*

PARS I.

De circumstantiis apparitionis.

HÆ sunt 4. Primo quidem ex horæ descriptione: (*Quia cum sero esset.*) Secundo ex diei designatione. Tertio ex loci conditione. Quarto ex discipulorum dispositione.

De I. Fuit ergo hora apparitionis serotina. Cuius duplex est ratio literalis. *Vna.* Quia voluit simul apparere omnibus. Et ideo præstolatus est vsque in serum; vt qui dispersi erant de die, simul conuenirent in sero: Nam de nocte simul erant.

Alia ratio: quia Dominus eis apparuit, vt confortaret eos. Illam ergo elegit horam, qua magis stupentes confortatione indigebant, hæc est *sero.* Psalm. 45. *Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis,* &c. 3. Est etiam *ratio mystica.* Quia Dominus in fine mundi apparebit fidelibus, quando media nocte clamor fiet: *Ecce sponsus venit* redditurus eis mercedem suam. Matt. 20. *Cum sero factum esset, dixit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde eis mercedem.*

De II. Dies apparitionis fuit ipsamet dies resurrectionis,

rectionis,quia(*die illa vna ſabbatorum,*)ſc. dies Dominica,de qua dictum eſt. *Vna autem ſabbati.* Quare autem dicatur (*vna ſabbatorum*,) ſupra dictum eſt. Poteſt autem ex Euangeliis colligi, Dominum quinquies iſto die apparuiſſe. Bis ſcilicet mulieribus, ſemel Magdalenæ ſoli; & iterum ſimul cum aliis mulieribus reuertentibus. *Et tunc acceſſerunt & tenuerunt pedes eius.* Tertio vero apparuit duobus diſcipulis ipſo die euntibus in Emaus, Luc. vltim. Quarto autem Simoni Petro. Sed quando, & quo modo, & vbi, non exprimitur, niſi tantum, quod apparuit, Luc. vlt. *Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.* Quinto apparuit omnibus ſimul congregatis *ſero*, vt habetur hic. Et ideo cantatur: *Hæc dies quam fecit Dominus*, Pſalm. 117. Per hoc autem datur intelligi, quod in die communis reſurrectionis apparebit manifeſte omnibus mulieribus, peccatoribus, peregrinis, Apoſtolis, & Apoſtolicis viris: quia *videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Apoc. 1.

De III. Conditio autem loci deſcribitur per clauſuram dubia & timida: [*Cum fores eſſent clauſa.*] Ad literam propter tarditatem, quia nox erat, & propter metum Iudæorum. Sed ex parte Chriſti clauſuræ cauſa fuit, vt manifeſtaret eis virtutem ſuæ poteſtatis intrando ad eos ianuis clauſis. Sciendum eſt, quod ſecundum quoſdam, intrare ianuis clauſis eſt de proprietate corporis glorioſi. 1. per quandam conditionem ipſi inhærentem, poſſe eſſe cum alio corpore ſimul in eodem loco, inquantum eſt glorioſum: Et hoc factũ eſſe, & fieri poſſe ſine

sine miraculo. Sed hoc nõ potest stare: Quia quod corpus humanum non glorificatum, non posit simul cum alio corpore esse, inest ipsi ex natura. Oportet ergo, si corpus glorificatum dicatur habere in se proprietatem aliquã inhærentem, quod posit simul cum alio corpore esse in eodem loco, vt excludatur ab eo illa proprietas, qua nunc impeditur, ne simul cum alio posit esse. Hæc autem proprietas nullo modo est separabilis, vel destructibilis à corpore; cum non sit mathematica corpulentia, vt ipsi dicunt; sed ipsæ dimensiones corporis quanti, quibus proprie accidit situs. Vnde Philosophus arguit contra ponentes ideas, & dato etiam, quod vacuum esset totum spacium super terram, adhuc corpus sensibile non posset esse simul cum illis; propter dimensiones quantitatis, per nullam autem proprietatem corporis gloriosi possent remoueri dimensiones à corpore; natura corporis remanente.

Et ideo dicendũ est, quod hoc miraculose Christus fecit virtute suæ Diuinitatis, quandocunque in sanctis simile contingeret, miraculosum esset, & propter nouum miraculum fit. Et hoc expresse dicunt Augustinus & Gregor. Dicit enim Aug. *Quæris quomodo per ostia clausa intrare potuit? Si comprehendis modum, non est miraculum. Vbi deficit ratio, ibi est fidei ædificatio.* Et subdit: *Ille quippe non eis apertis intrare potuit; quo nascente virginitas matris inuiolata permansit. Sicut ergo ortus ex Virgine matre virtute suæ diuinitatis miraculosus fuit, sic introitus iste.*

Mystice autẽ per hoc datur intelligi, quod Christus

ſtus nobis apparet, quando fores, id eſt, ſenſus exteriores ſunt clauſi in oratione. Matt. 6. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum.* Et in fine mundi, quando quæ paratæ erunt, intrabunt ad nuptias, & poſtea claudetur ianua, vt habetur Matt. 25.

De IV. Diſpoſitio diſcipulorum deſcribitur imitanda, quia (*congregati erant.*) Quod quidem nō vacat myſterio. Chriſtus enim ad congregatos venit. Spiritus Sanctus ad congregatos deſcendit. Quia Chriſtus & Spiritus Sanctus non niſi in charitate congregatis adſunt. Matt. 18. *Vbicunque fuerint duo vel tres congregati,* &c.

PARS II.

De apparitione ipſa.

HIc tria. *Primo*, Chriſti præſentia, quam exhibuit. *Secundo*, Salutatio, quam eis protulit. *Tertio*, Sui certa manifeſtatio, quam eis oſtendit.

De I. Præſentiam autem ſuā exhibuit eis Chriſtus abſque omni dubio, quia (*Venit & ſtetit in medio diſcipulorum.*) *Venit* quidem perſonaliter Ipſe idem, ſicut eis promiſerat Ioan. 14. *Vado & venio ad vos.* Sed (*ſtetit in medio*) vt omnes certò agnoſcerēt. Vnde arguuntur Iudæi, qui eum non cognouerunt. Ioann. 1. *Medius autem veſtrum ſtetit, & vos non cognouiſtis eum.* Item, [*ſtetit in medio diſcipulorum,*] vt oſtendat conformitatem humanæ naturæ, quam habet ad eos. Eccl. 1. *Circa illum corona fratrum, quaſi plantatio cedri in monte libano.* 3. Item (*ſtetit in medio*) per condeſcenſionem. Quia inter eos conuerſatus eſt,

est, sicut vnus ex eis. Eccl. 32. *Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis.* Luc. 22. *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* 4. Item ad designandum, quod nos debemus esse in medio virtutis. Isai. 30. *Hac via, ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram ite.* Qui enim excedit in plus, diuertit ad dexteram, qui autem deficit in minus, vadit ad sinistram.

De II. Salutationis autem verba eis protulit, dicens: (*Pax vobis.*) Sed hæc fuit necessaria. Erat enim eorum pax multipliciter perturbata. 1. Quātum ad Deum, contra quem quidam peccauerunt negando, quidam fugiendo. Matth. 26. *Omnes vos scandalum patiemini in me*, &c. Et contra hoc proposuit eis pacem reconciliationis ad Deum. Rom. 8. *Reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.* 2. Item, quantum ad seipsos, quia tristes erant, & in fine dubij. Et hanc etiam pacem factam proposuit. Ps. 118. *Pax multa diligentibus legem tuā.* 3. Item: Quantū ad exteriores, quia à Iudæis persecutiones persequebantur. Io. 14. *Pacem meam do vobis, pacem, &c.*

De III. Certam sui manifestationem ostendit eis per manus & latus. Vnde (*Hæc cum dixisset, ostendit eis manus & latus.*) Quia in eis specialiter remanserunt signa pasſionis suæ. Luc. vlt. *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum.* Sic & in gloria se ostendet. Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* & infra: *Manifestabo ei meipsum.*

PARS

PARS III.

De apparitionis effectu, datoque Apostolis officio.

Hic effectus est gaudium in cordibus discipulorum de visione Domini, quam promiserat eis Ioan. 16. *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum.* Sed hoc gaudium implebitur in patria, scil. bonis ex aperta visione Dei. Isa. vltim. *Videbitis & gaudebit cor vestrum, & ossa,* &c.

II. Iniungit Apostolis officium. Et *primo* præmittit pacis vinculum: *Secundo*, iniungit officium.

De I. Dixit ergo eis iterum; [*Pax vobis.*] Hoc dixit eis contra perturbationem duplicem. Nam contra perturbationem præsentem à Iudæis dixit eis primo: (*Pax vobis.*) Sed contra conturbationem factam à gentibus: (*Dixit eis iterum, pax vobis:*) Ioannis 16. *In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem.*

De II. Nam ad gentes mittendi erant. Et ideo statim subditur iniunctio officij. (*Sicut misit me Pater,* &c.) In quo ostendit se mediatorem inter Deũ & homines. 1. Thessal. 3. *Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus,* &c. 1. Hoc erat ad consolationem discipulorum, qui cognoscentes autoritatẽ Christi, sciebant eum mittere ipsos autoritate diuina. 2. Item considerantes dignitatem propriam, scil. quod habebant officium proprium Apostolicum. Apostolus enim idem est, quod missus. Dicit ergo:

ergo: [*Sicut misit me Pater; & ego mitto.*] id est, sicut Pater diligens me, misit in mūdum; ad passionem tolerandam; pro salute fidelium. Ioan. 4. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum: sed vt saluetur mundus per ipsum*: Ita ego diligens vos, mitto vos ad tribulationes sustinendas pro nomine meo. Matt. 11. *Ecce ego mitto vos sicut oues inter lupos*, &c. Secundo datur eis idoneitas officij per dationem Spiritus Sancti. 2. Corinth. 3. *Qui & idoneos nos fecit ministros noui Testamenti; non litera, sed spiritu.*

PARS IV.

De collatione muneris spiritualis.

PRimo præmittit dationis signum, quod est insufflatio. (*Insufflauit.*) Simile habent Gen. 1. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*: Quod primus homo deprauauit, scil. vitæ naturalis: sed hoc Christus reparauit, dando Spiritum Sanctum. Nec est intelligendum, quod hic flatus Christi fuerit Spiritus Sanctus; sed signum eius. Vnde Aug. dicit 4. de Trinit. *Flatus ille corporeus substantia Spiritus Sancti non fuit: sed demonstratio per congruam significationem; non tamen à Patre, sed etiam à Filio procedere Spiritum Sanctum.*

NOTA: Quod super Christum Spiritus Sanctus missus est in columbæ specie in baptismo Ioann. 3. Et in specie nubis, in transfiguratione, Matthæi 17. Cuius ratio est, quia gratia Christi, quæ datur per Spiritum Sanctum; deriuanda erat ad

nos per propagationem gratiæ in Sacramentis, & sic descendit in specie columbæ in baptismo, quæ est animal fœcundum. Et per doctrinam: & sic descendit in nube lucida. Vnde & ibi ostenditur doctor. Ideo dicit: *Ipsum audite.* Super Apostolos autem primo descendit in flatu, ad designandam propagationem gratiæ in sacramentis; cuius ipsi ministri erant. Vnde dicit: *Quorum remiseritis peccata,* &c. Marc. vlt. *Euntes ergo baptizate eos in nomine Patris,* &c. Secundo vero in igneis linguis ad significandam propagationem gratiæ per doctrinam. Vnde dicit Act. 1. *Postquam repleti sunt Spiritu Sancto, statim cœperunt loqui.*

Secundo ponit dationis verba, dicens: (*Accipite Spiritum Sanctum.*) Sed nunquid hic acceperunt Spiritum Sanctum? Videtur quod non: Quia, cum nondum ascendisset in altum; non debuit dona dare hominibus. Et quidem secundum Chrysostomum quidam dicunt, quod Christus non dedit eis hic Spiritum Sanctum: sed præparauit eos ad dationem futuram in Pentecoste. Et mouentur ad hoc, quia Daniel. 10. dicitur, quod non potuit sustinere visionem Angeli. vnde isti, nisi præparati, potuissent sustinere Spiritus Sancti aduentum.

Dicendum tamen: Ipse Chrysost. dicit: Spiritus Sanctus datus fuit discipulis, non communiter ad omnia, sed aliquem effectum, scilicet ad dimittendum peccata. Sicut Matth. 10. ad faciendum miracula. August. autem & Gregorius dicunt, quod Spiritus Sanctus habet duo præcepta dilectionis, s. Dei & proximi, & ideo primo datus fuit in terra

ad desi-

ad designandum præceptum dilectionis proximi. Secundo de cœlo; ad designandum præceptum dilectionis Dei.

Tertio ponitur dationis fructus. (*Quorum remiseritis*, &c.) quod conueniens effectus est Spiritus Sancti, sc. remissio peccatorum. Nam Ipse charitas est, & per eum nobis datur charitas. Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nobis.* Remissio autem peccatorum nō fit nisi per charitatem. Quia Prou. 10. *Vniuersa delicta operit charitas*, 1. Petr. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

Hic ergo *primo* quæritur de hoc, quod dicit: (*Quorum remiseritis peccata*,) cum solus Deus peccata remittat. 1. Ad hoc aliqui dicunt, quod solus Deus culpam: sed sacerdos absoluit tantum à reatu pœnæ, & denunciat eum absolutum à macula culpæ. Sed hoc non est verum. Nam Sacramentū pœnitentiæ, cum sit sacramentum nouæ legis, cōfert gratiam, sicut & in baptismo confert: sed in baptismo Sacerdos baptizat instrumentaliter, & tamen confert gratiam. Ergo similiter in sacramēto pœnitentiæ sacramentaliter & ministraliter absoluit à pœna & culpa, inquantum dat Sacramentum, in quo peccata dimittuntur. Quod autem dicitur, quod solus Deus peccata dimittit, verum est autoritate. Sic etiam solus Deus baptizat: sed Sacerdos ministerio, vt dictum est.

2. *Quæritur* de hoc, quod dicit: (*Accipite Spiritum Sanctum*, &c.) Videtur ergo, quod qui nō habet Spiritum Sanctū, non possit peccata dimittere. Ad quod *dicendum*, quod si remissio peccatorū

esset proprium opus Sacerdotis, id est, quod ex sua virtute hoc faceret; non vtique posset sacrificare, nisi sanctus. Remissio autem peccatorum est proprium opus Dei, qui propria virtute & auctoritate peccata dimittit. Sacerdotis autem non est, nisi sicuti instrumenti. Sicut ergo Dominus per seruum & ministrum suum, siue sit bonus, siue malus, potest facere voluntatem suam ad exequendum aliqua, ita & Dominus per ministros, etiamsi mali sint, potest sacramenta conferre, in quibus datur gratia.

3. *Quæritur* de hoc, quod dicitur: (*Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*) Ad quod dicendũ est: Quod, sicut dictum est, Sacerdos in Sacramentis agit sicut minister Dei. 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* Eodem ergo modo, quo Deus remittit & retinet peccata; simul & Sacerdos. Remittit autem Deus peccata largiendo gratiam, sed dicitur retinere non largiendo eam propter impedimentum ex parte recipientis: sic & minister remittit peccata, inquantum impendit Sacramentum Ecclesiæ: Et retinet, inquantum aliquos indignos ostendit à Sacramentorum receptione.

Cætera vide in Parte tertia in Festo S. Thomæ.

DOMI.

DOMINIC. II. POST PASCHA

Ego sum Pastor bonus. Ioann, 10.

SCOPVS. Dixerat ante Dominus, se esse Ostium ouilis. Hic docet, eum, qui intrat per ostium, Pastorem esse.

PARTITIO.

I. Quis sit Pastor bonus.
II. De boni & mali pastoris differentiis.
III. Probat Dominus se esse Pastorem bonum.
IV. De fructu mortis Christi.

PARS I.

Quis sit Pastor bonus?

DVo hic. 1. Se esse bonum. 2. Differre à mercenario.

I. *Ego sum Pastor bonus.*] quod autem Christus sit Pastor, manifeste ei competit. Nam sicut per pastorem grex gubernatur & pascitur, ita fideles per Christum spirituali cibo, & etiam Corpore & Sanguine suo reficiuntur. 1. Pet. 4. *Eratis aliquando sicut oues non habentes pastorem,* &c. Isai. 40. *Sicut pastor gregem suam pascet.* Sed ad differentiam mali pastoris & furis addit: (*Bonus.*) Quia implet pastoris officium; sicut bonus miles dicitur, qui implet militis officium.

Sed cum Christus dixerit supra, pastorem in-

trare per ostium; & iterum, se esse ostium; hic autem dicat Se esse Pastorem; oportet, vt Ipse per semetipsum intret. Et quidem per seipsum intrat, quia seipsum manifestat, & per seipsum nouit Patrem. Nos autem per illum intramus, quia per ipsum beatificamur. Sed attende, quod nullus alius est Ostium, nisi Ipse. Quia nullus alius est lux vera, sed per participationem, Ioan. 1. *Non erat ille lux*, sc. Ioan. Bapt. *Sed vt testimonium perhiberet de lumine*, &c. Sed de Christo dicitur: *Erat lux vera* &c. Et ideo ita ostium nemo se dicit: hoc sibi esse Christus proprium retinuit, esse autem in aliis communicauit, & membris suis dedit. Nam & Petrus pastor, & cæteri Apostoli pastores fuerunt, & omnes boni Episcopi. Hierem. 3. *Dabo vobis pastores secundum cor meum*, &c. Licet autem præpositi Ecclesiæ, qui filij sunt, omnes pastores sint, vt Augustinus dicit: ideo tamen singulariter dicit: (*Ego sum Pastor bonus*,) vt insinuet virtutem charitatis. Nullus enim est pastor bonus, nisi per charitatem efficiatur vnum cum Christo, & fiat membrum veri Pastoris. Officium boni pastoris est charitas.

De II. Vnde dicit: (*Bonus pastor animam*, &cæt.) Differentia est inter bonum pastorem & malum. Nam bonus intendit commodum gregis: Malus autem commodum proprium. De hac differentia Ezech. 34. *Væ pastoribus qui pascunt semetipsos. Nonne greges pascuntur à pastoribus?* Qui igitur vtitur grege, vt semetipsum tantum pascat, non est pastor bonus. Ex quo sequitur, quod pastor malus etiam corporalis, nullum detrimētum vult sustinere pro

grege.

grege, cum non intendat eorum commodum, ſed proprium. Bonus vero paſtor, etiam corporalis, ſuſtinet multa pro grege, cuius bonum intendit. vnde Iacob dixit Geneſ. 31. *Nocte ac die gelu vrebat & æſtu.* Sed in corporalibus paſtoribus non exigitur à bono paſtore, vt exponat ſe morti propter ſalutem gregis; ſed quia ſpiritualis gregis ſalus, prę ponderat corporali vitæ paſtoris, ideo cum periculum imminet de gregis ſalute, debet quiſque ſpiritualis paſtor, corporalis vitæ ſuſtinere diſpendium, pro gregis ſalute. Et hoc eſt, quod Dominus dicit: (*Bonus paſtor animam ſuam,*) id eſt, vitam corporalem (*ponit pro ouibus ſuis,*) id eſt, autoritate & charitate. Vtrumque enim exigitur, & quod ad eũ pertineat, & quod eas amet. Nam primum ſine ſecundo non ſufficit. Huius autem doctrinæ Chriſtus nobis exemplum præbuit, 1. Ioannis 3. *Si Chriſtus poſuit animam ſuam pro nobis, & nos debemus,* &c.

PARS II.

De mali paſtoris & boni differentiis.

OSTENDIT ei contrarias conditiones ineſſe, à conditionibus boni paſtoris. Et *primo* ponit mali paſtoris conditiones. *Secundo* oſtendit, quomodo ipſæ conditiones ſe inuicem conſequuntur. Circa primum duo facit. *Primo* ponit cõditiones mali paſtoris. *Secundo*, inſinuat periculum imminens gregi ex malo paſtore.

Notandum autẽ, quod ex his quæ dicta ſunt de

bono pastore, & his quæ dicuntur de malo, triplex differentia conditionum ipsorum, scilicet boni & mali pastoris accipi potest. *Prima* accipitur quantum ad intentionem. *Secunda* quantum ad effectũ. *Tertia* quantum ad solicitudinem.

Differunt ergo *Primo* in intentione, & hoc ex nomine vtriusque. Nam primus dicitur pastor, quo significatur, quod intendit pascere gregem. Ezec. 34. *Nonne greges pascuntur à pastoribus?* Malus dicitur mercenarius, quasi mercedem quærens: Vt sic differant in hoc, quod bonus pastor quærit vtilitatẽ gregis. Mercenarius autẽ principalius, commodũ proprium. Hæc etiam differentia est inter Regem & Tyrannum, vt Philosophus dicit, quia Rex in suo regimine intendit vtilitatem subditorũ: Tyrannus vero vtilitatem propriam. Vnde dicit mercenarius, Zachar. 11. *Si bonum est in oculis vestris, afferte mihi mercedem.* Sed nunquid possunt quærere etiam boni pastores mercedem? Videtur, quod sic Eccles. 37. *Da mercedem Domine sustinentibus te*, &c. Isa. 40. *Ecce merces eius cum eo*. Et Luc. 15. *Quanti mercenarij in domo patris*, &c.

Respondeo: Merces potest accipi dupliciter, communiter & proprie. 1. Communiter quidem, omne quod meritis redditur, dicitur merces: & quia vita æterna, quæ est Deus, Ioann. vltim. *Hic est verus Deus, & vita æterna*; meritis redditur, ideo ipsa vita æterna merces dicitur: Hanc mercedem potest & debet quærere quilibet bonus pastor. 2. Proprie autem dicitur merces, aliquid segregatum ab hæreditate. Et ad hanc non debet habere respe-

respectum ille, qui est verus filius, ad quem spectat hæreditas: Sed ad eam respectum habent serui, & mercenarij. Vnde, cum vita æterna sit hæreditas nostra, qui operatur habens ad eam respectum, operatur vt filius: Qui vero intendit aliquid seorsum ab ea: puta terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, mercenarius est.

Secundo distinguuntur quantum ad solicitudinẽ. Quia de bono pastore dicitur, quod oues sunt suæ; non solum commissione, sed etiam amore & solicitudine. Phili. 1. *Eo quod habeam vos in corde*, &c. Sed de mercenario dicitur: (*Cuius non sunt oues propriæ,*) id est, earum solicitudinem non habet. Ezechiel. 34. *Neque quæsierunt pastores gregem meum, sed pascebant seipsos.*

Tertio differunt quantum ad affectum. Nam bonus pastor, qui diligit gregem, animam suam dat pro eo, id est, exponit se periculo vitæ corporalis. Malus autem, quia nullum affectum habet ad gregem, fugit, cum videt lupum, Vnde dicit: (*Vidit lupum venientem, & dimittit oues.*) Lupus iste tripliciter accipitur. *Primo* quidem diabolus tentans. Ecclesi. 13. *Sed si communicabit aliquando lupus cum agno.* *Secundo* vero hæreticus mactans. Matth. 7. *Attendite à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium.* Actor 20. *Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces*, &cæt. *Tertio*, tyrannus sæuiens. Ezech. 21. *Princeps eius in medio eius quasi lupi*, &c. Debet ergo homo pastor contra hunc lupum triplicem, subditum gregem tueri, dum scilicet videns lupum, id est, tentationem diabolicã,

deceptionem hæreticam, & sæuitiam tyrannicam opponit se.

Quod contra dicitur Ezechielis 34. *Non ascendistis ex aduerso*, &cæt. Et ideo dicitur de malo pastore, quod (*fugit & dimittit oues.*) Zachar. 11. *O pastor & idolum derelinquens gregem*, quasi dicat: Non es pastor, sed similitudinem & idolum geris pastoris. Hierem. 37. *Mercenarij eius in medio eius. quasi vituli saginati*, &c. Sed contra hoc est, quod dicitur Matthæi 10. *Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam*. Ergo videtur, quod licet pastori fugere. *Respondeo*, est duplex solutio. *Vna* est Augustini super Ioannem. Est enim duplex fuga, scilicet animi & corporis, quod autem hic dicitur, (*dimittit oues & fugit*,) intelligitur de fuga animi. Nam dum malus pastor à lupo sibi periculum metuit, resistere eius iniustitiæ non præsumit: sed fugit non mutando locum, sed subtrahendo solatium, refugiens, scil. gregis solicitudinem.

Sed hæc expositio necessaria est, quantum ad primum lupum. Nam contra diabolum non oportet corporaliter fugere; sed quia contingit etiam aliquem pastorem fugere corporaliter propter aliquos lupos, scilicet hæreticum habentem potestatem & Tyrannum: ideo adhibenda est *alia responsio*, quam Augustinus ponit in Epistola ad Honoratum. Nam, vt ipse dicit, videtur, quod liceat etiam corporaliter fugere lupos, non solum ex autoritate Domini supra posita, sed etiam exemplo Sanctorum aliquorum: puta Athanasij, & aliorum persecutores fugientium. Non enim quia

fugit,

fugit, sed quia dimittit oues, vituperatur, vnde si posset fugere non dimittendo oues, non esset vituperabile. Contingit enim aliquando, quod quæritur persona Prælati: aliquando totus grex. Manifestum est autem, quod si quæratur sola persona Prælati, possunt alij loco sui ad gregis custodiam deputari, qui vice sui consolentur, & gubernent gregem. Vnde si sic fugiat, non dicitur dimittere oues; & hoc modo, in casu, fugere licet. Si autem quæratur totus grex, aut oportet, vt pastores omnes simul sint cum ouibus, aut vt aliqui ex eis remaneant, & aliqui recedant. Si autem totaliter deserant gregem, tunc eis competit, quod hic dicitur: (*Videt lupum venientem, & dimittit oues, & cæt.*)

Sequitur: (*Et lupus rapit & dispergit.*) Ponitur hic periculum imminens, quod est duplex. *Vnum* est ouium rapina, vnde dicit, (*lupus rapit,*) eum, scilicet quod alienum est, sibi vsurpat. Fideles enim Christi sunt eius oues. Tunc igitur aliquis hæresiarcha & lupus, rapit oues, quando fideles Christi ad doctrinam suam falsam attrahit. Ezec. 34. *Factus est grex meus in direptionem,* &c. *Aliud periculum* est, ouium dispersio, vnde dicit: (*Et dispergit oues,*) in quantum aliqui seducuntur, & aliqui persistunt. Ezech. 34. *Dispersi sunt greges mei, & non erat pastor, & facti sunt in deuorationem omnium bestiarum agri.*

Mercenarius autem.] Ostendit hic, quomodo prædictæ conditiones se inuicem consequuntur: nam ex primis duabus sequitur tertia. Ex hoc enim, quod quærit vtilitatem suam, & non

afficitur

afficitur ad gregem per amorem & solicitudinem, sequitur, quod non velit pro eo incommodũ sustinere: & ideo dicit: (*Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est,*) id est, quærit commodum proprium, quantum ad primam conditionem, (*& non pertinet ad eum de ouibus*) id est non eas diligit, neque pro eis solicitatur, quantum ad secundam conditionem eius. Vnde Iob 39. dicitur de malo pastore: *Induratur ad filios, quasi non fuerint sui.* E conuerso est de bono pastore. Nam gregis commodum quærit, non proprium. Philippen. 4. *Non quæro datum, sed quæro fructum,* &c. Et (*pertinet ad eum de ouibus,*) id est, eas diligit, & de eis solicitatur. Philip. 1. *Eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis,* &c.

PARS III.

Probatio Christum esse bonum Pastorem.

EGo *sum Pastor bonus,* &c.] hoc expositum est Ezechiel. 34. *Requiram oues meas in die illa: sicut visitat pastor.* (*Ego cognosco oues.*) Probat, quod dicit. Duo autem dicit de se, quod est *Pastor,* & quod est *bonus. Primo* ergo probat, quod sit pastor. *Secundo,* quod pastor bonus.

De I. Pastorem autem se esse probat per duo signa posita superius de pastore, quorum primum est, quod oues proprias vocat nominatim, & quãtum ad hoc dicit: (*Et cognosco oues meas.*) 2. Tim. 2. *Nouit Dominus, qui sunt eius.* (*cognosco*) inquantum notitia non solum simplici, sed etiam probationis & dile-

& dilectionis. Apoc. 1. *Dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris.* Secundum signum est, quod oues vocem eius audiunt, & sciunt eũ; & quantum ad hoc dicit: (*Et cognoscunt me meæ,*) meæ inquam prædestinatione, vocatione, & gratia: quasi dicat. Ipsæ me diligentes obsequuntur. Vnde hoc intelligitur de notitia dilectionis: de qua dicitur Hierem. 31. *Omnes cognoscent me à minimo vsque ad maiorem,* & cæt.

De II. Bonum aũt Pastorẽ se ostendit: ostendens se habere officium boni pastoris, quod est, vt animam suam ponat pro ouibus suis. Et *primò* ponit causam huius. *Secundò* ipsum signum inducit. *Tertiò* subdit fructum signi.

Causa autem huius signi, sc. Quod animam suã ponit pro ouibus suis, est notitia, quam habet de Patre. Et quantum ad hoc dicit: (*Sicut nouit me Pater,* &c.) Et hoc quidem verbum dupliciter potest exponi. *Vno modo,* vt (*sicut*) significet similitudinẽ, & hoc modo notitia huius potest communicari creaturæ alicui. 1. Cor. 13. *Cognoscam, sicut & cognitus sum,* id est, sicut cognitus sum sine velamine: ita sine velamine cognoscam. *Alio modo,* vt (*sicut*) importet æqualitatem, & tunc cognoscere Patrem sicut cognitus est ab eo, est proprium solius Filij. Quia solus Filius cognoscit Patrem comprehendendo, sicut Pater comprehendendo cognoscit Filium. Matth. 11. *Nemo nouit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis nouit, nisi Filius:* notitia, scilicet comprehensionis. Ideo autem Dominus hoc dicit, quia in hoc ipso, quod cognoscit Patrem, cognoscit eius volun-

voluntatem, in qua erat, vt filius pro salute humani generis moreretur: in quo etiam dicit se mediatorem Dei & hominis. Nam sicut ad oues se habet, vt cognitus, & cognoscens: ita ad Patrem: quia sicut Pater eum nouit, ita ipse Patrem cognoscit.

II. Consequenter cum dicit: (*Et animam meam*, &c.) Ponit ipsum signum 1. Ioan. 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit*, &c. Sed cum in Christo sint tres substantiæ, scilicet substantia Verbi, Animæ, & Corporis; quæritur, quis loquatur, cum dicit: (*Animam meam pono.*) Si dicas, quod Verbum hic loquitur; non est verum. Nam verbum nunquam animam ponit, cum nunquam fuerit ab anima separatum. Si dicas, quod anima loquitur: Hoc etiam impossibile videtur: Quia nihil separatur à seipso. Si vero dicas, quod quantum ad corpus Christus hoc dicit. Nec hoc videtur, quia corpus non habet potestatem iterum sumendi eam. *Dicendum* ergo ad hoc, quod in morte Christi anima fuit separata à carne: alias non fuisset vere mortuus: sed Diuinitas nunquam separata fuit in Christo ab ipsa anima & carne, sed vnita fuit animæ, descendenti ad inferos, & corpori existenti in sepulchro; & ideo corpus virtute Diuinitatis animam posuit, & iterum resumpsit.

eam.

PARS

PARS IV.

De fructu mortis Christi.

III. ET *alias oues habeo, quæ non sunt ex*, &c.) Fructus mortis Christi est salus non solum Iudæorũ, sed etiam gentium. Quia enim dixerat: *animam pono pro ouibus meis;* Iudæi reputantes se oues Dei, secundum illud Psal. 1. *Nos autem populi eius, & oues pascuæ eius*: possent dicere, quod pro eis tantum animam poneret. Sed Dominus addit, dicens, quod non tantum pro eis, sed etiam pro aliis. Ioann. 11. *Hoc à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit: quia Christus moritur, erat pro gente: & non tantum pro gente, sed vt*, &c.

In isto autem fructu Dominus tria facit. *Primo* ponit gentium prædestinationem. *Secundo* earum per gratiam vocationem. *Tertio*, ipsarum iustificationem. *Quantum ad primum*, dicit: (*Alias oues habeo*,) scilicet gentes, (*quæ non sunt ex hoc ouili*,) scilicet de genere carnis Israel, quod erat quasi ouile. Mic. 2. *Congregabo Iacob*, &cæt. Nam sicut oues in ouili concluduntur, sic isti in præceptis legalibus conclusi custodiebantur, vt habetur Galat. 3. Istas, inquam, oues scilicet, gentiles habeo à Patre, per æternam prædestinationem. Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes*, &c. Isa. 45. *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas, dedi te in lucem gentium, vt sis salus*, &c.

Quantum ad secundum dicit: (*Et illas oportet me adducere*,) id est, opportunum est secũdum ordinem diuinæ

diuinæ prædestinationis ad gratiam vocare. Sed contra Matthæi 15. dicit Dominus: *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Dicendũ, quod ad oues domus Israel tantum missus est Iesus, vt eis corporaliter prædicaret: secundum illud Romano. 15. *Dico autem Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis,* &c. Gentes autem adduxit per Apostolos suos Isaiæ vltimo: *Mittam ex eis, qui reliqui fuerunt,* &c.

Quantum ad tertium dicit, (*& vocem meam audient.*) Vbi tria ponuntur necessaria ad iustitiam Christianæ religionis. Primũ est, obedientia mandatorum Dei. Et quantum ad hoc dicit: (*Vocem meam audient:*) id est, seruabunt mandata mea. Matthæi vltimo: *Docentes eos seruare omnia quæ,* &c. Psalm. 14. *Populus quem non cognoui,* id est, quem non approbaui, *auditu auris obediuit mihi.* Secundum est, vnitas charitatis. Et quantum ad hoc dicit: (*Et fiet vnum ouile,*) id est, ex duabus gentibus, Iudaico & gentili populo, vna Ecclesia fidelium. Eph. 4. *Vna fides.* Et Philipp. 2. *Ipse est pax nostra,* &c. Tertium est vnitas fidei. Et quantum ad hoc dicit, (*Ego vnus Pastor.*) Ezechiel. 37. *Et pastor vnus erit ouium eorum,* scilicet Iudæorum & Gentilium.

DOMI-

DOMINIC. III. POST PASCH.

Modicum & iam non videbitis me.
Ioannis 16.

SCOPVS. Explicarat Dominus vnam rationem consolationis ex promissióne Spiritus Sancti: hic explicat secundam, de iterata visione sua.

PARTITIO.

I. De iterata promissione visionis Dominicæ.
II. De discipulorum dubitatione.
III. De dubitationis manifestatione.
IV. De similitudine illustratoria dictorum.

PARS I.

De iterata visionis promissione.

VIsionem promittit Dominus eis cum prænunciatione recessus sui: Quod ideo eis frequenter inculcat, vt dum sæpe ipsum futurũ præmeditantur, ipsum pręsentem tolerabilius ferant. Tria autem ponit consolatoria. 1. Breuem absentiam: 2. Iteratam sui præsentiam. 3. Et honorabilem discessum.

De I. Absentia quidem breuis est: quia (*Modicum & iam non videbitis me,*) vt (*modicum*) referatur ad (*non videbitis,*) quasi dicat, futurum est, vt tollat à vobis per mortem, (*& iam non videbitis me.*) Sed non debetis contristari, quia tempus hoc, quo me

non videbitis, modicum erit, quia *exurgam diluculo,* tertia ſc. die. Iſa. 26. *Abſcondere modicum,* &c.

De II. Sed iterata præſentia mei erit, quia (*iterũ modicum,*) i. modico temporis poſt reſurrectionẽ, ſpacio ſc. quadraginta dierum. Act. 1. *Per dies quadraginta* &c. (*& videbitis me,*) Luc. 24. *Gauiſi ſunt diſcipuli viſo Domino.*

De III. Et hoc quia honorabiliter recedo, (*quia vado ad Patrem.*) Act. 1. *Videntibus illis eleuatus eſt.*

2. Vel aliter. Vt (*Modicum*) referatur ad tempus ante eius mortem. Et ſit ſenſus (*modicum*) ſc. tempus exiſtet, quo ſubtrahar à vobis: quia ſc. in craſtino. Ioan. 13. *Filioli adhuc modicum,* &c. (*& non videbitis me,*) ſc. mortalem. Quia Ioan. 14. *Adhuc modicum, & mundus me iam non videt,* ſc. mortalem; quia videbit eum in iudicio in maieſtate veniẽtẽ. Diſcipuli vero poſt reſurrectionem immortalem exiſtentem. Quia, vt dicitur Act. 10. *Dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus praordinatis*: & ideo ſubdit: (*Modicum,*) ſc. durabit, (*& videbitis,*) quia ſc. modicum tempus fuit, quo manſerit in morte, Iſa. 54. *In momento indignationis abſcondi,* &c.

3. Vel (*Modicum*) poteſt referri ad tempus totius vitæ noſtræ vſque ad iudicium, & tunc videbimus eum in iudicio, & in gloria. Dicitur autem (*Modicum,*) in comparatione ad æternitatem. Pſal. 89. *Mille anni ante oculos tuos, tãquam dies heſterna quæ prateriit.* (*Quia vado ad Patrem,*) per reſurrectionem, & aſcenſionem. Ioann. 13. *Sciens Ieſus, quia venit hora eius,* &cæt.

PARS

PARS II.

De discipulorum dubitatione.

PRimo ponitur eorum ad inuicem collatio. *Secundo* exprimitur dubitationis occasio. *Tertio*, describitur dubitantium animus & affectio.

De I. Conferebant quidem ad inuicem discipuli ex verbis Domini, dicentes: (*Quid est hoc, quod dicit nobis modicum?*) In quo commendanda est eorum reuerentia ad Christum, quæ tanta erat, vt nõ præsumerent eum interrogare. Simile faciunt angeli. Isa. 63. *Quis est iste, qui venit de Edom?* &c. Quibus tamen respondet, dicens: *Ego qui loquor*, &c. Sed in hoc significatur, quia nondum perfectum sensum habuerunt de verbis Christi; aut propter tristitiam absorbentem; aut propter verborum obscuritatem. Matt. 15. *Adhuc & vos sine intellectu estis?*

De II. Occasio autem erat ipse verborum contextus, quæ videbantur cõtrarietatem quandam implicare. Satis enim intelligebant, quod dicit: *Nõ videbitis me.* Et *quod vado ad Patrem.* Sed hoc dubiũ inferebat, quod eundem existentem & morientem post modicum visuri erant. Nondum enim nota eis erat resurrectio, quia hoc dicitur in Psal. 88. *Quis est homo, qui non videbit mortem, eruet animam suam*, &c. Sap. 2. *Non est agnitus, qui sit reuersus ab inferis*, &c. ideo dicunt: (*Quid est hoc, quod dicit nobis, modicum,*) supple, quod videbitis me.

De III. Sed ad hanc dubitationem modeste dispositi erãt, (*Nescimus,*) inquiunt, (*quid loquitur.*) Nam, vt dicit Augustinus, aliqui non intelligentes verba Scripturæ blasphemant, sensum propriũ auctoritati Scripturæ præponentes, sed alij modesti dum non intelligunt, suam ignorantiam confitentur. Sap. 9. *Infirmus homo & exigui temporis,* &c. quod & hic discipuli faciunt. Non enim aiunt, male dicit, vel nihil, sed eorum ignorantiæ ascribunt, quod non intelligunt.

PARS II.

De dubitationis manifestatione.

PRimo ponitur dubitationis cognitio. Secundo manifestatio eius, de quo dubitatur. Et *primo* ostendit, quomodo dubitatio discipulorũ à Christo cognoscitur, cum dicit: (*Cognouit autem Iesus,*) virtute diuinitatis suæ, (*quia volebant eum interrogare,*) scilicet de eo, quod dubitabant, Ioann. 2. *Ipse enim sciebat, quid esset in homine,* 1. Reg. 18. *Homines vident, quæ patent, Deus autem intuetur cor,* &c. Secundo, quomodo verbo manifestatur. Vnde dixit eis. (*De hoc quæritis inter vos,* &c.) Isa. cap. 48. *Audita feci extunc,* &c.

De II. *Amen dico vobis,* &c. Hic exponit dictum suum remouens dubitationem, non expresse ponens verba quæ dixerat, discipulis magis satisfaciens, quam sibi. Vbi tria facit *Primo,* ostendit alterationem gaudij & tristitiæ. *Secundo,* intensiorem tristitiam. *Tertio,* consequentem lætitiam.

Quan-

Quantum ad primum(*Amen amen dico vobis:*) quia in hoc modico, in quo nō videbitis me(*plorabitis,*) exterius emittendo vocem doloroſam, (*& flebitis,*)lachrymando. Thren. 1. *Plorans plorauit in nocte*, quantum ad primum: *Et lachryma eius*, quātum ad ſecundum. Iſaiæ 31. *Quieſcat vox tua à ploratu.* Interior autem eorum triſtitia erit per contrarietatem ad lætitiam mundi; vnde dicit: (*Mundus autem gaudebit.*)Quod poteſt intelligi particulariter, quantum ad tempus paſsionis Chriſti. Et ſic(*mundus,*)id eſt Scribæ & Phariſæi(*gaudebit,*) de occiſione Chriſti. Threnor. 2. *Hac dies quam expectabamus,* &c. 2. Vel (*mundus,*)id eſt, mali, qui ſunt in Eccleſia,(*gaudebit*)in perſecutione Sanctorum. Apoc. 12. *Inhabitantes ſuper terram gaudebunt.* 3. Vel vniuerſaliter(*mundus,*)id eſt homines carnaliter viuentes (*gaudebit*) in rebus mundanis. Iſaiæ 22. *Ecce gaudiū & lætitia occidere vitulos*, &c.

De II. Subſequitur triſtitia diſcipulorum. vnde dicit: *Vos autem contriſtabimini,*) ſcilicet de paſſionibus, quas in mundo ſuſtinebitis, vel potius de occiſione mea. Sic & ſancti triſtantur de paſsionibus ſibi illatis à mundo, & de peccatis, 2. Cor. 7. *Quæ ſecundum Deum eſt triſtitia.*

De III. Sed triſtitiam conſequetur lætitia, quia [*triſtitia veſtra,*] quam ſcilicet habebitis in paſsione,(*vertetur in gaudium,*)in reſurrectione. Luc. 24. *Gauiſi ſunt diſcipuli, viſo Domino.* 2. Sed vniuerſaliter omnium Sanctorum triſtitia vertetur in gaudium futuræ vitæ. Matt. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur,* &c. Pſalm. 125. *Euntes ibant & fle-*

bant, venientes autem, &c. Flent enim sancti tempore meriti, seminando; sed gaudebunt tempore pręmij, colligendo.

PARS IV.

De similitudine illustratoria dicti.

PRimo ponit similitudinem. *Secundo*, adaptat eā. De I. Similitudinem autem proponit de muliere parturiente. Vnde *primo* proponit eius tristitiam de partu. *Secundo* eius lætitiā de prole. I. (*Mulier cum parit, tristitiam habet*,) sensibilem scilicet maximam, (*quia venit hora eius*,) scilicet, doloris. Psalm. 47. *Ibi dolores vt parturientis.* Per hunc dolorem datur intelligi dolor passionis Christi, qui maximus fuit. Threnor. 1. *O vos omnes qui transitis per viam*, &cæt. Item, Sanctorum pœnitentium de peccatis. Isaiæ vigesimo sexto: *Sicut qua concepit dolens*, &c.

II. *Cum autem peperit puerum*, &c.] Ponitur hic gaudium de euasione. Ad partum enim sequitur duplex gaudium. Vnum de euasione doloris: Aliud est maius de ortu prolis, quod quidem maximum est, si proles sit masculini sexus: Cum masculus sit quid perfectum, fœmina vero quid imperfectum & occasionatum. Hierem. 20. *Maledictus vir, qui annunciauit patri meo, natus est tibi puer masculus.* Genes. 21. quando Sara concepit, dixit: *Risum fecit mihi Dominus*, &c. Et ideo dicit: (*Cum autem peperit, iam non meminit pressuræ*,) gaudens de euasione doloris: sed magis (*propter gaudium, quia natus est homo in*

mo in

o in mundum.) Hæc autem similitudo conuenit uidem 1. quantum ad Christum, quia patiendo oluit mortis pressuras, & nouum hominem regenerans esse fecit, i. reddidit ad vitæ gloriæ nouitatẽ, quæ nondum hominibus nota erat: vnde non dixit: Natus est puer, sed [*natus est homo in mundum.*] Quia ipse Christus existens homo, ex mortuis nouus resurgebat, vt puer. 2. Conuenit Ecclesiæ militanti, quæ in nouitate vitæ ambulat. 3. Item Ecclesiæ triumphanti, quæ ambulat in nouitate gloriæ. Et non dicit, non erit pressura: Sed *quoniam non meminit pressuræ,* quia etsi Sancti recordentur miseriarum, quas passi sunt, cum in illa beatitudine gloriæ erunt, non tamen aliquid miseriarum ex hoc in affectu experientur.

De II. *Vos igitur nunc quidem tristitiam habetis.*) Adaptat hic similitudinem. Et *primo* quantum ad præsentem tristitiam, quam Apostoli tunc habebant, dicens: [*Et vos igitur quidem nunc,*] id est ex tẽpore passionis (*tristitiam habetis,*) de morte mea. Luc. vltim. *Qui sunt hi sermones,* &c. *& estis tristes?* Vel (*nunc,*) id est, in tota vita præsenti tristitiam habetis. *Plorabitis & flebitis vos.* Secundo quantum ad futuram lætitiam, dicens. *Iterum autem videbo,* &c. Vbi primo præmittit eis futuram visionem. Quod idem est, ac si diceret, videbitis me, quia non possumus eum videre, nisi seipsum ostendat. Sed non dicit, videbitis me, sed *videbo vos;* quia hoc ipsum, quod seipsum ostẽdit, est ex misericordia sua, quæ signatur per eius visionem. Dicit ergo: *Iterum autẽ*

videbo vos in resurrectione, & in futura gloria. Isaiæ 33. *Regem in decoro suo videbunt.*

Secundo promittit cordis gaudium & exultationem, dicens: [*Et gaudebit cor vestrum,*] scilicet ex mea visione in resurrectione. Vnde cantat Ecclesia: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus,* &c. Et gaudebit visione gloriæ. Psal. 15. *Replebis me lætitia cum vultu tuo.* Isai. 60. *Tunc videbis, & afflues,* &c. Naturale enim est vnicuique quod gaudeat in intuitu rei amatæ. Diuinam autem essentiam nullus, nisi eam diligens, videre potest. Iob 17. *Annunciat de ea amico suo,* &c. Et ideo necesse est, quod illam visionem sequatur gaudium, Isa. vlt. *Videbitis* cognoscendo per intellectum: *& gaudebit cor vestrum,* imo ipsum gaudium vsque ad corpus redundabit, dũ glorificabitur. Vnde subdit: *Et ossa vestra germinabũt.* Matt. 21. *Intra in gaudium Domini tui.*

Tertio, promittit eis perpetuam gaudij durationem dicens: (*Et gaudium vestrum,*) quod habebitis in resurrectione de me. Isa. 61. *Gaudens gaudebo in Domino,* [*nemo tollet à vobis.*] Sicut Iudæi ante abstulerunt per passionem, quia *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur,* &c. Vel *gaudium vestrum,* de gloriæ fruitione *nemo tollet à vobis,* cum sit inamissibile & perpetuum. Isai. 36. *Lætitia sempiterna super capita eorum.* Nemo enim sibimetipsi hoc gaudium tollet per peccatum, cum vniuscuiusque voluntas sit ibi in bono confirmata. Nemo etiam alteri hoc gaudium tollet, cum ibi nulla sit violentia, nulla illatio nocumenti.

DOMI.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Vado ad eum qui misit me. Ioan. 17.

SCOPVS. Explicat Dominus rationes consolatorias contra tribulationes discipulis superuẽturas; hic explicat rationes consolatorias de recessu suo. Consolatus est autem eos Dominus de recessu suo triplici ratione. *Primo*, ratione accessus eorum ad Patrem, quem promittebat, dicens: *Non turbetur cor vestrum: in domo Patris mei*, &c. *Secundo*, ratione paracliti, quem missurus erat, dicens; *Et ego rogabo Patrem*, &c. *Tertio*, ratione iteratæ suæ visionis, quam asserebat. *Non relinquam vos orphanos. Veniam ad vos.* Has autem tres rationes hic explicat.

PARTITIO.

I. *Recessus Domini denunciatio & effectus.*
II. *De discessus necessitate & vtilitate.*

PARS I.

De Dominici recessus denunciatione & effectu.

PRimo prænunciat suum recessum. *Secundo*, ostendit huius prænunciationis effectum.

De I. Recedit ergo ad Patrem vadens: Et ideo dicit, *vobiscum eram vsque modo*: [*Sed nunc vado ad eũ,*

qui misit me,] id est, Patrem. Quod quidem perfectionis est. Tunc enim vnaquæque res perficitur, cum ad suum principium redit. Tob. 12. *Tempus est vt reuertar,* &c. Eccl. 5. *Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur.* Ibat secundum humanitatem ad eum, apud quem ab æterno erat secũdum diuinitatem. Sed addit: (*Nemo ex vobis interrogat me, quo vadis?*) Sed quid est hoc, quod dicit: Nonne Petrus interrogauit Ioannis 13. *Domine quo vadis?* Et Thomas Ioan. 14. *Nescimus, quo vadis.* Respondet Chrysostomus & Augustinus, sed aliter, & aliter. 1. Chrysostomus enim dicit, quod discipuli audientes, se debere interfici, & absque Synagogis fieri; ita tristati & attoniti facti sunt; vt quasi obliti de recessu Christi, & locutionem amittentes, eũ de suo recessu non interrogarent. Vnde subdit: (*Sed hæc locutus sum vobis,* &c.) Et sic Dominus dicens (*& nunc vado,* &c.) potius increpat secundum Chrysostomum. Et hoc non interrogabant. Deut. 33. *Interroga patrem tuum,* &c. Eccles. 6. *Inuestiga illam.* 2. Augustinus autem vult, hoc (*Nunc vado,* &c.) non esse pro illo instanti, quo loquebatur, sed pro tempore, quo ascensurus erat in cœlum, quasi diceret: interrogastis me, quo irem: Sed nunc ita vado, vt non sit necesse, vt aliquis vestrum interroget me, quo vadis? Quia vt dicitur Act. 1. *Videntibus illis eleuatus est.*

De II. *Sed quia hæc locutus sum vobis,* &c.) Ponitur hic tristitia, quæ est effectus prænunciationis, secundum Chrysostomum. Sed secundum Augustinum tristantur de recessu. Gaudebant enim de

præ-

præſentia Chriſti quodammodo carnali affectu, ad humanam eius ſpeciem. Sicut homo delectatur de præſentia amici. Et ideo de receſſu eius triſtabantur, Pſalm. 29. *Ad veſperam*, ſcilicet paſsionis, *demorabitur fletus* in Apoſtolis; *& ad matutinum* reſurrectionis *lætitia*. Sed quia humanum eſt, quod triſtitia cor tangat; vitioſum autem quod cor impleat: (quia per hoc ratio turbatur,) ideo quaſi arguens dicit: (*triſtitia impleuit cor veſtrum.*) Eccl. 30. *Non des triſtitiam animæ tuæ.* Ioan. 14. *Non turbetur cor veſtrum.*

PARS II.

De receſſus ſui neceſſitate & vtilitate.

Dvo facit. *Primo* oſtendit receſſus ſui neceſſitatem. *Secundo* vtilitatem.

De I. Dicit, (*triſtitia impleuit cor veſtrum,*) ſcilicet de receſſu meo: ſed eſt magis vobis gaudendum, quia (*expedit vobis, vt ego vadam,*) id eſt, valde vobis eſt neceſſarium. Quia (*ſi non abiero, paraclitus non veniet ad vos.*) Item eſt vobis fructuoſum & vtile. Quia (*ſi abiero, mittam eum ad vos.*) ſcilicet Spiritum Sanctum.

Sed nunquid non potuiſſet Chriſtus dare Spiritum, viuens in carne? *Dicendum*, quod ſic: Quia etiam ſuper eum baptizatum Spiritus in ſpecie columbæ deſcendit, & nunquam ab eo receſsit; quē ab inſtanti ſuæ conceptionis recepit, non ad menſuram. Sed noluit eum dare diſcipulis, exiſtens cū eis, quadruplici ratione. *Primo*, propter eorum indiſpo-

indiſpoſitionem. Nam Spiritui Sancto, cum ſit amor ſpiritualis, contrariatur amor carnalis. Diſcipuli autem quodam carnali amore afficiebantur ad Chriſti Humanitatem; nec dum eleuati erant ſpirituali amore ad eius Diuinitatem: Et ideo nōdum capaces erant Spiritus Sancti. 1. Cor. 15. *Ex hoc iam neminem ſecundum carnem noſcimus*, id eſt, ſecundum carnis affectum; *& ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum*, ſcilicet ante paſsionem; *ſed nunc iam non nouimus.* *Secundo*, propter diuini auxilij conditionem, quod maxime adeſt in neceſsitatibus. Pſal. *Adiutor in tribulationibus.* Et iterum: *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me.* Quamdiu autem Chriſtus erat cum eis, ſufficiens adiutorium erat cum eis; ſed eo recedente, multis tribulationibus exponebatur; & ideo datus eſt eis ſtatim alius Conſolator, & adiutor. Vnde ſignanter dicit: *Et alium paraclitū dabit vobis.* Iſa. 39. *Quem docebit ſcientiam, ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.*

Tertio ex dignitatis Chriſti conſideratione. Nam vt Auguſtinus dicit cap. 9. de Trinitate: Chriſtus inquantum homo, non habet quod det Spiritum Sanctum, ſed inquantum Deus. Quando autem cum diſcipulis erat, videbatur eſſe quaſi homo vnus ex eis. Ne ergo videretur homo dare Spiritū Sanctum, Ipſum ante aſcenſionem ſuam non dedit Ioann. 9. *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat clarificatus*, &c. Sap. 9. *Emitte illam à ſede magnitudinis tua.* *Quarto*, propter vnitatem Eccleſiæ conſeruandam: Nam vt Ioan. 4. habetur, *Ioannes ſignū fecit*

fecit nullum: ideo ne populus diuideretur à Christo, & vt euidentior appareret Christi eminentia ad Ioannem. Discipuli autem ipso Spiritu replendi erant, vt etiam opera maiora facerent, quam Christus fecit, Ioan. 14. *Et maiora horum faciet.* Quare si ante passionem fuisset eis datus, potuisset verti in dubium apud populum, quis esset Christus, & sic fuisset in eo diuisio. Psalm. 67. *Ascendens in altum, dedit dona hominibus*, &c.

Sed secundum Chrys. potest hic sumi argumẽtum contra Macedonianos dicentes: Spiritũ Sanctum esse creaturam, & ministrum Patris & filij. Si enim sic esset, non esset sufficiens consolatio de recessu Christi aduentus Spiritus Sancti. Sicut non esset sufficiens consolatio de recessu Regis, si daretur vnus de ministris suis loco Regis. Quia ergo Spiritus Sanctus æqualis est Filio, ideo Dominus eos per promissionem Spiritus Sancti consolatur. Sed si æquales sunt Filius & Spiritus Sanctus; quare expedit, & vt Filius recedat quo veniat Spiritus Sanctus? Ideo scilicet, quia recedebat corporaliter ac simul cum Spiritu Sancto veniebat inuisibiliter. Si enim Filius habitasset inuisibiliter, & diceret, expedit, vt recedam, quia veniet Spiritus Sanctus, vtiq; maior eo Spiritus Sanctus reputaretur, &c.

II. CON-

II. CONCIONIS DISPOSIT.

Arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Ioan. 16.

SCOPVS. Supra consolatus est Dominus Apostolos per promissionem Spiritus Sancti. Hic ostendit vtilitatem, quam Spiritus sanctus aduenies affert eis. Et ponit triplicem vtilitatem. *Vnam* ex parte mundi. *Aliam* ex parte discipulorum. Et *tertiam* ex parte Christi. Ex parte quidem mundi, quia Spiritus Sanctus adueniens mundum arguet. Et ex parte discipulorum, quia eos instruet. Ex parte Christi, quia ipsum clarificabit.

PARTITIO.

I. *De vtilitate aduentus Spiritus Sancti, quoad mundum.*

II. *Dicta vtilitas exponitur.*

III. *Quoad Discipulos qua vtilitas S. Spiritus?*

PARS I.

De vtilitate aduentus Spiritus Sancti, quoad mundum.

DIcit ergo, *Expedit vobis, vt ego vadam, quia mittam Spiritum Sanctum ad vos.* (*Et cum venerit, ille arguet*, &c.) Quod dupliciter legitur. *Vno modo*, secundum Augu. (*Cum venerit,*) scilicet Spiritus sanctus. (*Ille arguet,*) id est, reprehendet, (*mundum*) Prouerb. 9. *Argue sapientem, & diliget te.* Sed nunquid non

non etiam Christus arguit mundum? Arguit quidem, Ioan. 8. *Ex patre diabolo estis.* & Matt. 23. Multa contra Pharisæos & Scribas dicit. Quare ergo dicit, (*Ille arguet?*) quasi ipse non arguerit.

Dicet aliquis, quod Christus solos Iudæos arguit, Spiritus autem Sanctus in discipulis, & per discipulos arguit totum mundum. Sed huic contrariatur, quod Christus loquitur in Apostolis, & per Apostolos sicut Spiritus Sanctus. 2. Cor. vltim. *Experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Et ideo dicendum, quod dixit: (*Ille arguet mũdum*) qui inuisibiliter penetrans corda vestra diffundet in eis charitatem, qua timore depulso arguendi habebitis potestatem. Quamdiu enim discipuli carnaliter ad Christum afficiebantur; Spiritus sanctus non erat in eis, vt dictum est, eo modo, quo postea fuit: Et ideo nõ erant ita audaces, sicut post eius aduentum fuerunt. Psalm. 32. *Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, sc. Apostolorum. 2. Phil. 24. *Spiritus Domini induit Zachariam.*

Ille] etiam (*arguet mundum,*) quia corda quæ ante mundana fuerant, replens fecit, quod ea se reprehenderent. Iob 13. *Arguam vias meas coram illo,* &c. Et hoc facit Spiritus Sanctus. Ps. 50. *Spiritum rectum innoua in visceribus meis.*

Sed de quo arguet? De tribus. 1. (*De peccato,*) quod commiserunt. Isa 58. *Annuncia populo meo scelera eorum,* &c. Et hoc Apostoli fecerunt. Ps. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* 2. (*de iustitia*) quam neglexerunt. Isaiæ 9. *Iustitiam non fecerunt,* &c. Et hoc fecerunt. Rom. 3. *Non est iustus quisquam.* &cæt.

3 (*de*

3. (*de iudicio,*) quod contempſerunt, vt enim dicitur Prouerb. 18. *Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnet*, Ezec. 9. *Contemſit iudicia mea*, &c.

PARS II.

Expoſitio dictæ vtilitatis de aduentu Spiritus Sancti.

PRimo, quod dicit (*de peccato.*) Et hoc (*quia non crediderunt in me.*) Solum de peccato infidelitatis arguit: quia per fidem omnia alia peccata dimittũtur. Matt. 25. Dominus damnatis ſolum defectũ miſericordiæ imputat: quia per miſericordiam omnia peccata purgantur. Prouerb. 15. *Per miſericordiam & fidem purgãtur peccata*, &c. Sic ergo & hic: quia infidelitate manente peccata & cætera detinentur, & eâ diſcedente cætera dimittuntur. Dicit autem, (*quia non crediderunt in me.*) Et non dicit mihi, vel me: Quia *dæmones credunt Chriſtum eſſe, & contremiſcunt*. Iacob. 2. Sed (*in me,*) per fidem formatam ſperando & diligendo.

Secundo (*de iuſtitia.*) Et hoc (*quia ad Patrem vado*, &c.) Quod quidem poteſt dupliciter exponi. Vel de iuſtitia Chriſti: Vel de iuſtitia Apoſtolorum. I. De iuſtitia quidem Apoſtolorum ſic; de iuſtitia noſtra quod non ſunt imitati. Iuſtitia dico non ex lege, ſed ex fide. Rom. 3. *Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti.* Fides autem de inuiſib libus eſt. Hebr. 11. Diſcipuli vero aliquid videbant, ſcilicet eius Humanitatem; & aliquid non videbant, ſcil. eius Diui-

Diuinitatem: Sed hoc promittit eis in præmium, Ioann. 14. *Manifestabo eis meipsum.* Habebant ergo discipuli fidem de Christo, quantum ad Diuinitatem tantum: Sed quando subtracta fuit his Humanitas Christi, tunc eorum fides erat de vtroq;: & ideo secundum Augustinum super Ioan. dicit, *quia vado ad Patrem*, &c. quasi dicat: Vos creditis in me, secundum diuinitatem, & etiam (*quia vado ad Patrem,*) creditis in me etiam quantum ad humanitatem: quam quidem fidei iustitiam mundus non imitatur. Sed dicit, (*& iam non videbitis me.*) Non, quod nunquam sint eum visuri; sed quia nō visuri sunt eum in ista carne mortali. Viderunt eū in resurrectione; sed immortalem existentem: & videbunt eum in iudicio, sed in maiestate venientem.

II. De iustitia quidem Christi exponit de verbis Domini. Iudæi enim noluerunt recognoscere, quod Christus iustus esset. Ioan. 9. *Nos scimus, quia hic homo peccator est.* Arguet eos de hac iustitia dicens: (*quia ad Patrem vado*:) Quia hoc ipsum, quod ad Patrem vado, iustitiæ meæ est. Quod enim Christus descendit, misericordiæ fuit; sed quod ascendit, eius iustitiæ debitum est. Phil. 2. *Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c.

Tertio, (arguit mundum de iudicio.) Et hoc (*quia princeps huius mundi,*) id est, diabolus, qui est princeps mundi, id est, mundanorum, non creatione, sed suggestione & imitatione. Sap. 2. *Imitantur eum, qui sunt*, &c. Iob 41. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* Hic ergo princeps (*iam iudicatus est,*) id est, expul-

ſus foras, Ioann. 12. *Nunc iudicium eſt mundi*, i. pro mundo. Et hoc dicit, vt tollat excuſationem hominum, qui ſe de peccatis excuſant propter tentationem diaboli, q. d. Excuſari non poſſunt, quia expulſus eſt diabolus per gratiam & fidem Chriſti, & Spiritum ſanctum à cordibus fidelium; ita vt iam non tentet interius ſicut ante, ſed ſolum exterius per exercitationem permiſſus: & ideo reſiſtere poſſunt ei, qui volunt adhærere Chriſto. Et inde eſt, quod debiles fœminæ diabolum vicerūt, à quo tamen fortiſsimi viri ſuperati ſunt. De hoc ergo iudicio mundus arguitur, quia à diabolo vincitur reſiſtere nolens, & à ſe expulſum per cōſenſum peccati reducens. Ro. 6. *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.*

2. Vel aliter ſecundum eundem in libr. de Verbis Domini: Vt, quod dicit, [*iam iudicatus eſt,*] intelligatur de iudicio condemnationis, i. iam condemnatus eſt ipſe: & per conſequens, omnes qui adhærent. Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt*, &c.

3. Arguitur etiā mundus de iudicio: quia ſciens mundi huius principem condemnatum eſſe, non euadit etiam ipſe hoc iudicium, ſed cum ſuo principe iudicatur; quoniam ſuperbum atque impium imitatur.

4. Secundum Chryſ. aliter à capite exponitur, (*cum venerit ille, arguet*, &c.) ſcil. Spiritus Sanctus, (*ille arguet*) id eſt, conuincet. 1. (*mundum de peccato,*) quaſi diceret: Ipſe Spiritus Sanctus erit argūmentum quoddam contra mundum. Hebr. 2. *Conte-*

ſtante

stante Deo signis & prodigiis, &c. Et de hoc peccato ostendet eos grauiter peccasse: (*quia non crediderunt in me,*) cum videbunt, quod Spiritus Sanctus in nomine meo dabitur fidelibus. Act. 5. *Nos testes huius rei sumus, quoniam Spiritus Sanctus dedit.* 2. (*De iustitia,*) quam scilicet ego habeo; quam tamen mundus non reputauit me habere. Et hoc, quia *vado ad Patrem, & mittam vobis spiritum*; scilicet qui ostendet me iustum, & irreprehẽsibilem duxisse vitam. Ioan. 14. *Quem ego mittam vobis à,* &c. Quia hoc dicitur in Psal. 67. *Postquam ascendit Christus in altum, dedit dona hominibus,* &c. 3. (*De iudicio, quia princeps* &c.) id est, ex hoc ipso, quod per Spiritum Sanctũ iudicatur, id est, expellitur à cordibus fidelium. Zach. cap. 13. *Spiritum immundum eiiciam.* 1. Cor. 2. *Nos spiritum huius mundi non accepimus, sed spiritum qui ex Deo est.* Et de hoc iudicio arguet, quia ipsi male iudicauerunt, quod dæmonium haberet, & quod in Beelzebub eiiceret dæmonia; de quo conuincentur: quia Spiritus sanctus, quem ego mittam, ipsum dæmonem condemnabit, & eiiciet.

PARS III.

De Vtilitate aduentus Spiritus sancti ex parte discipulorum, quæ est ipsorum instructio.

PRimo de instructionis necessitate. *Secundo* promittit instructionem. *Tertio*, excludit dubitationem.

De I. Dicit: Vtilis erit aduentus Spiritus S. mundo; quia arguet eum. Sed & vobis vtilis erit ad instruen-

ſtruendum, qua quidem inſtructione indigetis; quia (*multa habeo vobis dicere,* &c.) q. d. Ego vos inſtruxi, ſed non adimplemini. Iob 26. *Ecce hæc ex parte dicta ſunt verborum eius,* &c. Quærere autem quæ ſunt iſta multa, quæ portare non poterant, eſt ſtultum, vt dicit Auguſtinus. Nam, ſi ipſi portare non poterant, multo magis & nos non poſſumus.

Ex hoc tamen quod dicit, *non poteſtis portare modo*, diuerſi hæretici aſſumunt ad ſui erroris velamentum, dum his, qui eis adhærent, quædam in occulto dicunt turpiſsima, quæ non auderent dicere in manifeſto: quaſi hęc ipſa ſint, quæ tunc diſcipuli portare non poterant; & ea docuerit Spiritus Sanctus, quæ palam docere atque prædicare ſpiritus hominis erubeſcit. Non eſt ergo intelligendum, quod aliqua ſecreta doctrinæ taceantur fidelibus paruulis, ſeorſum docenda maioribus; ſed omnibus fidelibus proponuntur ea, quæ fidei ſunt. Matth. 10. *Quod in aure audiſtis, prædicate ſuper tecta,* &c. Sed aliter proponenda ſunt rudibus, aliter peritis. Sicut quæ ſubtilia ſunt de myſterio Incarnationis, & aliis huiuſmodi; non ſunt rudibus proponenda, quia cum intelligere non poſſent, ſcandalizarentur. Omnia ergo quæ fidei erant, Dominus propoſuit eis, ſed non eo modo, quo poſtea reuelauit, & præcipue in vita æterna.

Sic ergo quæ portare non poterant, ſunt plena cognitio diuinorum, quam non habebant tunc; puta 1. æqualitatem Filij ad Patrem, & huiuſmodi. Vnde Paulus 2. Corin. 13. *Audiui arcana verba,* &c. quæ non erant de alia veritate, quam fidei,

ſed

ſed altiori modo. 2. Item ſpiritualis intellectus omnium ſcripturarum, quem tunc nõ habebant, ſed quando aperuit eis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas. Luc. vlt. 3. Item paſsiones & pericula, quæ paſſuri erant, quæ tunc non poterant: quia animi eorum imbecilles erant. Eccleſ. 6. *Subiice humerum tuum & porta*, &c. Sic ergo neceſſaria erat eis inſtructio.

De II. *Cum autem venerit*, &c.) Hic promittit eis inſtructionem, quam conſequentur in aduentu Spiritus Sancti; qui *docebit eos omnem veritatem.* Cum enim ſit à veritate, eius eſt docere veritatem, & facere ſimiles ſuo principio. Et dicit, (*omnem veritatem,*) ſcilicet fidei; quam docebit poſt, per quandã eleuatam intelligentiam in vita iſta, & eandem plenarie in vita æterna, Vbi *cognoſcemus, ſicut & cogniti ſumus.* 1. Corinth. 13. & 1. Ioann. 3. *Vnctio docebit vos*, &c. Vel (*omnem veritatem,*) figurarum legis, quam adepti ſunt diſcipuli per Spiritum Sanctum, vnde Dan. dicitur: *Dedit Dominus pueris illis ſapientiam & intelligentiam.*

De III. *Non enim loquetur à ſemetipſo*, &c.) Hic excludit dubitationem, quæ poterat eſſe. Si Spiritus Sanctus docebit eos, videtur eſſe maior Chriſto. Quod non eſt. Quia docebit eos virtute Patris, & Filij: [*quia non loquetur à ſemetipſo,*] ſed à me, quia à me erit. Sicut enim Filius non operatur à ſemetipſo, ſed à Patre; ita Spiritus Sanctus, quia eſt ab alio, ſcilicet à Patre & Filio, [*non loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet,*] accipiendo ſcientiam, ſicut & eſſentiam ab æterno, [*hæc loquetur,*] non cor-

poraliter; ſed intrinſecus in mente illuminando. Oſeæ 3. *Ducam eam ad ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Pſalm. 84. *Audiam quid loquatur in me*, &c.

Sed cum audierit ab æterno, quid eſt hoc, quod dicit: (*audiet*) in futuro? *Dicendum*, quod æternitas includit omne tempus: & ideo poteſt Spiritus ſanctus, qui ab æterno audit, dici audire in præſenti, in præterito, & futuro. Sed tamen aliquando dicitur audire in futuro propter hoc, quia illa quorũ notitiam habet, ſunt futura.

Loquetur ergo, *quæcunque audiet*, quia non ſolum docebit æterna, ſed futura; & ideo ſubdit: (*Et quæ ventura ſunt, annunciabit vobis*,) quod eſt proprium Diuinitatis. Sap. 8. *Signa & monſtra*, &c. Iſa. 41. *Quæ ventura ſunt, annunciate nobis*, &cæt. Hoc enim eſt proprium Spiritus Sancti. Ioann. 2. *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem*, &c. Apoſtoli autem habuerunt ſpiritum prophetiæ. Vel (*docebo omnem veritatem*,) ſcilicet figurarum. Sed ne dubitarent, quomodo ſcirent de futuris tribulationibus, quas eis prænunciauerat, ideo ſubdit: (*Et quæ ventura ſunt*,) ſcilicet ſuper vos, (*annunciabit vobis*, &c.)

III. CON-

III. CONCIONIS DISPOSITIO.

Ille me clarificabit. Ioan. 16.

SCOPVS. Supra positus est duplex fructus aduentus Spiritus Sancti, scilicet mundi arguitio, & discipulorum instructio. Hic ponitur tertius fructus, sc. Christi clarificatio.

PARTITIO.

I. *De manifestata clarificatione Christi:*
II. *De ratione manifestationis.*
III. *Conclusio de æqualitate communicationis in Diuinis.*

PARS I.

De clarificatione Christi manifestata.

DVo hic: Primo de fructu clarificationis. Secundo, de ratione manifestationis.

De I. Docebit omnem veritatem: quia (*Ille me clarificabit.*) In quo est omnis veritas. Ioann. 14. *Ego sum via, veritas & vita.* Coloss. 2. *In quo*, scil. Christo, *sunt omnes thesauri sapientiæ*, &c. *Clarificabit me*, id est, meam notitiam claram faciet. *Primo* quidẽ discipulos illuminando, quia adhuc carnales erant, & ad Christum afficiebantur secundum carnem, id est, secundum infirmitatem carnis, non cognoscẽtes diuinitatis eius maiestatẽ, cuius postmodũ per Spiritũ S. sunt capaces effecti, 1. Cor. 2. *Nobis aũt reuelauit Deus per Spiritũ suũ.* 2. Præbẽdo fidu-

ciam clare annunciandi. Nam discipuli ante timidi erant, ita vt non auderent Christum publice cōfiteri; sed Spiritu Sancto repleti, timore depulso, annunciauerunt hominibus Christum, ab ipso Spiritu quodammodo impulsi, Isaiæ 59. *Cum venerit quasi fluuius violentus*, &c. Vnde & Apostolus dicebat: *Charitas Christi vrget nos. Tertio*, opera mirifica in Apostolis, & per Apostolos faciendo 1. Corin. 12. *Hæc omnia operatur vnus atque idem spiritus.*

De II. *Quia de meo accipiet, &*, &c.] Hic ponitur ratio clarificationis, quæ est; Quia Filius est principium Spiritus Sancti. Omne enim, quod est ab alio, manifestat id, à quo est. Filius enim manifestat Patrem, quia est ab ipso. Quia ergo Spiritus Sanctus est à Filio, proprium est, vt clarificet eum, Dicit ergo: Ideo me clarificabit, (*quia de meo accipiet.*) *Accipere* autem hoc, non est intelligendum eo modo, quo in creaturis. Tria enim sunt in acceptione creaturarum, quorum duo non sunt in diuinis; scilicet quia in creaturis aliud est, quod accipit, & aliud quod accipitur; quod non est in diuinis. Cum personæ diuinæ simplices sint, nec in eis sit aliud & aliud. Imo à quocunque accipit Spiritus Sanctus, accepit totam substantiam suam.

Similiter & Filius. Aliud est, quod in creaturis accipiens aliquando fuit non habens id, quod accipit. Sicut si materia accipiat formam, vel subiectum accidens. Aliquando enim materia fuit sine tali forma; & subiectum sine tali accidente. Et hoc quidem non est in Diuinis: quia Filius ab æterno est habens, quod accipit à Patre, & Spiritus Sanctꝰ, quod

quod à Patre & Filio accipit. Ergo Spiritus Sanct⁹ à Filio, ſicut Filius accipit à Patre. Ioann. 10. *Pater quod dedit mihi maius*, &c. Sic ergo *accipere* in Diuinis dicit ordinem originis.

Sed nota, quod cum dicit (*de meo accipiet*) hoc (*de*) non importat participationem, ſed conſubſtantialitatẽ. Quia totũ accipit, quod Filius habet. Sicut enim Filius dicitur de ſubſtantia Patris; quia accipit totam ſubſtantiam Patris: ita & Spiritus Sanctus de ſubſtantia Filij; quia accipit totam ſubſtantiam eius. Quia ergo de meo accipiet, & ego ſum verbum Dei: ideo (*annunciabit vobis.*) Spiritus enim animalis nullo modo poteſt eſſe, niſi ſecundum quod procedit à verbo interius concepto.

PARS II.

De ratione manifeſtationis.

CHriſtus probat, quod Spiritus Sanctus accipiebat de ſuo propter vnitatem, & conſubſtantialitatem Patris & Filij. Vbi *primo* ponit conſubſtantialitatem Patris & Filij. *Secundo*, infert concluſionem intentam, &c.

Dicit ergo I. *De meo accipiet*, quia (*omnia quæ habet Pater, mea ſunt,*) q. d. Licet à Patre procedat Spiritus veritatis, tamen quia (*omnia quæ habet Pater, mea ſunt,*) & ipſe Patris Spiritus meus eſt, & de meo accipiet. Sed notandum, quod habere dicimur aliquid dupliciter. Vno modo ſicut poſſeſſionem. Alio modo ſicut quod in nobis eſt; puta, vel ſicut forma, vel ſicut pars. Pater ergo habet ſicut

possessionem & rem sibi subiectam totam creaturam. Psalm. 23. *Domini est terra & plenitudo eius.* Habet etiam aliquid, quod in ipso est, imo, quod est ipse: quia ipse est, quicquid in ipso Christo est, cum ipse sit sua essentia, sua bonitas, sua veritas, & æternitas. De hoc ergo modo habendi loquitur. Et sic quicquid habet Pater, est Filij; quia eandem sapientiam, eandem essentiam, eandem bonitatẽ habet Filius quam habet & Pater, Ioann. 6. *Sicut Pater habet vitam in semetipso,* &c. Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo,* &c.

Sed sicut Didimus dicit, obiiciunt aliqui: Si omnia quæcunq; habet Pater, & Filius habet: ergo cũ Pater habeat paternitatem, sequitur quod & Filius. Ad quod respondet. Quod hæc quidem ratio haberet apparentiam, si Dominus diceret: Omnia quæ habet Deus, mea sunt. Sed dicens, omnia quæ habet Pater, saluat distinctionem Patris & Filij; dans intelligere, quod omnia quæcunq; habet Pater, sua sunt, præter id, in quo distinguitur Pater à Filio. Nam Patris nomine se Filium declarauit, paternitatem qui Filius erat, non sibi vsurpauit.

Sed notandum, quod simpliciter concedimus hanc, sc. *Quicquid habet Pater, habet Filius.* Non tamẽ quod eo ordine habet Filius, quo Pater habet. Nã Filius habet sicut ab alio accipiens: Pater vero, sicut alij dans. Non ergo est distinctio in eo, quod habetur, sed in ordine habendi. Huiusmodi autem relationes, sc. paternitas & filiatio huius ordinis distinctionem important. Paternitas enim importat

portat hoc, quod eſt dare alij: Filiatio vero accipitur ab alio.

Sed quæritur: Vtrum relatio in Diuinis ſit aliquid realiter. Videtur quod ſic: Aliàs cum perſonæ diuinæ relationibus diſtinguantur, eorum diſtinctio non eſſet realis. Dicendum ergo, quod relatio in Diuinis dupliciter conſideratur. *Vno* modo per comparationem ad eſſentiam, ſeu perſonā Patris; & ſic relatio Patris non eſt alia res, quam eſſentia ſeu perſona Patris. *Alio* modo poteſt conſiderari per comparationem ad oppoſitam relationem, puta ad filiationem: & ſic paternitas eſt relatio realis, quia ſecundum hoc importat ordinem naturæ, quem Pater dat Filio per æternam generationem. Qui quidem ordo eſt in Deo ſecundum rei veritatem. Sic ergo ſi paternitas compararetur ad eſſentiam Patris, omnia quæcunque habet Pater, habet Filius: quia paternitas non eſt alia res ab eſſentia Patris, ſed non eo ordine habet, vt dictum eſt.

PARS III.

Concluſio. De æqualitate communicationis in Diuinis.

P*Ropterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis:)* Hic infert intentam concluſionem, quod Spiritus Sanctus accipiat à Filio. Ex neceſsitate enim oportet, vt, ſi omnia, quæ habet Pater, ſint Filij, & Filius ſit conſubſtantialis Patri, & Spiritus Sanctus procedat à Filio, ſicut

procedit

procedit à Patre; vt Hilarius & Didimus arguunt. Ad quod ſciendum eſt, quod in qualibet proceſſione ſeu origine rei creatæ dicimus, quod idem ſit, quo agens agit, ſeu dat, quod habet. & quod recipiens recipit. Sicut ignis generatus recipit formam ignis, quam ignis generans dat per formam ſuam. Sed hoc in origine diuinarum perſonarum eſt quodammodo ſimile, ſcilicet, quod idem eſt, quo Pater dat naturam ſuam Filio, non voluntate ſed natura, i. per naturã ſuam: Sed in hoc eſt diſſimile, quia in creaturis non eſt idem numero, quod communicatur, & quo communicatur, ſed ſpecie ſolum; ſed in Diuinis eſt eadem natura numero, quam Pater dat Filio, & quâ eam dat ſeu cõmunicat. Sed attende, quod dicimus: Filius accipit de ſubſtantia Patris, id eſt, ſubſtantiam Patris, & Spiritus Sanctus de ſubſtantia Patris & Filij. Et Pater virtute naturæ ſuæ dat Filio ſubſtantiam ſuam; & Pater & Filius Spiritui Sancto. Sed tamen non dicimus, quod Pater de ſubſtantia ſit Filij, vel Pater & Filius de ſubſtantia Spiritus Sancti. Quia hoc (*de*) importat cõnſubſtantialitatem cum ordine originis. Sic ergo Spiritui Sancto communicatur, quod commune eſt Patri & Filio. Oportet autem vt illud idem ſit principium communicationis in Diuinis, & quod communicatur. Si ergo eſſentia communicatur Spiritui Sancto, oportet, vt communicans ſit eſſentia: Eſſentia autem eſt communis Patri & Filio, oportet, vt ſi Pater det eſſentiam Spiritui Sancto, & quod Filius ſimiliter det. Et ideò dicit: *quia omnia, quæcunque habet Pater, mea ſunt,* & *Spi-*

& *Spiritus Sanctus accepit à Patre*, accipiet etiam à Filio, & ideo dicit: (*Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet*, & *annunciabit vobis*:) quia secundum quod à me accipit, ita annunciabit vobis.

DOMINICA V. POST PASCHA.

In illo die me non interrogabitis quicquam. Ioannis 16.

SCOPVS. Ante prosecutus erat Dominus rationes duas confortantes Apostolos, scilicet ex promissione paracleti, & Reditu suo. Hic prosequitur tertiam: qua confortauit eos ex promissione Accessus eorum ad Patrem.

PARTITIO.

I. *De sublata necessitate interpellandi.*
II. *De promissa opportunitate impetrandi.*
III. *Cohortatio ad vsum data petendi fiducia.*

PARS I.

De sublata necessitate impetrandi.

IN *illo die non interrogabitis me quicquam.*] Vbi, vt Augustinus dicit, nos habemus (*rogabitis*,) Græci habent quoddam verbum, quod duo significat, scilicet, *petere* & *interrogare*; & ideo potest dupliciter intelligi. (*In illo die non me rogabitis quicquam*,) id est, ni-

est, nihil à me petetis, vel, nihil me interrogabitis. Dicit ergo (*In illo die:*) Quis autem sit iste dies, patet ex supra dictis, scilicet: *Iterum autem videbo vos.* Quod potest intelligi de Resurrectione; & de Visione in gloria. De primo exponitur secundum Chrys. (*In illo die,*) quando à mortuis resurrexero, (*me non interrogabitis quicquam,*) non dicetis, *ostende nobis Patrem*, & huiusmodi.

Sed contra hanc expositionem obiicit August. Quia discipuli post resurrectionem dicunt. Act. 1. *Si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Et Ioann. vlt. Interrogat Petrus dicens: *Hic autem quid?* Sed retinendo expositionem Chrysostomi, dicendum, quod Dominus illum diem vocat non solū diem resurrectionis, sed etiam diem illum quo à Spiritu Sancto docendi erant. Nam ita supra: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis*, &c. Sicque confuse loquens de tempore illo, includit etiam aduentum Spiritus Sancti; quasi dicat: *In illo die*, dato Spiritu Sancto, *me non interrogabitis*, quoniam scietis omnia per Spiritum Sanctum. 1. Ioan. 3. *Vnctio docet nos de omnibus.*

Item secundum eundem. *In illo die*, aduentus Spiritus Sancti, *non me interrogabitis quicquam*, id est, nulla erit vobis necessitas me rogandi. Sed nunquid post resurrectionem Apostoli non fecerunt aliquam orationem Christo? Videtur quod sic, 2. Corinthiorum 12. *Propter quod ter Dominum rogaui*, Christum.

Dicendum, quod in Christo erat duplex natura; Humana per quam est Mediator Dei & hominum.

num. 1. Timoth. 2. Diuina, per quam eſt Deus vnus cum Patre. Chriſtus quà homo, non erat talis Mediator, vt nunquam nos Deo coniungeret; ſicut aliqui mediatores, qui nunquam extrema coniungunt. Coniungit ergo nos Patri. Eadem autem eſt coniunctio ad Deum Patrem, & ad Chriſtum ſecundum naturam. Vnde dicit: *Non neceſſe habebitis*, vt vtamini mea meditatione inquantum homo. Sic ergo: *In illo die non rogabitis me*, quaſi Mediatorem, quia per vos habebitis acceſſum ad Deum: ſed rogabitis me vt Deum. Et licet Chriſtus interpellet pro nobis, vt dicit Apoſtolus Roman. 8. Eccleſia tamen non rogat eum interpellantem. Vnde non dicimus, Chriſte ora pro nobis; ſed rogat ipſum vt Deum, inhærens ei vt Deo, per amorem & fidem.

2. Secundum Auguſtinum exponitur de die viſionis gloriæ, hoc modo. (*In illo die*) quando videbo vos in gloria (*me non rogabitis*,) i. niſi petetis, quia nil deſiderandum remanebit, cum omnia bona ſuperabundent nobis in patria. Pſalm. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Et iterum Pſal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Item (*nil interrogabitis:*) quia pleni eritis cognitione Dei. Pſalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen* Sed contra vtrumque obiicitur. Sancti in patria orant, ſecundum illud Iob 6. *Voca, ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Et 2. Machab. vltim. *Hic orabat pro populo ſuo.* Nec poteſt dici, quod pro aliis rogent, non pro ſe; quia Apoc. 7. *Vſquequo non iudicas ſanguinem noſtrum?*

Item

Item Sancti interrogant. Erunt enim æquales angelis, vt dicitur Matt. 22. Sed Angeli interrogant, dicentes: *Quis est iste Rex gloriæ?* Et in Isa. 63. *Quis est iste qui venit de Edom?* Secundum Dionysium ergo & Sancti interrogāt. Sed quantum ad vtrumque, est *duplex responsio. Prima:* Quia tempus gloriæ potest considerari dupliciter, secundum gloriæ inchoationem; & plenariam consummationem. 1. Tempus inchoationis gloriæ est vsque ad diem iudicij. Nam Sancti, quantum ad animam receperunt gloriam, sed aliquid adhuc expectant ad recipiendum, scilicet gloriam corporis in se; & quātum ad alios, vt impleatur numerus electorum. Et sic vsque ad iudicij diem & petere possunt & interrogare. Non tamen de his, quæ pertinent ad essentiam beatitudinis. 2. Tempus autem gloriæ consummatæ, plenarie est post diem iudicij, postquam nihil restat petendum, nisi cognoscendum, & de eo dicit: (*In illo die,*) scilicet gloriæ consummatæ nil petetis. (*nil interrogabitis.*) Quod autem dicitur de Angelis, quod interrogant, verum est de mysterlis humanitatis & Incarnationis Christi, non autem Diuinitatis.

PARS II.

De impetrandi opportunitate promissa.

QVod quidem continuatur dupliciter. *Vno modo* secundum Chrysostomum, vt referatur ad tempus resurrectionis, & aduentū Spiritus sancti: quasi dicat: Verū est, quod in illo die resurrectionis &

nis & Spiritus Sancti non interrogabitis me; tamen habebitis meum auxilium; quia petetis (*in nomine meo*) à Patre, ad quem habebitis accessum per me. *Alio modo* secundum Augustinum: *In illo die* gloriæ meæ, *non rogabitis quicquam*: Sed interim dum in peregrinatione huius miseriæ conuersamini. (*Si quid petieritis Patrem dabit vobis.*) Et secundum hoc istud non refertur ad hoc, quod dicit *in illo die:* sed ad ea quæ præcedunt illum diem.

Ponit autem Dominus septem conditiones bonæ orationis. *Prima* est, vt petantur bona spiritualia. (*Si quid.*) Quod enim est penitus terrenum, etsi in se sit aliquid, comparatum tamen ad spiritualia, nihil est. Sapient. 7. *Diuitias nihil esse dixi in comparatione*, &c. Hierem. 4. *Aspexi terram, & vacua erat*, &c. Sed contra Matt. 6. Docet Dominus petere temporalia: *Panem nostrum quotidianum.* Dicendum, quod temporale petitum relatum ad spirituale iam est aliquid. *Secunda conditio.* Vt fiat cum perseuerantia. (*petieritis*,) quasi perseuerando. Lucæ 18. *Oportet semper orare & non deficere.* Et 1. Thess. 5. *Sine intermissione orate.*

Tertia, vt fiat cum concordia; cum dicit, (*petieritis*) in plurali. Matth. 18. *Si duo ex vobis consenserint*, &c. Vnde Gloss. Rom. vlt. *Impossibile est multorum preces non exaudiri. Quarta*: Vt procedat ex filiali affectu, cum dicit: (*Patrem.*) Qui enim ex timore petit; non patrem, sed Dominum petit, vel hostem. Matth. 7. *Si vos nostis bona data dare*, &c. *Quinta*: Vt fiat cum pietate, id est, cum humilitate. Psal. 101. *Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum*,

rum; cum fide impetrandi. Iacob. 1. *Postulet autem in fide*, &c. & ordinate. Iaco. 4. *Petitis & non accipitis*, &cæt. Et quantum ad hoc dicit: (*In nomine meo.*) Quod est nomen Saluatoris, in quo Nomine petit, qui pertinentia ad salutem petit; & eo modo, quo potest salutem consequi. Act. 4. *Non est aliud Nomen sub cœlo datum hominibus*, &c.

Sexta, Vt fiat tempore debito: & ideo dicit, (*dabit.*) Non enim oportet statim decidere, si non accipiat: sed profecto dabitur, etsi vt in tempore congruo detur, differatur, vt magis crescat desideriũ. Psal. 144. *Tu das escam illorum in tempore*, &c. *Septima*: Vt petat pro se: vnde dicit, (*vobis*,) quia aliquando pro aliis non exauditur, contrariantibus eorũ demeritis, pro quibus fit petitio. Hiere. 7. *Tu ergo noli orare pro populo isto*. Et 15. *Si steterint Moyses & Samuel*, &c.

PARS III.

Hortatio ad vsum datæ fiduciæ.

PRimo commemorat defectum præteritum. *Secundo* hortatur ad profectum futurum.

De I. Defectus præteritus est in non petendo. Vnde dicit: (*Vsque modo*, &c.) Sed contra Matth. 10. & Lucæ 9. Dedit eis potestatem supra omnia dæmonia, &c. hæc autem orando faciebant. Ergo aliquid petierunt in nomine Christi, & præcipue, quia Lucæ 10. dicitur à discipulis: *Domine in nomine tuo etiam dæmonia subiiciuntur nobis*. Dicendum;

dum: quod hoc poteſt dupliciter exponi. *Vno modo* ſic: *(Vſque modo non petiſtis quicquam,* &cæt.*)* quod eſſet aliquid magnum, *(In nomine meo.)* Nam petitiones curationum corporalium modicæ ſunt in comparatione ad alia magna, quæ orando facturi erant, necdum ſpiritum adoptionis acceperant, quoad ſpiritualia & cœleſtia anhelarent. Si dicis: petierunt aliquid magnum, Ioan. 14. *Domine oſtende nobis Patrem,* &c. Dico, quod hoc non petebant à Patre, de quo hic agit, ſed ſolum de Chriſto homine confiſi eum interpellabant, vt Mediatorem Patrem oſtenderet. Alio modo, quia dicit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo*, in quo ante non petierant non habentes perfectam cognitionem nominis Chriſti.

Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.] Hortatur eos ad profectum futurum, vt ſcilicet petant. Matth. 7. *Petite & dabitur vobis,* &c. (*Petite*) inquam *(& accipietis,)* ſcilicet quod petitis, *(vt impleatur gaudium veſtrum,)* Lucæ 10. *Reuerſi ſunt diſcipuli cum gaudio dicentes,* &cæt. Et hoc modo quod dicit *(gaudium veſtrum,* &cæt.*)* ponitur vt finis exauditionis. Vel poteſt poni ſicut res petita, vt ſit ſenſus: *(petite, & accipietis,)* hoc inquam, petatis, *(vt gaudium veſtrum,* &c.*)* Vbi ſciendum, quod obiectum gaudij eſt bonum concupitum. Cum enim *deſiderium ſit motus appetitus in bonum,* &, *gaudium quies eius in eo*: tunc gaudet homo, quando quieſcit in bono iam habito, ad quod deſiderium mouebatur. Sed gaudium proportionatur bono habito, & de bono creato non poteſt haberi gau-

 dium

dium plenum; quia non quietat plene desiderium & appetitum hominis. Tunc ergo gaudium nostrum erit plenum, quando habebimus bonum illud, in quo superabundanter sunt omnia bona, quæ desiderare possumus. Et hoc bonum est solũ Deus, qui *replet in bonis desiderium nostrum*, vt dicitur in Psalm. 102. Ideo dicit: (*Petite*) illud, (*vt gaudium vestrum sit plenum.*) scilicet frui Deo, & Trinitate, vt Augustinus dicit: quo amplius nil est. Psal. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Et quare? *quia venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, id est, cum contemplatione diuinæ sapientiæ. Prou. 8.

II. CONCIONIS DISPOSITIO.

Hæc in prouerbiis locutus sum vobis.
Ioannis 16.

SCOPVS. Promisit Dominus discipulis familiaritatem & accessum ad Patrem: Hic rationem huius familiaritatis assignat. Duo autem sunt, quæ dant homini fiduciam petendi ab aliquo, & familiaritatem; scilicet Notitia, & Dilectio. Et ideo Dominus hanc duplicem rationem assignat. Prima sumitur ex manifesta Patris cognitione. Secunda ex speciali eius dilectione.

PARTITIO.

I. *De discipulorum cognitione Patris cœlestis, quæ est causa 1. fiduciæ in petendo.*

II. *De dilectione Patris ad eos, quæ secunda causa est.*

III. De

III. De familiaritate Christi cum Patre, quæ est item causa fidenter petendi.

IV. De discipulorum affectione in Patrem.

PARS I.

De prima causa fiducialiter petendi.

PRimo. Commemorat præteritam eorum de Patre cognitionem imperfectam. *Secundo*, promittit perfectam, ibi: (*Venit hora.*)

De I. Imperfectam quidem cognitionem habebant. Vnde dicit: (*Hæc in prouerbiis*, &c.) Prouerbium proprie dicitur, quod cõmuniter est in ore omnium. Sicut illud: *Adolescens iuxta viam suam*, &c. Sed quia hæc quandoq; obscura sunt, & metaphorica; inde est, vt prouerbium quandoq; sumatur pro parabola, in qua aliud dicitur, aliud significatur. Et hoc modo accipitur hîc.

De II. Potest autem hoc habere quadruplicem sensum. *Primus* est talis secundum literam, vt referatur ad hoc, quod immediate dixerat; hoc modo: *Dixi vobis vsque modo*, &c. quod in nomine meo peteris, & sum quasi obscure, & in prouerbiis locutus. (*Sed venit hora,*) vt quæ obscure dixi vobis, dicam statim in manifesto. Vnde subdit: (*Ipse Pater*, &c.) Et *exiui à Patre*, &c. sic videntur Apostoli intellexisse. Vnde his auditis dicunt ei: (*Ecce nunc palam loqueris*, &c. *Secundus sensus* est, vt hoc quod dicit: (*Hæc in prouerbiis locutus sum vobis*, &c.) referatur ad totum, quod in hoc Euangelio legitur de doctrina Christi: Quod vero dicitur: [*Venit hora*, &c.] re-

&c.) referatur ad tempus gloriæ: Quia enim *nunc videmus per speculum, & in ænigmate.* Idcirco hæc, quę dicuntur nobis de Deo, in prouerbiis proponuntur. Sed quia in patria *videbimus facie ad faciem*, vt dicitur 1. Corin. 13. ideo tunc non in prouerbiis, sed palam de Patre annunciabitur nobis. Dicit autem (*de Patre*,) quia nullus potest Patrem videre in illa gloria, nisi Filio manifestante. Matth. 10. *Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui Filius*, &c. Ipse enim est lux vera, dans nobis lucem, qua Patrem videamus. Ioan. 8. *Ego sum lux mundi.*

Sed quia huic expositioni repugnat, quod sequitur: (*In nomine meo petetis*;) in quo nil petituri sumus, si de die gloriæ intelligatur, quando *sanabitur in bonis desiderium nostrum*: Ideo est alius sensus duplex. *Vnus* secundum Chrysostomum sic: [*Hæc*] scilicet quæ nunc dixi vobis (*in prouerbiis*,) id est, in quadam intricatione verborum (*locutus sum vobis*,) non exprimens totaliter, quæ oportet vos cognoscere de Me & Patre meo: quia *multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo.* Ioann. 16. (*Sed venit hora*,) cum à mortuis, scilicet resurrexero, (*cum iã non in prouerbiis*,) id est, obscure, & per ænigmata. (*Sed palam de Patre*, &c.) Nam per illos quadraginta dies, quibus apparuit eis, multa mysteria eos docuit, & multa de Se & Patre annunciauit, & cum iam per fidem resurrectionis eum firmiter Deum verum esse credentes eleuati essent ad altiora. Vnde & subditur Act. 1. *Loquens eis de regno Dei.* Lucæ vltimo; *Aperuit eis sensum*, &c. *Alius sensus* est secundum Augustinũ. Vt per hoc, (*hæc in prouerbiis*, &c.)

promit-

promittat Dominus se facturum eos spirituales. Differentia enim hæc est inter spiritualem & animalem virum: Quia animalis homo verba spiritualia accipit vt prouerbia: non quod prouerbialiter sint dicta; sed quia mens eius supra corporalia eleuari non valens, sunt ei obscura, 1. Corin. 13. *Animalis homo non percipit*, &c. *Spiritualis autem homo* accipit spiritualia vt spiritualia. Discipuli autem à principio quasi animales erant; & quæ dicebantur eis obscura erant, & sicut prouerbia; sed postmodum à Christo spirituales effecti, & per Spiritum Sanctum edocti, spiritualia à Patre capiebant, & ideo dicit: (*Hæc in prouerbiis locutus sum vobis,*) id est, fuerunt vobis vt prouerbia. (*Sed venit hora*, &c.) 2. Cor. 3. *Nos autem reuelata facie*, &c.

PARS II.

De dilectione Patris, secunda causa fiduciæ in petendo.

PRimo resumit eis factam promissionem. *Secundo* assignat promissionis rationem.

Circa primum duo facit. *Primo* resumit vnum, quod promiserat. *Secundo* promittit eis fiduciam petendi. I. (*In illo die,*) scilicet quando annunciabo vobis palam de Patre, [*petetis in nomine meo,*] quia manifeste eum cognoscentes, scietis me esse ei æqualem & coessentialem, & per me habere accessum ad eum. Hæc enim est petitio in nomine eius, sperare per Christum habere accessum

ad Patrem, Psal. 19. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine,* &c.

Tacet autem se rogaturum Patrem pro eis: vnde dicit; [*Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem,* &c.] Sed nunquid non ipse orat pro nobis? Imo 1. Ioã. 1. *Aduocatum habemus apud Patrem,* &c. Hebr. 7. *Accedens per semetipsum,* &c. Et ad hoc dicẽdum *primo,* secundum Augustinum, quod hoc dicit ad remouendum, se de cætero esse, vt persona interpellans inquantum homo. Sic in illo die quando palam annunciabo, & petetis in nomine meo, & cognoscetis me esse vnum cum Patre; & quod non sim persona interpellans; sed inquantum Deus simul cum eo interpellans, exaudiam.

Alio modo secundum Chrysost. Hoc forte dicit, ne forte credant discipuli, quod ita sint per Filium impetraturi, quod ipsi non habeant immediatum accessum ad Patrem, q. d. Modo ad me recurritis, vt pro vobis interpellem; sed tunc tantam fiduciã habebitis apud eum, vt etiam ipsi à Patre petere poteritis in nomine meo, non indigentes alio introducente. Sed nunquid Apostoli non indiguerunt Christo homine ad interpellandum? aliàs cũ ipse interpellet, superflua erit eius interpellatio. Dicendum, quod non interpellat pro eis tanquam pro absentibus, & accessum habere non valentibus; sed faciens preces eorum exaudibiliores.

De II. *Ipse enim Pater amat vos, quia,* &c.] Hic rationem promissionis assignat, quę est amor Patris ad eos. Et *primo* ponit Patris dilectionem. *Secundo,* dilectionis probationem. I. Ideo *non dico, quia rogabo*

gabo Patrem pro vobis: Per hoc enim videretur, quod ipse non amaret eos. Sed vtique *ipse Pater*, qui amat omnia, volendo eis bonum naturæ. Sap. 2. *Diligit omnia, quæ sunt*, &c. *amat vos*, Apostolos & Sanctos, quodam priuilegiato amore, volendo vobis summum bonum, id est, seipsum. Deuter. 23. *Dilexit populos, omnes Sancti in manu*, &c. *quia ad hoc dilexit*. Sapientiæ 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt*.

II. Probationem huius ostendit ex duobus. 1. Ex amore discipulorum ad Christum. 2. Ex fide. Quantum ad primum dicit: (*Quia vos me amastis*.) Quæ quidem probatio non est per causam, quia, vt dicitur 1. Ioan. 4. *Non quasi dilexerimus eum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*: Sed est per signum, quia hoc ipsum, quod nos Deum diligimus, est signum, quod ipse amat nos. Quod enim possumus eum amare, est ex dono Dei. Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, &c. Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*.

Quantum ad secundum dicit: [*Et credidistis, quia à Deo exiui.*] *Sine fide* enim *impossibile est placere Deo*. Fides autem est nobis ex amore Dei. Donum enim Dei est, vt dicitur Ephes. 2. Donum autẽ non datur nisi ex amore dantis. Credere autem & amare Christum inquantum à Deo exiuit, satis est euidens signum amoris Dei. Quia propter quod vnumquodq; est, illud magis. Qui ergo amat Christum, qui à Deo exiuit; amor eius præcipue retorquetur in Deum Patrem. Non autem si amat eum inquantum homo.

PARS III.

De familiaritate Christi cum Patre, quæ item causa est fidenter petendi.

QVia mentionem fecit de exitu suo à Patre, id hîc manifestius explicans dicit: (*Exiui à Patre*, &c.) Vbi ostendit familiaritatem suam ad Patrem. Et *primo* ponit eius à Patre exitum. *Secundo*, eius ad Patrem reditum.

De I. Est autem duplex processio Filij à Patre. Vna æterna: Alia temporalis, Æternam quidem designat, cum dicit: (*Exiui à Patre*,) ab eo æternaliter genitus. Sed NOTA, quod omne quod exit ab aliquo, fuit prius in eo. Aliquid autem est in aliquo tripliciter. *Vno* modo, sicut contentum in continente. *Alio* modo, sicut pars in toto. *Tertio* modo, sicut accidens in subiecto, & sicut effectus in causa. Et secundum hoc dicuntur aliqua ab eis exire. Sed primis duobus modis erit aliquid idem numero existens, puta idem numero vinum de dolio, & eadem pars à toto. Sed aliis duobus modis non exit idem numero. Hæc autem non sunt dicenda de Deo. Quia cum Deus sit summe simplex, nec sit in loco, nisi metaphorice; non potest, vt Filius sit in eo sicut pars, vel sicut contentum: sed in eo erat per vnitatem essentiæ. Ioann. 8. *Ego & Pater vnum sumus.* Tota enim essentia Patris est tota essentia Filij, & è conuerso: & ideo non exit eo modo à Patre, quo prædicta. Nam quod exit à toto vt pars, est distinctum ab eo per essentiam.

tiam. Nam pars à toto exiens fit ens actu, quæ in eo erat ens in potentia. Et similiter quod exit à toto, continente loco distinguitur: sed Filius à Patre non exit localiter, quia omnia implet; secundum illud Hiere. 23. *Cœlum & terram ego impleo.* Nec diuisibiliter, quia Pater in partibus est, sed exit ab eo per personalem distinctionem. Sic ergo in exitu, inquantum præsupponit inhęrentiam, designatur essentiæ vnitas: inquantum insinuat processum quendam, designatur distinctio personalis. Psal. 18 *A summo cœlo*, sc. Deo Patre, *egressio eius. Et vero ante luciferum genui te.* Sed in rebus corporalibus res exiens ab aliquo, iam non est in eo, cum exeat per separationem essentiæ vel loci. Hic autem quia non est exitus talis, ideo sic ab æterno à Patre exiit, vt tamen ab æterno sit in eo: & sic quando est in eo, exit, & quando exit, est in eo; ita vt semper exeat, & semper sit in eo.

Temporalem autem processionem eius designat dicens: (*Et veni in mundum.*) Sicut autem exitus à Patre ab æterno non est localiter; ita nec aduentus eius in mundum est localis. Quia cum Filius sit in Patre, & è cōuerso, sicut Pater omnia implet, ita & Filius: nec est, quod localiter moueatur. Dicitur ergo venisse in mūdum, inquantū humanam naturam assumpsit, quantum ad corpus, habentem originem ex mundo, non mutando locum, Ioan. 1. *In propria venit, & sui*, &c.

De II. Consequenter cum dicit: (*Iterum relinquo mundū*, &c.) Agit de reditu suo ad Patrem. Et *primo* ponit recessum eius à mundo, dicens: (*Iterū relinquo*

linquo mundum,] non ſubtrahendo ſuæ gubernationis prouidentiam; quia ſimul cum Patre ſemper mundum gubernat, & ſemper cum fidelibus eſt per gratiæ opitulationem. Matth. vltim. *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem*, &c. Relinquit ergo mundum ſubtrahendo ſe à conſpectu corporali mundanorum. *Secundo*, ponit reditũ ſuum ad Patrem, cum dicit: [*Vado ad Patrem*,] quẽ nunquam deſeruerat. Vadit autem, inquantum ſe obtulit Patri in paſsione. Epheſ. 5. *Obtulit ſemetipſum*. Item inquantum per reſurrectionem, ſecundum quod homo configuratus eſt Patri in immortalitate. Roma. 6. *Quod autem viuit, viuit Deo*. Item inquantum in aſcenſione aſcendit ad cœlos; in quo ſpecialiter refulget diuina gloria. Matt. vlt. *Dominus quidem Ieſus*, &c. Et *Vado ad eum, qui me miſit, & nemo*, &c.

PARS IV.

De diſcipulorum affectione erga Patrem

POſitis rationibus, & verbis conſolantibus Apoſtolos, hic ponitur effectus ipſorum in diſcipulos: qui eſt diſcipulorum affectio, confeſsionis & credulitatis. Vnde dicunt: (*Ecce nunc palam*, &c.) Vbi tria confitentur de Chriſto. 1. Doctrinæ claritatem 2. Scientiæ certitudinem. 3. Diuinam originem. *Primum* confitentur, cum dicunt: (*Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis.*) Si enim diligenter aduertimus: vix in aliquo loco ſacræ Scripturæ ita exprimitur Chriſti origo, ſicut hic:

hic, cum dicit: *Palam de Patre meo annunciabo vobis, & exiui à Patre, & veni in mundum.* Et ideo credentes hanc promissionem, qua dixit palam de Patre, &c. eis completam esse, ita vt non alia manifestatione indigeant, dicunt: (*Ecce nunc palam loqueris.*)

Sed vt Augustinus dicit, ita adhuc ignorantes erant discipuli; vt se non intelligere ignorent. Non enim promiserat eis in illa hora, se sine prouerbiis locuturum; sed in hora resurrectionis, vel gloriæ: tamen quantum ad ipsos discipulos iam clarius eis fuit locutus tunc, quamuis alia claritas sermonum eius esset expectanda. Ioann. 18. *Ego palam locutus sum mundo.*

Secundum confitentur, cum dicunt: (*Nunc scimus, quia scis omnia.*) Et quidem in superficie verborum satis euidens argumẽtum est certæ & perfectæ scientiæ, quando quis manifestat, quæ dicit. Signum enim scientis est omnino posse docere, vnde dicitur Prou. 14. *Quod doctrina prudentium facilis est.* Quæ enim nostrum superant intellectum, non plane verbis explicamus. Sed tamen hoc Apostoli dicunt propter aliam intentionem: quia scilicet Dominus scit omnia cordis eorum secreta, & de his quæ dubitant, satisfacit. Consolatur eos promittendo gaudium Spiritus Sancti, & iteratam sui visionem, & Patris amorem, & ideo dicunt: (*Nunc scimus, quia scis omnia,*) scilicet secreta cordium. Ioan. vlt. *Tu omnia nosti.* Eccles. 49. *Domino Deo nostro nota sunt omnia, antequam fiant.* Vnde subdunt: (*Et non est opus tibi, vt quis te interroget.*) Quod videtur prædictis contradicere. Dicunt n. quod

quod ſcit omnia. Scientis autem non eſt interrogare, ſed interrogari. Quomodo ergo non eſt ei opus, vt quis eum interroget? Sed dicendum, quod hoc dicunt, vt innuant, quod etiam ſecreta cordiũ nouit, quia & ante interrogationem eis ſatisfecit, vt cum dicerent inter ſe: *Quid eſt, quod dicit nobis, modicum?* Nihilominus tamen Chriſtus interrogat, & interrogatur; non quia opus ſit ei, ſed nobis. *Tertium* confitentur, cum dicunt: (*In hoc credimus, quia à Deo exiſti.*) Et quidem conuenienter. Scire enim omnia & etiam ſecreta cordium, eſt propriũ diuinitatis. Hierem. 16. *Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? ego Dominus*, &c. & ideo dicunt, *à Deo exiſti*, conſubſtantiali Patri & verus Deus.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Cum venerit paraclitus, quem ego mittam vobis: Ioan. 15.

SCOPVS. Oſtendit hic, quod Iudæi non ſunt excuſabiles propter ea, quæ poſt eum ſuperuentura erant, quia habituri erant alia teſtimonia, ſcilicet Spiritus Sancti, & etiam Apoſtolorum.

PARTITIO.

I. *De teſte Spiritu S. eiuſque conditione.*
II. *De teſtibus Apoſtolis, eorumq; aduerſis.*
III. *De perſecutionibus eorum futuris.*

PARS

PARS I.

De S. Spiritu teste, eiusque conditione.

QVatuor tangit. *Primo*, quidem libertatem. *Secundo*, ſuauitatem. *Tertio*, proceſsionem. *Quarto*, operationem. I. *Libertatem* quidem ſeu poteſtatem, cum dicit: (*Cum venerit*, &c.) Ille enim proprie venire dicitur, qui ſponte & propria auctoritate vadit. Et hoc conuenit Spiritui Sancto, *qui, vbi vult, ſpirat.* Ioan. 3. Sap. 7. *Inuocaui, & venit in me*, &c. Hoc ergo, quod dicit, (*mittam*,) non coactionem deſignat: ſed originem.

II. *Suauitatem* tangit, cum dicit: (*paraclitus*,) id eſt, conſolator. Nam cum ſit amor Dei, facit nos terrena contemnere, & Deo adhærere. Vnde dolorem & triſtitiam de nobis excludit, & gaudium de diuinis miniſtrat, Galat. 4. *Fructus ſpiritus eſt charitatis, gaudium, pax*, Act. 9. *Eccleſia replebatur conſolatione Spiritus Sancti*, &c.

III. Ponit *proceſsionem* Spiritus Sancti, duplicem. *Primo* quidem temporalem, cum dicit: (*Quem ego mittam vobis à Patre*, &c.) Vbi ſciendum eſt, quod Spiritus Sanctus mitti dicitur, non quaſi locum mutans; cum ipſe impleat orbem terrarum, vt dicitur Sapient. 1. Sed quia nouo modo per gratiam incipit habitare in eis, quos templum Dei facit, 1. Cor. 3. *Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Nec eſt contrarium, quod Spiritus Sanctus dicitur mitti & venire: Nam in hoc, quod venire dicitur,

dicitur, manifeſte apparet maieſtas Diuinitatis ipſius, qui operatur, prout vult, 1. Cor. 12. *Dicitur autem mitti, vt oſtendatur proceſsio ipſius ab alio.* Quod enim creaturam rationalem inhabitando ſanctificet, ab alio habet, à quo habet, vt ſit, ſicut filius ab alio habet, quicquid operatur.

Eſt etiam attendendum, quod miſsio Spiritus Sancti communiter eſt à Patre & Filio. Quod ſignatur Apoc. vlt. *Oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ*, id eſt, Spiritum Sanctum procedentem à ſede Dei & agni, id eſt, Chriſti. Ideo circa miſsionem Spiritus Sancti facit mentionem de Patre & Filio, à quibus æquali, & eadem virtute mittitur: & ideo quandoque introducit Patrem mittentem; non tamen abſque Filio. Sicut Ioan. 14. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Quandoque autem introducit ſeipſum mittentem, non ſine Patre, ſicut hic cum dicit, (*quem ego mittam vobis à Patre,*) quia ſcil. Filius, quicquid operatur, habet à Patre. Ioann. 5. *Non poteſt Filius à ſe facere quicquam.*

Secundo ponit proceſsionem æternam: Vbi ſimiliter Spiritum Sanctum oſtendit pertinere ad Filium, cum dicit: (*Spiritum veritatis.*) Ipſe enim eſt veritas, Ioann. 14. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Et ad Patrem, cum dicit, (*qui à Patre procedit.*) Sic ergo, quod dicit: [*Spiritum veritatis,*] idem eſt, ac ſi diceret, Spiritum Filij, Galat. 4. *Miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda,* &c. Et quia hoc nomen Spiritus quandam impulſionem importat. Omnis autem motus habet effectum conuenientem ſuo principio,

ſicut

ſicut calefactio facit calidum: conſequens eſt, vt Spiritus Sanctus eos, in quos mittitur, ſimiles faciat ei, cuius eſt ſpiritus. & ideo cum ſit ſpiritus veritatis, docet omnem veritatem. Ioan. 16. dicitur, & Iob 31. *Inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam.* 3. Et ſimiliter quia eſt ſpiritus filij, facit filios, Roman. 8. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum.* Dicit autem *Spiritum veritatis*, ad differentiam ſpiritus mendacij, Iſaiæ 19. *Dominus miſcuit in medio Aegypti ſpiritum erroris*, 3. Reg. vltim. *Egrediar, & ero ſpiritus mendax*, &c.

Sed quia dicit, (*qui à Patre procedit,*) & non addit à Patre & Filio, dicunt Græci; quod Spiritus Sanctus non procedat à Filio, ſed ſolum à Patre; Quod omnino eſſe non poteſt. Non enim poſſet Spiritus Sanctus diſtingui à Filio, niſi vel ipſe procedat à Filio, vel è conuerſo Filius ab eo, quod nullus dicit. Non enim poteſt dici, quod in diuinis perſonis, quæ ſunt omnino immateriales & ſimplices, ſit materialis diſtinctio, quæ eſt ſecundum diuiſionem quantitatis, cui ſubſtat materia. Vnde oportet, vt diſtinctio perſonarum diuinarum ſit ad modum diſtinctionis formalis, quam oportet eſſe ſecũdum aliquam oppoſitionem. Nam quæcunque formæ non oppoſitæ ſe compatiuntur ad inuicem in eodem; non diuerſificant ſuppoſitum; ſicut album & magnum. Vnde in diuinis perſonis, quia innaſcibilitas & paternitas non opponuntur, pertinent ad vnam perſonam. Si igitur Filius & Spiritus Sanctus ſunt perſonæ diſtinctæ procedentes à Patre, oportet, vt aliquibus proprietatibus

oppoſitionis diſtinguantur; non autem oppoſitis ſecundum affirmationem, & negationem; aut ſecundum priuationem & habitum. Quia ſic Filius & Spiritus S. ſe haberent ad inuicem ſicut ens & non ens; & ſicut perfectũ & priuatũ: quod repugnat æqualitati ipſorũ. Nec etiam ſecundũ oppoſitionem contrariorum, quorũ vnũ eſt perfectius altero. Vnde relinquitur, quod per ſolam oppoſitionem relatiuam diſtinguatur Spiritus Sanctus à Filio. Hæc autem oppoſitio non poteſt niſi ex hoc eſſe, quod vnus eorum refertur ad alterum. Nam diuerſæ relationes duorũ ad aliquod tertiũ, nõ directe ſibi opponuntur, niſi forte ex conſequenti per accidens. Vnde relinquitur ad hoc, quod diſtinguitur Spiritus S. à Filio, oportet attribui eis oppoſitas relationes, quibus ad inuicem opponãtur. Nec poſſunt aliæ inueniri, niſi relationes originis, ſecundum quod vnus eſt ab alio; ergo impoſsibile eſt ſuppoſita Trinitate perſonarum, quin Spiritus Sanctus ſit à Filio.

Dicunt autem quidam, quod Spiritus S. & Filius diſtinguuntur ſecundum differentiam proceſſionum; inquantum Filius eſt à Patre naſcendo, & Spiritus Sanctus procedendo. Sed redit eadem quæſtio, quæ oritur ex opinione pręmiſſa: quomodo differant hæ duæ proceſsiones. Non enim poteſt dici, quod diſtinguantur per diuerſa per generationem, accepta. Sicut generatio hominis & equi differunt ſecũdum diuerſas naturas communicatas. Eandem enim diuinam naturam accipit Filius à Patre naſcendo, & Spiritus S. procedendo.

Vnde

Vnde relinquitur, quod ſolum ſecundum ordinē originis diſtinguantur; inquantum ſcil. natiuitas Filij eſt principium proceſsionis Spiritus S. Vnde ſi Spiritus Sanctus non eſſet à Filio, nec diſtingueretur à Filio, nec proceſsio à natiuitate. Vnde etiam Græci aliquem ordinem confitentur Filij & Spiritus S. Dicunt enim Spiritum S. eſſe Filij: & Filium operari per Spiritum Sanctum: ſed non è conuerſo.

Et aliqui etiam concedunt, quod Spiritus Sanctus eſt à Filio; nolunt tamen cōcedere, quod Spiritus Sanctus procedat à Filio. Sed in hoc manifeſte proteruiunt. (Vtimur enim verbo proceſsionis in omnibus, quæ quocunque modo ſunt ab alio.) Et ideo hoc verbum ratione cōmunitatis eſt accommodatum ad ſignandum exiſtentiam Spiritus S. à Filio, quæ non habet exemplū in creaturis, ex quo poſſet aſſumi aliquod proprium nomē eius, ſicut accipitur nomen generationis filij. Non enim in creaturis inuenitur aliqua perſona procedens per modum voluntatis, vt amor. Sicut inuenitur aliqua perſona procedens per modum naturæ, vt Filius; & ideo quocunque modo habeat ordinem Spiritus Sanctus ad Filium, poteſt concludi, quod ab eo procedat.

Dicunt autem aliqui Græcorum, quod non eſt dicendum, Spiritum Sanctum procedere à Filio, quia hęc prępoſitio, *a* vel *ab* apud eos deſignat principium non de principio, quod cōuenit ſoli Patri. Sed hoc non cogit; quia Filius cum Patre eſt vnū principium Spiritus Sancti, ſicut etiam creaturarū

 quam-

quamuis autẽ Filius habeat à Patre, quod ſit principium creaturarum; tamen dicuntur creaturæ eſſe à Filio. Vnde eadem ratione poteſt dici, quod Spiritus Sãctus procedat à Filio. Nec obſtat, quod hic dicitur, (*qui à Patre procedit,*) non autem à Patre & Filio: Quia ſimiliter dicitur, (*quem ego mittam,*) & tamen intelligitur Pater mittere per hoc, quod additur (*à Patre,*) ita & per hoc quod additur, (*Spiritum veritatis,*) id eſt Filij, intelligitur, quod à Filio procedit. Semper enim vt dictum eſt, coniungitur Filius Patri, & è conuerſo circa proceſsionem Spiritus Sancti. Et ſic diuerſo modo loquendi ad deſignandum diſtinctionem perſonarum.

IV. Ponit operationes Spiritus Sancti, cum dicit: (*Ille teſtimonium perhibebit.*) Et hoc tripliciter. *Primo* quidem, inſtruendo diſcipulos, & fiduciam eis præbendo ad teſtificandum. Matth. 10. *Non enim vos eſtis, qui loquimini,* &c. *Secundo*, ſuam doctrinam communicando credentibus in Chriſtum, Hebr. 2. *Conteſtante Deo ſignis & prodigiis, & variis Spiritus Sancti diſtributionibus. Tertio*, emolliendo audientium corda, Pſal. 103. *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur.*

Vltimo ponit, quod futurum erat ex parte diſcipulorum, cum dicit: (*Et vos teſtimonium perhibebitis,* &c.) Spiritu Sancto inſpirati, Act. 1. *Eritis mihi teſtes,* &c. Et de hoc duplici teſtimonio dicitur Actorum 5. *Nos huius rei teſtes ſumus, & Spiritus Sanctus,* &c. Et addit teſtimonij idoneitatem, cum dicit: (*quia ab initio mecum eſtis,*) ſcilicet prædicationis, & operationis miraculorum, vt poſſent teſtari & de

viſu

visu & auditu, secundum illud 1. Ioan. 1. *Quod vidimus & audiuimus*, &c. Ex quo etiam potest accipi, quod Christus non fecit miracula in pueritia, vt in quibusdam apocryphis habetur, sed solum ex tunc, ex quo discipulos congregauit, &c.

PARS II.

Prænunciantur aduersa discipulis.

DOminus si bene considerentur ea, quæ in superioribus duobus capitulis dicta sunt; discipulos consolari intendebat de duobus: De recessu suo; & tribulationibus eis superuenturis. Et rationes ad hæc duo, hîc explicat ordine retrogrado. Cuius ratio est, quia cum recessus suus statim immineret; nec adhuc eis tribulationes superuenturas prænunciauerat, ideo primo consolatus est eos de recessu. Sed quia iam ex prænunciatis eis tribulationibus, videbantur magis affici ad tribulationes, quam ad recessum Christi; ideo hic primum consolatur eos de his tribulationibus superuenturis.

Duo facit: *Primo* manifestat suam intentioně. *Secundo* prænunciat discipulis tribulationum persecutionem,

De I. Dixi, quod Iudæi oderunt me & vos: quia non cognouerunt eum, qui me misit, &c. & sunt inexcusabiles: & Spiritus Sanctus & vos testificabimini contra illos. Sed (*hæc*) omnia ideo (*locutus sum vobis, vt non scandalizemini,*) id est, vt, cum venerint tribulationes, quas prænuncio vobis, sitis abs-

que ſcandalo. Et merito poſt promiſsionem Spiritus Sancti ſcandalum prohibet: quia Spiritus S. eſt amor. *Amor autem Dei diffuſus eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*; is omne propellit ſcandalum, Pſalm. 118. *Per multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum*. Amicorum autem eſt negligere damnum propter amicum; vt dicitur Prouer. 12. Amicis ergo Dei non eſt ſcandalum, pœnas, & damna pati pro Chriſto. Quia vero ante mortem Chriſti diſcipuli Spiritum Sanctum non acceperunt; ideo in paſsione Chriſti ſcãdalizati ſunt, Ioan. 17. *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in nocte iſta*. Sed poſt aduentum Spiritus Sancti omnino abſque ſcandalo fuerunt.

De II. Sed poſſent dicere diſcipuli: Numquid eſt nobis materia ſcandali? immo tribulationes multæ ſuperuenient nobis: Et *prima* quidem exclusionis; *Secundo*, interfectionis. I. *Excluſionis*, à conſortio Iudæorum. Vnde dicit; (*Abſque Synagogis*, &c.) Ioann. 9. Iam conſpirauerant Iudæi; vt, ſi quis confiteretur ipſum eſſe Chriſtum; extra Synagogam fieret. Et hoc intantum inualuit, vt aliqui ex principibus in Chriſtum credentes timerent propter hoc publice confiteri, Ioannis 12. Hanc excluſionem prænunciat Lucæ 6. *Beati eritis, cum vos oderint homines, & eiecerint nomen veſtrum*, &cæt.

Sed nunquid malum erat Apoſtolis extra Synagogam Iudæorum fieri, cum ipſi eſſent ab ea receſſuri? Dicendum ſecũdum Auguſtinum, quod in hoc erat eis tribulatio, quia per hoc dabat Domi

nus

nus intelligere, quod Iudæi non erant recepturi Christum. Nam si Christum recepissent, eadẽ fuisset Synagoga Iudæorum & Ecclesia Christi; & qui conuerterentur ad Ecclesiam Christi, conuersi ad Synagogam Iudæorum fuissent.

II. *Interfectionis* autem. (*Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos*, &c.) Hæc quidem verba possunt accipi quasi in consolationem discipulorum dicta, vt hoc (*sed*) accipiatur aduersatiue. Vt sit sensus, quasi cõsolari debetis ex hoc, quod vobis facient; (*Sed venit hora*, &c.) Sed qualis consolatio poterat eis esse? Hæc scilicet, *vt omnis qui interficeret eos, arbitraretur, se obsequium præstare Deo.* Dicendum secundum Augustinum, quod per hoc quod dixerat: (*Absque Synagogis*, &c.) dabatur intelligi, quod illi qui conuerterentur ad Christum, statim à Iudæis occidendi erant, & ideo ad eorum consolationem dicit eis Dominus, quod tam multos Christo acquisituri erant, expulsi de Iudæorũ congregationibus, vt eos extirpare non possent. Et propter hoc mortem eis intentare studerent, ne omnes ad nomen Christi sua prædicatione conuerterent. Vel dicendum, quod in hoc prædixit eis tribulationẽ interfectionis. Dicit autem, [*arbitretur obsequiũ se præstare Deo.*] Non diis, vt det intelligere hoc dici solum de persecutione Iudæorũ, Mat. 23. *Ecce ego mitto ad vos sapientes*: nam Martyres Christi occisi sunt à Gentilibus: non tamen illi arbitrati sunt Deo, sed diis suis solum obsequiũ se præstare. Ideo autẽ Iudæi Christi prædicatores occidentes, putabant Deo se præstare obsequium: quia zelum

Dei habebant, ſed non ſecundum ſcientiam. Credebant enim, quod deſereret Deum Iſrael, quicũque conuerteretur ad Chriſtum. De iſta interfectione dicitur Pſalm. 43. *Propter te mortificamur tota die.*

PARS III.

Datur ratio futuræ perſecutionis denunciatæ.

DIcit ergo: Perſequentur vos. (*Et hæc facient vobis,*) non propter zelum veritatis, ſed (*quia non nouerunt Patrem,*) inquantum ſcilicet eſt Pater, (*neque me,*) Filium ſuum, Ioan. 8. *Si me ſciretis & Patrem meũ forſitan,* &c. 1. Tim. 1. *Qui prius fui blaſphemus & perſecutor, &c. Ignorans feci,* &c. Sed poſſet dici, ſi per ignorantiam fidei Iudæi vos ſunt perſecuturi, quare ergo prædixit vobis? Et ideo cum dicit: (*Sed hæc locutus ſum vobis, vt* &c.) *Primo* ponit cauſam prænunciationis. *Secundo* cauſam dilationis ad prænunciandum. Dicit ergo, ideo autem, (*Hæc locutus ſum vobis, vt cum venerit hora,* &c. Hora aliquorum venire dicitur, quando poſſunt implere, quod deſiderant. Sap. 3. *Non prætereat vos flos temporis,* ſcilicet apti ad voluptates exercendas. Hora ergo Iudæorum tunc veniet, quando poterunt exercere perſecutiones in nobis. Sed hæc eſt hora nocturna. Luc. 22. *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarũ,* &c. (*Reminiſcamini, quia ego dixi vobis.*) Quod quidem ad duo valet, 1. Quia, quando recordati ſunt

ſunt in tribulationibus, quod eas Chriſtus prædixerat eis, cognouerunt eius Diuinitatem; & magis confiſi ſunt de eius adiutorio. 2. Item per hoc quod aliquis præuidit tribulationes ſibi imminentes, minus affligitur; quia præuiſa iacula minus feriunt. Et rationem huius aſsignat Tullius in lib. de Tuſculanis quæſtio. *Bona enim & mala temporalia quanto magis cognoſcuntur, tanto minora reputantur.* Diuitiæ enim maiores reputantur à non habentibus eas, quam ab habentibus. Similiter etiam tribulationes, antequam habeantur, magis timentur, & triſtius creduntur, antequam superueniāt, quam cum ſuperuenerūt, & præſentes ſunt. Malum autem quando præagitatur, efficitur quaſi præſens, & ex ipſa præſentia minus reputatur. vnde dicit, quod ſapiens ex præmeditatione poteſt accipere conſolationem de triſtitia ſuperuentura, quam aliqui recipiunt aſsiduitate triſtitiæ imminentis. Sic ergo duplici de cauſa eius tribulationes prænunciat ad ſpem eorum ſubleuandam de eius adiutorio: Et ad triſtitiam minuendam.

Hæc autem vobis ab initio, &c.) Hic aſsignat cauſam, quare non ante eis prædixit hæc, ſcilicet (*quia vobiſcum eram.*) Quod poteſt referri ad duo prædicta. *Primo* ad ſubleuandam ſpem. Nam cum vobiſcum eram, de meo adiutorio confiſi non dubitabatis: modo autem, quando videbitis me mori, dubitare poteritis de mea poteſtate. Et ideo neceſſarium eſt, vt pronunciem futura, per quæ cognoſcatis meam Diuinitatem & poteſtatem. Vel poteſt referri ad ſecundum; vt ſit ſenſus: (*Vobiſcū*

cc 5 *eram,*)

eram,] protegens vos, & totum pondus super me suscipiens, Ioan. 17. *Pater, cum essem cum eis, ego seruabam eos, quos dedisti mihi.* Sed quod recessurus sum à vobis, totum pondus tribulationis, remanebit vobis: Et ideo oportet, vt non sint vobis improuisæ.

Sed videtur, quod Dominus ante hanc horam prædixerat, quia alij tres Euangelistæ narrant Dominũ ante hoc tempus prædixisse discipulis, quod tradendi essent ante Reges & præsides, & in Synagogis Iudæorum flagellandi. Dicendum: Hoc nõ contrariatur huic, quod Dominus dicit: (*Hæc vobis ab initio non dixi:*) Quia illi dicunt Dominũ hoc dixisse in monte Oliueti, quod fuit imminente pasione tribus diebus ante, quam ventum est ad cœnam, vnde hoc quod dicit *(ab initio)* non refertur ad tempus pasionis; sed ad tempus, quo primo fuit cum discipulis. Aug. dicit.

Sed contra hoc est, quod Matth. 10. Dominus prænunciauit discipulis tribulationes superuenturas, non solum imminente pasione, sed ab initio electionis eorum. *Ecce,* inquit, *mitto vos sicut oues in medio luporum,* &c. Dicendum, quod hoc, quod dicit(*ab initio,*) non est intelligendum solũ de tribulationibus superuenturis; sed de aduentu Spiritus Sancti, quem non prænunciauit eis ab initio, vt Aug. dicit. Vel dicendum secundum Chrysost. quod intelligendum est de tribulationibus. Et tũc quod dicit, (*ab initio,*) dicit propter duo, quæ hic eis rursus prædixit. *Vnum,* scilicet quod essent passuri tribulationes à Iudæis, quod eis ante non dixerat;

xerat, sed solum à Gentibus, vt patet Matthæi 10. *Aliud*, quod supra prædixit eis, quia flagella passuri essent. Hic autem addit vnum, quod maxime poterat eos attonitos facere; scilicet, quod mors eorum reputaretur Iudæis obsequium.

DOMINICA PENTECOSTES.

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Ioan. 16.

SCOPVS. Promiserat Dominus discipulis suá visitationem: hic remouet discipuli dubitationem, quæ primo ponitur, Secundo Christi respõsio. Sciendum est circa primum, quod sanctorum & humilium consuetudo est, vt, cum magna de se audiunt, stupeant, & admirentur. Audierant autem discipuli Dominum dicentem: *Adhuc modicum & mundus me iam non videt: Vos autem videbitis me*, &c. Ex quo videbatur Apostolos toti mundo præferre. Et ideo Iudas (frater Iacobi, cuius Epistola inter Canonicas legitur,) in admirationem & stuporem raptus, dicit: (*Domine quid factum est, quia manifestaturus es?* &c.) quasi dicat: Quæ causa erit? Nunquid nos supra totum mundum sumus? Simile dixit Dauid 2. Regum 7. *Quis ego sum, aut quæ est domus mea?* Matt 25. dicunt iusti: *Domine, quando te vidimus esurientem?*

PAR-

PARTITIO.

PARS I.

De aptitudine discipulorum ad manifestationem accipiendam.

DVo sunt, quæ reddunt hominem idoneum ad Dei manifestationem. *Primum* est charitas. *Secundum* est obedientia.

De I. *Si quis diligit me*, &c.] Tria enim necessaria sunt homini volenti Deum videre. *Primo*, vt Deo appropinquet. Deut. 23. *Qui appropinquant pedibus eius, accipient*, &c. *Secundo*, vt ad eum videndum oculos eleuet. Isai. 40. *Leuate in excelsum oculos vestros*, &c. *Tertio*, vt visioni vacet. Nam spiritualia videri non possunt, nisi quis vacet terrenis. Ps. 33. & 45. *Vacate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Et hæc tria facit charitas. 1. Nam ipsa animam hominis Deo coniungit, 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 2. Ipsa ipsum intuitum ad Deum erigit. Matth. 6. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum*: Vnde dicitur: *Vbi est amor tuus, ibi oculus.* 3. Ipsa enim à mundanis vacare facit. 1 Ioan. 2. *Qui diligit sæculum, non est perfecta charitas Dei in illo.* Ergo econtrario, qui perfecte Deum diligit, non est in illo amor sæculi.

De

De II. Ex charitate autem ſequitur obedientia. Vnde dicit (*ſermonem meum ſeruabit.*) Vt dicit Gregor. *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis.* Nunquam eſt Dei amor ocioſus, operatur enim magna ſi eſt: ſi autem operari renuit, amor non eſt. Volũtas enim, & maxime quæ eſt de fine, mouet alias potentias ad actus ſuos. Non enim quieſcit homo, niſi faciat ea, per quæ ad finem intentum perueniat, præcipue ſi eſt intenſa ad ipſum. Quando ergo voluntas hominis intenſa eſt ad Deum, qui eſt finis eius, mouet omnes vires ad faciendum ea, quæ ad ipſum ducunt. Intenditur autem in Deum per charitatem. Et ideo charitas eſt, quæ nos ſeruare mandata facit. 2. Cor. 5. *Charitas Chriſti vrget nos.* Cant. 6. *Lampades eius lampades ignis*, & per obedientiam homo efficitur idoneus ad videndum Deum. Pſalm. 118. *A mandatis tuis*, ſcilicet à me ſeruatis *intellexi.* Et iterum. *Super ſenes intellexi*, &c.

PARS II.

De ordine manifeſtationis ſuæ ad Apoſtolos faciunda.

TRia ſunt, per quæ fit homini diuina manifeſtatio. *Primum* eſt diuina dilectio. Quoad hoc, dicit. (*Pater meus diliget eum.*) dicit (*diliget,*) in futuro, quantum videlicet ad effectum dilectionis, qui tamen ab æterno dilexit quantum ad voluntatem benefaciendi. Malach. 1. *Iacob dilexi*, &c. Non autem dicit: Ego diligam eum: quia hoc iam eis patuit.

tuit. Prou. 8. *Ego diligentes me diligo.* Restabat ergo, vt insinuaret eis, quia pater diligeret eos. Deut. 14. *Dilexit populos, omnes Sancti in manu,* &c.

Secundum est diuina visitatio. Et quoad hoc dicit (*& ad eum veniemus,*) Sed contra venire mutationem localem significat; sed Deus non mutatur, ergo, &c. Responsio. Deus dicitur venire ad nos, non quod ipse moueatur ad nos; sed quia nos mouemur ad ipsum. Dicitur n. aliquid venire in locũ, in quo prius non fuit. Hoc autem Deo non conuenit; cum sit vbique: Hier. 34. *Cœlum & terram ego impleo.* Dicitur etiam venire in aliquem, inquantũ est ibi nouo modo, secundum quem prius non fuerat ibi; scilicet per effectum gratiæ. Et per hunc effectum gratiæ facit nos ad se accedere.

Sed attende, secundum Augustinum, quod tribus modis Deus venit ad nos; & iisdem nos imus ad eum.

Primo quidem venit, nos implendo suis effectibus; & nos imus ad eum capiendo ipsos. Eccles. 33. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis,* &c. *Secundo* illuminando; & nos imus ad eum considerando. Ps. 33. *Accedite ad eum & illuminamini. Tertio* vero adiuuando; & nos ad eum, obediendo: quia nec obedire possumus nisi adiuti à Christo. Isaiæ secundo. *Venite ascendamus, &c. Quæritur.* Quare non fecit mentionem de Spiritu sancto? Augustinus ait, non dici hoc, quod ipse sit excludendus aduenientepatre & filio; quia supra dixit, *Vt maneat vobiscum in æternum. Dicendum* cum in Trinitate sint duo, scilicet personarum distinctio, & essentiæ vnitas

nitas, Aliquando quidem fit mentio de trib. personis; ad insinuandum distinctionem personarū: Aliquando vero facit mentionem de duabus sine tertia; ad insinuandum essentiæ vnitatem. *Vel dicendum*; quod, cum Spiritus sanctus nihil sit aliud, quam amor patris, & filii; posito patre & filio intelligitur Spiritus sanctus.

Tertium, Ad Dei manifestationem est perseuerantia vtriusque, sc. in dilectione Dei, & in eius visitatione. Et quantum ad hoc dicit (*& mansione.*) In quo duo tangit. *Primo* quidem infirmitatem adhæsionis ad Deum, cum dicit (*mansionem*) Nam Deus venit ad quosdam per fidem; sed non manet: quia *ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*. Matth. 18. Ad quosdam venit per peccati compunctionem; non tamen manet cum eis: quia reuertuntur ad peccata. Prouer. 26. *Sicut canis qui vertitur ad vomitum suum*, &c. Sed in suis prædestinatis permanet semper. Matt. vlt. *Ecce ego vobiscum sum*, &c. *Secundo* ostendit familiaritatem Christi ad homines: quia (*apud eum*,) sc. diligentem ad obediendum, inquantum sc. delectatur nobiscum, & facit nos delectari in ipso. Prouer. 8. *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum*. Isaiæ 61. *Gaudebit super te Dominus Deus tuus.*

Chrysostomus autem referens hoc ad aliam intentionem, dicit; quod Iudas audiens; *Non relinquam vos orphanos*, &cæt. *Vos autem videbitis me*, &c. existimauit quod Christus post mortem venturus esset ad eos; sicut mortui veniunt ad nos in somno: vnde querit: *Quid est factum, quia nobis manifestu-*

festaturus, &c. quasi diceret: Væ nobis, quoniam morieris, & vt mortuus debes nobis assistere. Vt ergo hoc excludat, dicit: (*Ego & Pater ad eum veniemus,*) id est, sicut Pater manifestat seipsum, ita & ego, (*& mansionem apud eum faciemus.*) quod somniorum non est, in quibus nulla mora contrahitur.

PARS III.

Ratio, cur mundo se non manifestet.

Causa est remotio eorum, per quæ dicit, se hominibus manifestaturum. Remotâ enim causâ remouetur effectus: sed ipsi nō habent causam, vt diuina eis manifestatio fiat. Ergo mundo & mundanis Deus non est manifestaturus seipsum. Quod non habeant causam, apparet: quia mundus non diligit me. Et quantum ad hoc dicit: (*Qui non diligit me.*) Iterum non obedit mihi; vnde dicit, (*sermones meos non seruat.*) Vt enim Gregor. dicit: *de dilectione conditoris lingua & mens, & vita requiratur.* Patet ergo causa, quare suis manifestaturus est se, & non alienis; quia hi diligunt. Dilectio namque sanctos discernit à mundo. Iob 36. *In manibus*, scil. superbis *abscondit lucem, & ita annunciat de ea animo suo*, &c. Iob. 28. *Abyssus dicit, non est in me mare*, id est, turbulentus, *non est mecum.*

Sermonem, quem audistis, non est meus, &c.] Manifestat hoc, quod supra dixit, scil. [*Si quis diligit me*, &c. *& Pater meus diliget eum*, &c.] Posset enim aliquis dicere, quod hoc dictum nullam rationem habet,

habet; quin potius rationabilius dixisset: Ego diligam eum, & ad eum veniam: & ideo hoc excludit, dicens: (*Et sermonem quem audistis, non est meus.*) id est, non est mihi à meipso; sed est mihi ab alio, sc. à Patre, qui me misit, quasi diceret: Non me solũ, sed nec Patrem amat, qui hunc non audit sermonem. Et ideo, qui eum diligit, & Patrem & vtriusque manifestationem meretur. Dicit ergo: (*Et sermonem,*) siue sermo, (*quem audistis,*) à me homine prolatum, (*est quidem meus,*) inquantum ipsum pronuncio: (*& non est meus,*) inquantum est mihi ab alio. Ioan. 8. *Mea doctrina non est mea.* Ioann. eodem: *Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor.* Sed attende, secundum Augustin. quod cum loquitur Dominus de sermonibus suis, pluraliter dicit, *sermones meós:* Vbi autem loquitur de sermone Patris, loquitur in singulari, dicens: (*Et sermonem quem audistis, non est meus,*) quia per verbum Patris seipsum intelligi voluit, qui est vnicum Verbum eius. Vnde nec suum se esse dicit, sed Patris: quia nec sua imago est, nec suus Filius, sed Patris. Sermones autem omnes in cordibus nostris sunt ab vnico Verbo Patris.

PARS IV.

Dona promissi Sancti Spiritus consecutura.

PRomiserat eis Spiritum Sanctum, & seipsum: Et ideo hic ostendit, quid consequentur ex aduentu Spiritus Sancti: scilicet intellectum omniũ verborum Christi. Et ideo circa hoc *primo* com-

memorat eis ſua documenta. *Secundo* promittit eis intellectum eorum.

De I. *Hæc:*] ſcil. quæ dixi, (*locutus ſum vobis,*) organo humanitatis, manens apud vos, præſentia corporali. Et hoc quidem maximum beneficium eſt, vt ipſe Filius nobis loquatur, & nos doceat. Hebr. 1. *Multifarie multisque modis olim,* &c. In filio, Deut. 5. Quæ eſt omnis caro, vt audiat Dominum ſuum? &c.

De II. Intellectum autem ipſorum documentorum promittit eis per Spiritum S. ſe daturum. vnde dicit: *Paraclitus autem,* &c. Vbi tria facit circa Spiritum Sanctum. *Primo* deſcribit ipſum. *Secundo* eius miſsionem. *Tertio* eius effectũ. I. Ipſum quidem deſcribit multipliciter, vt paraclitum, Spiritum, & Sanctum. *Paraclitus* quidem eſt 1. Quia cõſolatur nos, & quantum ad triſtitias de turbationibus huius mundi, de quibus nos conſolatur. 2. Corinth. 7. *Foris pugna, intus timores.* 2. Corinth. 1. *Qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.* Et hoc facit, inquantum eſt amor, faciens nos amore Deũ, & eum pro magno habere. Propter quod cum gaudio contumelias patimur; ſecũdum illud Act. 3. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu conſilij,* &c. Mat. 5. *Gaudete & exultate, quia merces veſtra,* &c. 2. Item conſolatur nos, contra triſtitias, de peccatis præteritis. De quibus dicitur Matth. 5. *Beati qui lugent.* Et hoc facit, inquantum dat nobis ſpem veniæ. Ioann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata,* & cætera. Iſaiæ 61. *Vt ponerem conſolationem.*

Spiri-

Spiritus quidem eſt, quia mouet corda noſtra ad obediendum Deo. Iſaiæ 56. *Cum venerit quaſi fluuius violentus,* &c. Roman. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur,* &c.

Sanctus autem eſt, quia conſecrat nos Deo. Omnia autem Deo conſecrata, dicuntur ſancta. 1. Cor. 5. *Neſcitis quoniam corpora noſtra templum ſunt Spiritus ſancti.* Pſal. 45. *Fluminis impius lætificat ciuitatem Dei,* &c.

II. Conſequenter cum dicit: (*Quem mittet Pater in nomine meo,*) agit de eius miſsione. Non eſt autem intelligendum, quod per motum localem ad nos veniat, ſed quia quodam nouo modo in eis eſſe debeat, quo prius non fuerat. Pſalm. 103. *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur,* ſcil. in eſſe ſpirituali. Sed attende, quod Spiritus Sanctus à Patre & Filio mittitur: & ideo ad hoc oſtendendum, quandoque dicit, quod Pater mittit eum, ſicut hic: quandoque quod Ipſe Ioannis 5. *Quem ego mittam vobis,* &c. Sed nunquam dicit, eum à Patre mitti, quin faciat commemorationem de ſeipſo: vnde dicit: *quem mittet Pater in nomine meo.* Nec dicit eum mitti à ſe Filio, quin commemoret Patrem: vnde dicit: *Quem ego mittam vobis à Patre.*

Sed quid eſt hoc, quod dicit: *In nomine meo?* Nũquid Spiritus Sanctus nominabatur Filius? Poſſet dici, quod hoc dicitur pro tanto, quia Spiritus Sanctus dabatur fidelibus ad inuocationem nominis Chriſti. Sed melius eſt, vt dicamus, quod ſicut Filius venit in nomine Patris. Ioann. quinto: *Ego veni in nomine Patris mei;* ita & Spiritus Sanctus

venit in nomine Filij. Filius autem in nomine Patris venit, non quod esset Pater, sed quod esset Filius Patris: similiter Spiritus Sanctus venit in nomine Filij, non quod diceretur Filius, sed quod esset Spiritus Filij. Rom. 8. *Si quis spiritum Christi*, &c. Galat. 4. *Misit Deus spiritum filij sui*, &c. non quod diceretur Filius; sed quod esset Spiritus filij. Rom. 8. *Filij sui*, &c. Et hoc quidem propter consubstantialitatem Filij ad Patrem, & Spiritus Sancti ad Filium. Item, sicut Filius veniens in nomine Patris, fideles suos Patri subiecit, Apocal. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum*, &c. Ita Spiritus Sanctus configurat nos Filio, inquantum adoptat nos in Filio in filios Dei. Galat. 3. *Spiritum*, &c. *in quo clamamus Abba pater*.

Consequenter agit de effectu Spiritus Sancti, dicens: (*Ille vos docebit omnia*.) Nam effectus missionis Spiritus Sancti est, ducere fideles ad Filium; Filius autem (cum sit ipsa sapientia genita;) est ipsa veritas: Ioann. 14. *Ego sum via, veritas & vita*: & ideo effectus missionis huiusmodi est, vt faciat homines participes diuinæ sapientiæ & cognitores veritatis. Filius ergo tradit nobis doctrinam, cum sit verbum: Sed Spiritus Sanctus doctrinæ eius nos capaces facit. Dicit ergo: (*Ille vos docebit omnia*.) Quia quæcunque homo doceat extra, nisi Spiritus Sanctus interius det intelligentiam, frustra laborat: Quia nisi Spiritus adsit cordi audientis, otiosus erit sermo doctoris. Iob 31. *Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam*, & intantum, vt etiam ipse Filius organo humanitatis loqui non valeat, nisi ipsemet

ipſemet intérius operetur per Spiritum Sanctum.

Sed attende, quod Ioann. 6. dicit: *Omnis qui audiuit à Patre & didicit:* Hic expedit, quid ſit, quia nō diſcit non docente Spiritu Sancto, quaſi ille qui recipit Spiritum Sanctum à Patre & Filio, ille Patrē cognoſcit & Filium, & ad eos venit. Facit autem nos ſcire omnia interius inſpirando, dirigendo, & ad ſpiritualia eleuando. Sicut enim qui habet guſtum infectum, non habet veram cognitionem de ſaporibus; ita & qui infectus eſt amore mundi, nō poteſt guſtare diuina. 1. Cor. 2. *Animalis autem homo non percipit*, &c.

Sed cum *ſuggerere* ſit minorum, puta officialium in diuinis, nunquid Spiritus Sanctus, qui ſuggerit nobis, eſt nobis minor? Dicendum, ſecundum Gregor. quod Spiritus Sanctus ſuggerere dicitur, non quod nobis ſcientiam ab imo inferat; ſed ab occulto ſubminiſtrat vires ad cognoſcendum. Vel docebit, inquantum nos facit participare ſapientiam filij. *Suggerit*, inquantum nos impellit, prout eſt amor. Vel ſuggeret nobis omnia, id eſt, ad memoriam reducet. Pſalm. 21. *Reminiſcentur, & conuertentur*, &c. Sciendum eſt enim, quod eorū quæ Chriſtus dixit diſcipulis ſuis, quædam non intellexerunt, quorundam autem memoriam non habebant. Dicit ergo Dominus: (*Ille vos docebit omnia,*) quæ intelligere nunc non poteſtis, (*& ſuggeret vobis omnia,*) quæ nō poteſtis memoriæ commendare. Quomodo enim Euangeliſta Ioannes, poſt quadraginta annos potuiſſet omnium verborū Chri-

sti, quæ in Euangelio scripsit, habere memoriam, nisi ei Spiritus S. suggessisset? &c.

II. CONCIONIS DISPOSITIO.

Pacem relinquo vobis, Ioan. 14.

SCOPVS. Promiserat Dominus discipulis suis, quid consecuturi erant ex præsentia Spiritus S. Hic promittit donum, quod consecuturi erant ex aduentu, & præsentia sua. Sciendum tamen, quod si consideretur proprietas personarum, scil. Filij & Spiritus S. videtur Dominus alternare dona. Cum enim Filius sit Verbum, ad eum appropriate pertinere videtur *sapientiæ & cognitionis donū*. Spiritui vero Sancto, cum sit amor, qui est causa pacis, *Pax* appropriatur. Veruntamen, quia Spiritus Sanctus est Filij; & hoc, quod dat Spiritus Sanctus, habet à Filio; ideo Spiritui Sancto attribuit hoc donum cognitionis, vbi dicit: *Ille vos docebit omnia*, &c. quod tamen appropriatur Filio. Quia vero Spiritus Sanctus à Filio procedit, ideo, quod Spiritus Sanctus appropriare facit, attribuitur Filio. Et secundum hunc modum Christus attribuit sibi Pacem dicens: *Pacem*, &c.

PARTITIO.

I. *De gemina pacis promißione.*

II. *De consolatione Discipulorum ex fructu recessus Dominici.*

III. *De consolatione eorundem ex causa mortis Dominicæ.*

PARS

PARS I.

De gemina pacis promissione.

PRimo promittit donum pacis, quam relinquit. *Secundo* distinguit pacem istam à pace mundi.

De I. Dicit: (*Pacem relinquo.*) Sciendum est, quod *Pax est tranquillitas ordinis*, tunc enim aliqua dicuntur pacem habere, quando eorum ordo inturbatus manet. In homine autem est triplex ordo, scil. hominis ad seipsum; hominis ad Deum; & hominis ad proximum. Et est sic triplex pax in homine: quædam intrinseca, secundum quam pacificatur sibiipsi, absque perturbatione virium. Psalm. 118. *Pax multa diligentibus*, &c. Alia est per quam homo pacificatur Deo, totaliter eius ordinationi subiectus. Rom. 5. *Iustificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum.* Tertia pax est ad proximum. Hebr. 13. *Pacem sequimini cum omnibus Sanctis, & sanctimoniam.*

Sed nota, quod in nobis tria ordinari debent, sc. intellectus, voluntas, & appetitus sensitiuus. Vt videlicet voluntas dirigatur secundum mentem, seu rationem: Appetitus vero sensitiuus secundũ intellectum & voluntatem. Et ideo Aug. in lib. de Ver. Dom. pacem Sanctorum diffiniens, dicit: *Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis.* Vt serenitas mentis referatur ad rationem, quæ debet esse libera nõ ligata; nec absorpta aliqua inordinata affectione. Tranquillitas animi referatur ad sensitiuã; quæ debet à molestatione passionum quiescere.

Simplicitas cordis referatur ad voluntatem, quæ debet in Deum obiectum suum totaliter ferre. Amoris vinculum referatur ad proximum. Consortium charitatis ad Deum.

De II. Hanc autem pacem hic Sancti habent; & habebunt in futuro, sed hic quidem imperfecte, quia nec ad nos, nec ad Deum, nec ad proximũ pacem sine perturbatione aliqua possumus habere. Sed in futuro habebimus eam perfecte, quando sine hoste regnabimus. Vbi nunquam poterimus dissentire.

Et vtramque hic Dominus nobis promittit. *Primam* cum dicit: (*Pacem relinquo vobis,*) in hoc sc. sæculo, vt hostem vincatis, & vt inuicem diligatis; quod est quasi testamentum seruandum nobis statutum à Christo. Eccl. 45. *Statuit illi testamentum pacis & principem*, &c. Sicut Augustinus dicit: *Non poterit ad hæreditatem Domini peruenire, qui testamentum eius noluerit obseruare. Nec potest concordiam habere cum Christo, qui discors esse voluerit cum Christiano.* *Secundam* vero cum dicit: (*Pacem meam do vobis,*) scilicet in futuro. Isa. vlt. *Declinabo super eam*, scilicet Hierusalem cœlestem, *quasi flumen pacis.* Sed cũ siue in mundo, siue in patria tota pax sanctorum proueniat eis per Christum. Ioann. 16. *In me pacem habebitis.*

Quare Dominus loquens de pace Sanctorum in via, non dicit: Pacem meam do vobis, sed tantum cum loquitur de pace Sanctorum in patria? Dicendum, quod vtraque pax, scilicet, præsens & futura, est Christi; sed præsens vt Acto-

ris

ris tantum; Futura autem eſt eius, vt actoris & poſſeſſoris. Nam ipſam ſemper habuit, quia ſemper fuit abſque contradictione. Pax autem præſens, vt dictum eſt, eſt cum contradictione aliqua, & ideo licet eam faciat, non tamen eam poſsidet. Et ſecundum prædicta, expoſitio procedit de pace temporis, & pace æternitatis. Sed ſecundum Auguſt. poteſt vtrumque exponi de pace temporis, & dicit: (*Pacem relinquo*, &cæt.) exemplo. Sed (*do pacem meam*,) poteſtate & virtute.

Conſequenter cum dicit: (*Non quomodo mundus dat.*) Ipſam pacem à pace mundi diſtinguit. Diſtinguitur autem pax Sanctorum à pace mundi quã-tum ad tria. *Primo* quantum ad intentionem: nam pax mundi ordinatur ad quietam & pacificam fruitionem temporalium. Quo fit, vt quandoq; cooperetur hominibus ad peccandum. Sap. 14. *In magno viuentes in ſcientiæ bello tot & tam magna*, &c. Sed pax Sanctorum ordinatur ad bona æterna. Eſt ergo ſenſus: (*Non quomodo mundus dat, ego do.*) id eſt non ad eundem finem; quia mundus dat quantũ ad exteriora quiete poſsidenda, ego vero do quantum ad æterna adipiſcenda. *Secundo* vero quãtum ad ſimulationem & veritatem: quia pax mundi eſt ſimulata, & tantum exterius. Pſalm. 27. *Loquuntur pacem cum proximo ſuo*, &c. Pax vero Chriſti eſt vera, quia eſt interius & exterius. Et ſic eſt ſenſus: (*Non quomodo mundus dat,*) id eſt, ſimulatam pacem do, ſicut mundus: ſed veram. *Tertio*, quantum ad perfectionem, quia pax mundi eſt imperfecta; cũ ſit tantum ad quietem exterioris hominis, & non

interioris. Isai. 59. *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Sed pax Christi quietat interius & exterius. Ps. 118. *Pax multa diligentibus,* &c. Et est sensus: (*Non quomodo mundus dat,*) i. non ita imperfectam.

PARS II.

De consolatione ex fructu recessus Dominici.

IAm erat Dominus consolatus discipulos suos rationibus, acceptis ex parte ipsorum discipulorum, promittendo eis Accessum ad Patrem; Aduentum Spiritus Sancti; & suum Reditum: hic vero consolatur eos rationibus acceptis ex parte Sui ipsius. Ex qua poterat eis esse duplex causa consolationis. *Vna* ex vtilitate fructus, qui sequebatur ex recessu Christi: *Alia* ex causa mortis. Et hic ponit primam. Fructus autem qui sequebatur ex recessu Christi, erat exaltatio sua, &c. vnde discipuli poterant consolari. Mos enim amicorum est, vt cum amicus ad suam exaltationem vadit, de eius recessu minus desolentur: & ideo Dominus hanc causam ponit ad eorum consolationem. Et *primo* excludit cordis dubitationem. *Secundo* cõmemorat quoddam, quod eos partim consolabatur, partim turbabat. *Tertio* subdit causam totalem consolationis. *Quarto* respondet cuidam tacitæ quæstioni.

De I. Turbatione quidẽ cordis excludit dicens: (*Non turbetur cor vestrum,* &c.) Turbatio ad tristitiam refertur: Formido ad timorem: Tristitia autem & timor in aliquo quidem conueniunt, in hoc scilicet, quod vtrumque est de malo: sed differunt;

runt; quia tristitia est de malo præsenti, formido autem de malo futuro. Dicit autem Dominus: (*Non turbetur cor vestrum,*) de malo præsenti. Ps. 110. *Iustus non commouebitur neque formidabit*, scil. de futuro. Isai. 51. *Quis tu vt timeas?* &c. quod intellige de timore humano. Nam timorem diuinum non excludit.

De II. Consequenter cum dicit: (*Audistis, quia ego dixi vobis,* &c.) Turbabantur enim ex recessu Christi, sed in parte consolabantur, quod subdit: (*& venio ad vos.*) Supra: *Vado & venio ad vos.* Non tamen ex hoc consolabantur totaliter; timentes ne forsitan gregem lupus hoc interuallo inuaderet in pastoris absentia: secundum illud Zach. 13. *Percute pastorem, & dispergentur*, &c. Dicit ergo: (*Non turbetur, quia vado,*) sed (*nec formidet, quia venio ad vos.*) Vadit quidem sua potestate moriendo, & venit resurgendo. Matth. 20. *Filius hominis tradetur principibus sacerdotum*, &c. *Et tertia die resurget.* Iuit ascendendo. Isaiæ 63. *Iste formosus in stola sua, gradiens*, &cæt. *veniet ad iudicandum.* Luc. 21. *Videbunt* Filium *hominis, &c.*

De III. Totaliter autem consolatur eos cum dicit: (*Si diligeritis me*, &c.) quasi dicat: Si diligitis me, non debetis contristari, sed potius debetis gaudere de recessu meo, quia vado ad exaltationem meam, (*quia*) scil. *vado ad Patrem, qui maior me est.*

Sed ex hoc Arrius insultat, dicens, Patrem maiorem esse Filio. Cuius error ipsis verbis Domini excluditur. Nam ex intellectu eius, quomodo intelligitur: *Vado ad Patrem*, ex eodem intelligitur,

(*Pater*

Pater maior me est.) Filius autem non vadit ad Patrem, nec venit ad nos, inquantum est Filius Dei, secundum quod cum Patre fuit ab æterno. Ioan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Sed dicitur ire ad Patrem, secundum humanam naturam. Sic ergo hoc, quod dicit, (*maior me est,*) non dicit inquantum Filius Dei, sed filius hominis: secundum quod non solum est minor Patre & Spiritu Sancto, sed etiam ipsis Angelis. Hebr. 2. *Eum autem qui modico, quam angeli minoratus est, videmus Iesum,* &c. Item quibusdam hominibus, scilicet, *parentibus subditus erat,* quantum ad aliquid. Luc. 2. Sic ergo minor est Patre secundum humanitatẽ; æqualis secundum diuinitatem. Philipp. 2. *Non rapinam arbitratus est,* &c. 2. Potest etiam dici secundum Hylarium, quod Pater etiam secundum Diuinitatem maior est Filio: sed tamen Filius non est minor; sed æqualis. Est enim Pater maior Filio non potestate, æternitate, & magnitudine; sed donantis seu principij autoritate. Nam Pater nihil ab alio accipit, Filius autem naturam, vt ita dicam, à Patre accipit per æternam generationem. Est ergo Pater maior, quia datur: sed Filius non est minor, sed æqualis; quia totum quod Pater habet, accipit. Philipp. 2. *Dedit ei nomen, quod est super omne nomen.* Minor enim iam nõ est donante, cui vnum esse donatur. 3. Chrysosto. autem ita exponit dicens; quod Dominus loquitur secundum suspicionem Apostolorum; qui nondum nouerant, quid sit resurrectio, nec eum æqualem Patri existimabant. Et ideo dicit eis: *Et si non creditis mihi,*

quod

quod non possum mihi assistere, nec confiditis, quod post crucem rursus vos videbo; tamen credatis mihi, (*quia vado ad Patrem, qui maior me est.*

De IV. Respondet autem tacitæ quæstioni, dicens: (*Et tunc dixi vobis*, &c.) Possent enim quærere. Quare ista diceret? Et ideo præueniens: (*Nunc dixi vobis*, &c.) Sed quærit Augustin. cum fides sit de his, quæ non videntur; non debet homo credere, postquam factum est, sed ante. Dicendum, quod aliud videbant, & aliud credebant. Viderunt ante mortem Christi & eius resurrectionem; quo viso, crediderunt, quod ipse esset Christus Filius Dei. Vnde cum factum fuit, non crediderunt fide noua; sed aucta; aut certe cum mortuus esset defecta, cum surrexisset refecta, vt Augustinus dicit.

PARS III.

De consolatione Apostolorum ex causa mortis Dominicæ.

SCiendum est autem, quod causa mortis quædam est inducens dolorem, cum quis pro culpa occiditur: Quædam est inducens consolationem, cum quis scilicet, moritur pro bono virtutis. 1. Petri 4. *Nemo vestrum patiatur vt fur aut homicida.* Circa hoc ergo *primo* ostendit Dominus, quod peccatum non fuit causa suæ mortis. *Secundo*, quod eius causa fuit virtus obedientiæ & charitatis.

De I. *Iam non multa loquar vobiscum.*) 1. Propter

tempo-

temporis breuitatem. Ioan. 13. *Filioli adhuc modicum*, &c. 2. Vel quia nondum capaces estis. Ioan. 16. *Adhuc multa habeo vobis loqui, sed non potestis*, &c. 3. Vel ideo, quia in vno breui sermone explicabo vobis, quod non moriar ex culpa mea.

De II. Et hoc facit consequenter, cum dicit: (*Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.*) scilicet diabolus; qui dicitur princeps, non ratione creationis, neque per naturalem potestatem; vt Manichæi blasphemant: sed ratione culpæ huius, id est amatorum mundi. Vnde dicitur princeps mundi, & peccati. Ephesiorum vltimo: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, sed aduersus rectores & principes tenebrarum harum*. Non ergo est princeps creaturarum, sed peccatorum & tenebrarum. Iob 41. *Ille est Rex super omnes filios superbiæ*. Hic ergo princeps venit ad persequendum. Intrauit enim in cor Iudæ, vt proderet: Iudæorum vero, vt occiderent, (*sed in me non habet quicquam.*) Nam in nobis non habet potestatem, nisi propter peccatum. Ioan. 8. *Qui facit peccatum, seruus est peccati*. In Christo autem nullum peccatum erat: neque secundum animam: 1. Petri 2. *Qui peccatum non fecit*, &cæt. Neque secundum carnem; quia ex Virgine absque originali peccato de Spiritu Sancto conceptus. Luc. 1. *Quod enim ex te nascetur Sanctum*, &cæt. Quia ergo diabolus Christum, in quo nullum ius habuit, etiam inuasit; perdere meruit, quod iuste possidebat. Marci 5. *Quid nobis & tibi Iesu*, &cæt. Sic ergo patet, quod causa mortis suæ non

non fuit culpa; ſed nec erat, cur moreretur, ſi non habet peccatum.

Conſequenter veram cauſam adiungit, quæ eſt bonum virtutis. Et ideo dicit: (*Sed vt cognoſcat mũdus, quia,* &c.) Quod ſecundum Auguſtinum ſic punctuatur. (*Sed vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.*) Vbi ſciendum eſt, quod duo mouerunt Chriſtum ad mortem ſuſtinendam, ſcilicet amor Dei, & dilectio proximi. Epheſiorum 5. *Ambulate in dilectione.* Et hoc probat per iudicium, quia mandata ſua implet. Supra: *Si diligitis me, mandata mea ſeruate.* Et quantum ad hoc dicit: (*Sed vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem,* &c.) Et hoc efficaciter, quia ſcilicet morior, vnde ſubdit: (*Et ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.*) Quod eſt ſecundum, quo Pater mouit eum ad mortem ſuſcipiendam, ſcilicet obedientia, quæ ex amore cauſatur. *Mandatum autem hoc dedit mihi Pater,* non Filio Dei; qui cum ſit Verbum, eſt etiam mandatum Patris: ſed *dedit Filio hominis,* inquantum animæ eius inſpirauit, neceſſarium eſſe ſaluti humanæ, vt Chriſtus in humana natura moreretur.

DOMI-

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

Homo quidam erat diues, & induebatur. Luc. 16.

SCOPVS. Poſt exemplum pietatis humanæ in operibus miſericordiæ exercendis ſubditur hic exemplum impietatis punitæ. Quia, ad literam hiſtoricam, non parabolicam, iſte diues in delitiis fuit, & poſtmodum in tormentis. Vnde Gloſſa Bedæ: *Contra deriſores auaros, quod propoſuerat, exemplo aſtruit*: ſcil. Quod diues apud inferos ideo torquebatur, quia Lazarum non fecit ſibi amicum, à quo recipi poſsit in æterna tabernacula.

PARTITIO.

I. *De immiſericordiæ culpa in Epulone.*
II. *De eiuſdem cauſa.*
III. *De pœna miſeriæ inflicta epuloni.*

PARS I.

De culpa immiſericordiæ in epulone.

IMmiſericordiæ cauſa eſt amor priuati boni. De hac circa diuitem Euangeliſta introducit tria. *Primo*. Concupiſcentiam oculorum. *Secundo*, Superbiam vitæ. *Tertio*, Concupiſcentiam carnis.

De I. *Quoad concupiſcentiam oculorum.*

Homo

Homo quidam erat diues.] Homo iste diues dicitur non solum propter diuitiarum possessionem, sed propter earum dilectionem. Vnde 1. Timo. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli* &c. Quia ratione dilectionis terrenorum incrassatur, & prægrauatur spiritus, vt non possit peruenire in sublimia regna cœlorum. Propter quod Matth. 19. *Facilius est camelum per foramẽ acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* Hoc explicat B. Marcus cap. 10. *Filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis in regnum Dei introire? Facilius est camelum*, &c. De huiusmodi diuite dicitur: Eccles. 13. *Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator iusto. Quæ communicatio sancto homini ad canem? Aut quæ pars bona diuiti ad pauperem: Venatio leonis onager in eremo: sic & pascua diuitum sunt pauperes. Et sicut abominatio est superbo humilitas, sic execratio diuitis pauper.*

De II. *Quoad superbiam vitæ.*

Et induebatur purpura & bysso.] Bedæ Glossa in hũc locum: *Purpuram regij habitus, esse colorem marinis è conchyliis tinctam. Nemo est fere qui dubitet. Nam conchylia ferro circumcisa lacrymas purpurei coloris, quibus lana tingitur, emittunt. Byssum vero genus est quoddam lini, nimirum candidi, & mollissimi.* Habebat autem hic vestimenta pulcra & pretiosa ad vanam gloriam. Vnde Gregor. homilia 40. in Euang. To. 2. *Nemo vestimenta pretiosa, nisi ad gloriam, quærit, vt honorabilior cæteris habeatur.* Et hoc quidem est reprehensibile & peccatum; propter quod dicitur Ec-

clesi. 11. *In vestitu ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris.*

Peccatur autem in vestibus quadrupliciter. *Primo*, propter pretiositatem. Vnde Bedæ Glossa in hunc locum: *Si cultus pretiosarum vestium culpa non esset, sermo Dei non tam vigilanter exprimeret, quod diues hic torqueretur.* Perabsurdum est autem putre corpus pretiose vestiri, vt multi pauperes nutriri. Excusatur vero hoc ratione dignitatis personę, significantiæ, & cautelæ. Secundo propter superabundantiam. Iacob. 5. *Vestimenta vestra à tineis comesta sunt*, &c. *thesaurizatis vobis iram in nouissimis diebus.* Et hoc ad iniuriam pauperum. Vnde Iob 24. *Nudos dimittunt homines indumenta tollentes*, quibus non est operimentum. Hieronym. *Aliena rapere conuincitur, qui temporalia vltra necessitatem habere comprobatur. Tertio*, propter curiositatem Matth. 6. *De vestimentis quid soliciti estis: Considerate lilia agri, quomodo crescunt: Non laborant, neque nent. Dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Quarto*, propter indecentiam. Quia non decet Clericum vestiri vt mulierem, vel vt histrionem. Sophon. 1. *Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina.* Deut. 22. *Nec vir vtetur veste fœminea.* Hisce modis vanitas in vestitu gloriatur, sed ad instar Æsopicæ corniculæ. Hieronymus: *Ouis de lana, & vermis de serico debet gloriari: non homo, putredo, & filius hominis vermis.*

De III. *Quoad concupiscentiam carnis.*

Et epulabatur, &c.] Glossa: *Ecce voracitas, quæ plurimum*

rimum habet luxuriam adiunctam. Iaco. 5. *Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra.*

NOTA: Est splendor in epulatione spiritali, quẽ facit sapientia. Estque laudabilis. Vt Luc. 15. *Manducemus & epulemur, quia hic filius,* &c. Est splendida; quia venit ex fonte luminis æterni. Psalm 35. *Inebriabantur ab vbertate,* &c. *quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Psalm. eodem: *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsq; ad domum Dei.* Item est splendor in epulatione corporali, quem facit misericordia. Et hic laudabilis est. 2. Cor. 9. *Non ex tristitia, aut necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Ecclesi. 31. *Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & testimonium veritatis illius fidele.* Est & splendor in epulone carnali, quem parat lasciuia. Zach. 7. *Nunquid non vobis comedistis & bibistis.* Et is non solum est in ferculis, sed & in vasis aureis, &c. Lucanus:

O quæsitorum terrâ pelagoque ciborum.
Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ.

Bernard. To. 2. in Apol. ad Guiliel. *Voluptas gutturis, quæ hodie tanti æstimatur, vix duorum spacium obtinet digitorum. Huius tam modicæ partis tam exigua delectatio, quanta paratur solicitudine? Quantam denique molestiam parit?* Hæc autem abundantia epularum parit inopiam sapientiæ & virtutum; & frequenter etiam bonorum temporalium. Prou. 21. *Qui diligit epulas, in egestate erit, & qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.*

PARS II.

De immisericordiæ culpa.

HÆc reprehensibilis est ex triplici circumstantia, sc. ex parte pauperis, qui ab Euangelista ostenditur misericordia dignus, & diues ille per cõsequens immisericors & impius. Ostenditur enim immisericors: *Primo*, Respectu pauperis languidi. *Secundo*, Respectu pauperis derelicti. *Tertio*, Respectu pauperis Deo chari & iusti.

De I. ait: *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus.*] Nota, quod cum diues nominatus sit nomine cõmuni, pauper nominatur nomine proprio. Vt ostendatur illud, quod dicitur in Psal. 71. *Parcet pauperi & inopi, &c, honorabile nomen eorum coram illo.* Vnde Glossa: *Pauper humilis per approbationem ex nomine scitur.* Vnde Dominus Moysi Exod. 33. *Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me.* Et hoc quidem magnum est. Vnde licet de diuitibus dicatur in Psal. 48. *Vocauerunt nomina sua in terris.* Pauperibus dicitur Luc. 10. *Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.*

NOTA. Quod immisericordia diuitis aggrauatur 1. Ex hoc quod ille *pauper* erat *vnicus.* Vnde dicit (*quidam*) Psal. 24. *Respice in me & miserere mei: quia vnicus & pauper sum ego.* 2. Aggrauatur: Quia erat mendicus. Vnde addit: (*Mendicus*) quasi pulsans ad ostium per petitionem eleemosynam. Eccles. 4. *Rogationem contribulati ne abiicias, & non auertas faciem tuam ab egeno.* 3. Aggrauatur. Quia erat mani-

manifestus, & (*iacebat ad ianuam:*) vt diues iam non posset de ignorantia excusari. Vnde 1. Ioan. 3. *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua.* O quam dissimilis iste Iob 31. *Foris non mãsit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Quam dissimilis Abrahæ Gen. 18. qui sedebat in ostio tabernaculi, vt statim susciperet peregrinos. 4. Aggrauatur etiam, quia erat languidus; ideo subdit: (*Vlceribus plenus.*) Eccl. 7. *Non te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaris.* Vnde dicere quibat, Psal. 68. *Ego sum pauper & dolens,* &c. 5. Aggrauatur, quia erat famelicus, (*cupiens saturari.*) Isa. 58. *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam,* &c. Eccles. 4. *Animam esurientem ne despexeris. Non exasperes pauperem in inopia sua.* 6. Aggrauatur: Quia fuisset micis contentus. Iob 22. *Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem.* Ambros. lib. 8. in 16. Luc. Tom. 3. *Diuites tanquam supra naturam siti, de miseriis pauperum incentiua suarum captant voluptatum.* Ex his sex manifeste ostenditur istius egestas, quæ dignum ipsum misericordia faciebat: & diuitem de duritia reprehensibilem.

De II. *Quoad pauperis derelictionem.*

(*Et nemo illi dabat.*) Dicere poterat: Isai. 63. *Circumspexi, & non erat auxiliator, quæsiui, & non fuit, qui adiuuaret.* Et Eccles. 9. Nullus eius recordatus est. Quia Prou. 19. *Fratres omnes pauperis oderunt eum: insuper & amici eius procul recesserunt ab eo.* Erat ergo vere derelictus. Psalm. 6. *Tibi derelictus est pauper,* &c.

Quia nullus eius indicabat egestatem: nullus etiam fouebat infirmitatem. [*Sed canes lingebat, &c.*] Glossa: *Hos nec à se remouere poterat, nec alius erat, qui remoueret.* Quo inexcusabilior diues erat, qui canibus fuit benignior, quam pauperi; & canes ipso mitiores erant ei. Vnde Rauennas: *Canes pauperis vlcera curant magisterio naturæ: diues pauperem negligit naturâ accusante.* Contra Iob 5. *Visitans speciem tuam, non peccabis.* Vnde Petrus Rauennas: *Miser diues, qui micam pauperi non dedisti, saltem quare canes abigere neglexisti? sed canes tui mitiores te. Imo tu immitior eis, & mitior canibus tuis quam pauperi fuisti. Canes tui aliquando pinguia, sed pauper nec micam de mensa tua recepit.* Ex magnitudine igitur miseri ac pauperis aggrauatur immisericordia diuitis; & ex abundantia diuitis augetur patientia pauperis. Gregor. hic hom. 40. *In vna re duo Dei iudicia exprimuntur, cum ex visione pauperis diuiti non miserenti cumulus damnationis infertur.* Et rursus: *Etiam ex visione diuitis quotidie tentatus pauper probatur.* Prouer. 22. *Diues & pauper obuiauerunt sibi, vtriusque operator est Dominus.*

De III. *Quoad pauperis sanctitatem.*

Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis.] Ergo sanctus erat. Sap. 3. *Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Rauennas: *Non dedignantur illum portare Angeli, cui prius hic ministrabant.* Heb. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus.* Merito isti pauperi angelica deputantur officia, cui tam crudeliter denegata sunt obsequia.

Et portatus est in sinum Abrahæ,] id est, in limbum: vbi

vbi erat collectio multarum Gentium, quarum pater erat Abraham, cui primo facta est promissio Messiæ. Dicitur verò sinus, quod ibi Sancti velut in sinu abscondantur, foueantur, & custodiantur. Isa. 4. *Super omnem gloriam protectio: & tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine, & à pluuia.* Et Psalm. 26. *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorũ protexit me in abscondito tabernaculi sui.* In hoc sinu Lazarus ab omnibus malis est subtractus, secundum Iob. 5. *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum; in fame, eruit te de morte, & in bello, à manu gladij; à flagello linguæ absconderis: & non timebis calamitatem, cum venerit: Et scies, quod pacem habeat tabernaculum tuum.*

NOTA. Sinus est culpabilis, laudabilis, & desiderabilis.

1. Culpabilis triplex est. 1. Carnalitatis Prouerbiorum quinto: *Quare seduceris, fili mi, ab aliena, & foueris in sinu alterius?* Prouerbiorum 6. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant?* &cæt. *Si quis ingreditur ad vxorem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam.*

2. Cupiditatis, Prouerbiorum 17. *Munera de sinu impius accipit, vt peruertat semitas iudicij.*

3. Crudelitatis, 3. Regum 3. *Tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocauit in sinu suo: suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo.* Iob 31. *Si abscondi quasi homo peccatum meum.*

1, Sinus laudabilis triplex est. 1. Sinu. Humilitatis in abscondendo: Exod. 4 *Retrahe m num tuum in sinum tuum retraxit, & protulit: & erat similis carn. reliqua, &c.* 2. Benignitatis in refouendo: Prou. 21. *Munus absconditum extinguit iras; Et donum in sinu i idignationem maximam.* 3. Longanimitatis in conseruando; Iob. 19. *Reposita est hac spes mea in sinu meo,* Exodi 43. *In sinu eius erat cubitus. & cubitus in latitudine, & definitio eius, vsque ad labium eius:*

3. Sinus desiderabilis est Abrahæ; id est, sedes beatarum animarum. Matth. 8. *Multi ab Oriente & Occidente venient recumbent cum Abraham Isac & Iacob, in regno cœlorum.*

PARS III.

De pœna miseria inflicta epuloni.

TRia hic. *Primo*: Deiectio in locum miseriæ. *Secundo*. Elongatio à loco iustorum. *Tertio*. Pœnarum acerbitas.

De I. (*Mortuus est diues:*) per desertionem temporalium gaudiorum. Idque triplici morte. *Prima est culpa*, qua separatur anima à Deo. Hac mortuus erat dum viueret. Sicut 1. Timoth. 5. *Vidua qua in delitiis est, viuens mortua est.* Anima enim à Deo separata, est vidua,

Secunda mors est naturæ; qua anima separatur à corpore. Ecclesiast. 4. *O mors, quam amara est memoria tua homini, pacem habenti in substantiis suis.*

Tertia mors est gehennæ, qua separatur anima à vita

à vita beata. Apoc. 20. *Infernus & mors missi sunt in stagnum ignis*. Et hæc mors triplex designatur Apoc. 8. *Væ væ væ habitantibus in terra.*

(*Et sepultus est in inferno,*) per deiectionem in locum suppliciorum. Idque 1. ob superbiam Isa. 14. *Detracta est ad inferos superbia tua; concidit cadauer tuum.* 2. Ob lasciuiam Iob 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* 3. Ob immisericordiam Psalm. 84. *Sicut oues in inferno positi sunt; mors depascet eos,* Psalm. 54. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes: quoniam nequitia in habitaculis eorum.* &c.

Mira differentia inter parochianos Christi & diaboli; Quia illi sublimantur in cœlo; isti sepeliuntur in inferno. Iob. 17. *In profundissimum descendunt omnia mea.* Psalm. 62. *Ipsi introibunt in inferiora terræ; tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.*

De II. *Quoad elongationem à loco iustorum.*

(*Eleuans oculos suos, cum esset in tormentis.*) Apocal. 14. *Vbi fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum præparata est ab heri Tophet.* Isa. 30. *Nutrimenta eius ignis & ligna multa; flatus Domini sicut torrens sulphuris succedens eam.* (*Vidit Abraham à longe, &c.*) Vere à longe. *Primo* quoad situm, & quoad statum. 1. Quia diues in imo, pauper in summo erat loco. Prou. 29. *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria.* Prou. 14. *Iacebunt mali ante bonos & impii ante portas iustorum.* Isa. 65. *Diues in afflictione erat, pauper in requie: Serui mei comedent, & vos esurietis.*

rietis. 2. Quia diues in egestate, & pauper erat in abundantia. Lucæ 1. *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Psalm. 21. *Edent pauperes & saturabuntur.* Psalm. 33. *Diuites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.* 3. Diues vidit Abraham non ad solatium, sed ad tormentum. Vnde Gregorius hom. 40. in Euangel. *Credendum est, quod ante retributionem extremi iudicij iniusti in requie quosdam iustos conspiciunt, vt eos videntes in gaudio non solum de suo supplicio, verum etiam de eorum bono crucientur.* Psalm. 101. *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet: desiderium peccatorum peribit.* Sap. 5. *Videntes turbabuntur timore horribili,* &c.

De III. *Quoad aggregationem calamitatum.*

Clamans dixit: *Pater Abraham miserere mei.*] Clamor est index mœstitiæ. Iuxta Isa. 65. *Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis.* Iusta hæc pœna diuitis est. Nam Prouerb. 21. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.*

Mitte Lazarum, vt, &c.] Vt sic ex petitione guttæ aquæ appareat inopia. Iob 27. *Diues cum dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos suos & nihil inueniet: Apprehendet eum, quasi aqua inopia.* Psalm. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Vnde Chrysost. Tom. 1. in Psalm. 25. *Qui in pretiosis excessit in culpa, vilissima hic petiit in pœna, &c. Lazarum videre non dignabaris, & nunc*

& nunc extremum eius digitum desideras? Bed. hic To. 5. Glossæ: *Diues ille qui mensæ suæ minima dare noluit, in inferno positus vsque ad minima quærenda peruenit. Nam guttam aquæ petiit, qui Lazaro micam panis negauit.* Prouerb. 18. *Qui dat pauperi, non indigebit, qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.*

Vt refrigeret linguam meam. Sic ex afflictione linguæ apparet rectitudo diuinæ iustitiæ: Vnde Rauennas: *Si iam te totum possidet infernus; quare solius linguæ desideras æstibus subueniri? An, quia lingua magis ardet, quæ pauperi insultauit? Qui misericordiam denegauit? Hæc præcedit ad iudicium, quæ præcessit ad peccatum. Hæc primo degustat cruciatus, quæ pretiosos cibos & odora pocula degustauit.* Nimirum Sapient. 11. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Vnde Beda hic: *Nota, quod, (sicut mos est inter conuiuia,) loquacitati studuit, & ideo grauius in lingua ardere perhibetur.* Vnde Prouerb. 10. *In multiloquio non deerit peccatum.*

Quia crucior in hac flamma.] Vt sic appareat rigor diuinæ iustitiæ, Psalm. 10. *Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui.* Deuteron. 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.* Quare Ecclesiast. 7. *Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij ignis & vermis.*

NOTA, quod flamma hæc fuerit vera, sed lingua imaginaria. Quia verus ignis cruciat spiritus, Mat. 25. *Discedite à me maledicti in ignem, &c.* Anima etiam affligitur sub imaginibus, quas traxit à corpore. Sapient. 17 *Apparebat illis subitaneus ignis timore plenus, & timore percussi illius, quæ non videbatur, faciei*

æstima-

æstimabant deteriora esse, quæ videbantur. Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris. Itaque damnatorum pœna duplex est: Vera seu naturalis, & imaginaria seu supernaturalis. Vel, quod idẽ, intrinseca seu propria; & extrinseca seu aliena. Atque ita impletur illud Sap. 5. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.*

Lingua hic exprimitur in pœna; quia quasi fomes iniquitatis est in culpa Iacob. 3. *Lingua modicum membrum est & magna exaltat: Ecce quantus ignis, quam magnam syluam incendit? Lingua ignis est, & vniuersitas iniquitatis, maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna. Omnis enim natura bestiarum*, &c. *domatur: Linguam autem nullus hominum domare potest. Inquietum malũ, plenum est veneno mortifero.*

Causa; Quia lingua impugnat 1. diuinam maiestatem. 2. Veritatem 3. Bonitatem. 4. Mutuam charitatem. 5. Et morum omnium honestatem. I. *Maiestatem* per verba iactantiæ. Psalm. 11. *Qui dixerunt linguam nostram magnificabimus*, &c. *Disperdat Dominus vniuersa labia, & linguam magniloquam.* Item per blasphemias. Apoc. 16. *Commanducauerũt linguas suas præ dolore, & blasphemauerunt Deum.* 2. Machab. 15. *Linguam impij Nicanoris præcisam iussit particulatim auibus dari. Blasphemauerat enim.* 2. *Veritatem* per mendacia. Prouerb. 26. *Lingua fallax nõ amat veritatem, & os lubricum operatur minas. Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis.* Iere. 9. *Docuerunt linguam suam loqui mendacium.* Psal. 77. *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut noua-*

nouacula acuta fecisti dolum. Psal. 49. *Lingua tua concinnabat dolos* Eccles. 5. *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam: sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua.*

3. *Bonitatem* per blanditias. Prou. 6. *Custodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extranea.* Eccl. 20. *Fatuo non erit amicus, & non erit gratia in bonis illius. Qui enim edunt panem illius falsæ linguæ sunt.* Prouerb. 28. *Qui corripit hominem*, &c. Item per detractionẽ Eccl. 28. *Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ.* Prouerb. 25. *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire detrahentem.* Iob 20. *Ventus Aquilo, dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem. Cum dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud sub lingua sua.*

4. Impugnat mutuam charitatem lingua per rixas. Psalm. 30. *Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* Eccles. 8. *Non litiges cum homine linguato, & non strues in ignem illius ligna.* Eccles. 4. *Noli citatus esse in lingua tua.* Item per verba prouocantia, Psalm. 56. *Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ*, &c. Ierem. 56. *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta.* Psal. 139. *Acuerunt linguas suas sicut serpentes.*

5. Lingua impugnat omnem honestatem morum, per verba impudica. Eccles. 51. *Liberasti me à lingua coinquata, & à verbo mendacij.* Item per verba infructuosa, Iacobi 1. *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam*, &c. Eccles. 19. *Quis est qui non deliquit in lingua sua.* Ideo Iacob. 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Vnde Prou. 16.

Hominis

Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam. Ideo Prouerb. 18. *Mors & vita in manibus linguæ.* Hinc orabat Ecclesiasticus cap. 22. *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non eadem in ipsis, & lingua mea perdat me?*

II. CONCIONIS DISPOSITIO.

Dixit illi Abraham, &c. Luc. 16.

SCOPVS. Postquam descripsit pœnam quoad miseriam inflictam, hic nunc describit eam, quoad misericordiam denegatam.

PARTITIO.

I. *De denegatione misericordiæ, respectu personæ propriæ.*

II. *De eadem respectu personæ coniunctæ, seu fratrum.*

PARS I.

De denegatione misericordiæ.

HIc tria. *Primo*, Dissimilitudo meritorum. *Secundo*, Oppositio stipendiorum. *Tertio*, Rectitudo diuinorum iudiciorum.

De I. *Dixit illi Abraham: fili:*] Filium vocat, non ex imitatione, sed ex naturali generatione. Sicut Psalm. 17. *Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt.* Vnde Rauennas: *Tu vocas me patrem, & ego te filium, vt tu grauiter doleas perdidisse quod natus es.*

tus es: Quod tibi gratia dederat & natura. Huic filio dicit, vt recordetur bonorum, non ad solatium, sed potius ad tormentum. Vnde Boëtius: *Infœlicißimum genus fortunæ est, fuisse fœlicem.* Augustinus Sermone 2. de Tempore Tom. 10. *Diues iste aliquid boni habuit, ex quo bonum transitorium in hac vita recepit. Erat enim ex illis, de quibus Christus* Matth. 6. *Amen dico vobis receperunt mercedem suam.*

Et Lazarus similiter mala.] Ad tempus, ad purganda mala culpæ, & acquirenda bona gloriæ. Vnde Beda hîc: *Lazarus mali aliquid habuit, sed ignis inopiæ purgauit.* Gregorius homilia 40. in Euang. *Si quæ reprehensibilia in pauperibus videmus, non debemus despicere, quia fortasse quos morum infirmitas vulnerat, hos medicina paupertatis sanat.* Nempe Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Itaque Eccles. 8. *Sunt iusti, quibus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorum,* Sed Tobiæ 12. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.*

De II. *Quoad oppositionem stipendiorum.*

Nunc autem hic.] Ioannis 16. *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Ideo Matthæi 5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Nam 1. ad Corinthios 4. *Quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum ingens gloriæ pondus operabitur.* Ideo Iacobi 1. *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: Beatus vir qui suffert tentationem.*

Chry-

Chrysost. *Si ægrotamus, si pauperes sumus, gaudeamus. Accipiamus mala in vita nostra, vt post recipiamus bona.* Nam sic Propheta: *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* In huius figuram Ioan. 2. *In nuptiis aqua conuersa est in vinum.*

At è contra: (*Diues cruciatur.*) Luc. 6. *Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram.* Prouerb. 14. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Vnde Gregor. hom. 14. in Euangel. *Momentaneum est, quod delectat: sed æternum est, quod cruciat.*

De III. *Quoad rectitudinem diuinorum iudiciorum.*

Inter nos & vos chaos.] Notatur impossibilitas transeundi. Nam Eccl. 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Ergo Ioann. 12. *Ambulate, dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant*, id est, *chaos*. Ambros. hic Tom. 8. *Inter pauperem & diuitem chaos est: Quia post mortem nequeunt merita mutari, nec consolatio mutua haberi.*

Qui volunt huc transire, &c. Vnde Gregor. *Hinc iustorum animæ etsi in naturæ suæ bonitate misericordiam habent; iam tunc autori sui iustitiæ coniunctæ tanta rectitudine constringuntur, vt nulla ad reprobos compassione moueantur.* Mali quidem non possunt transire; quia Psal. 48. *Sepulcra eorum, domus illorum in æternũ.* Quin etiam Eccles. 9. *Nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Non transibunt mali, quia Isa. 52. *Non adiiciet, vt vltra pertranseat per te incircumcisus & immundus.* Apoc. 22. *Foris*

canes,

canes, venefici & impudici, vt homicidæ, & idolis seruiẽtes. Boni etiã nõ isthuc transibunt ad videndos reprobos; sed ad contemplandos. Vnde Isa. *66. Egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt igne. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni.*

PARS II.

De denegatione respectu consanguineorum aut fratrum.

HIc quatuor. *Primo*, Petitio misericordiæ. *Secundo*, Denegatio petiti. *Tertio*, Ratio petitionis propositæ. *Quarto* Approbatio responsionis iam datæ.

De I. (*Rogo te pater, vt mittas eum*, &c.) 1. Hæc petitio erat carnalis: quia solum ad fratres spectabat. Nã ait: (*habeo quinque fratres.*) Eccl. 18. *Miseratio hominis circa proximum suum.* Quod carnalis pro carnibus orat, numerus indicat quinarius. Nempe quod essent quinque sensibus dediti. Vnde Ioan. 4. *Quinque viros habuisti, & hunc quem habes, non est tuus.* Luc. 14. *Iuga boum emi quinque.* 2. Carnalis erat: quia (*Orabat, ne & ipsi veniant in hunc locum.*) Non id ipsorum causa; sed ne aduentu eorum sua pœna augeatur. Vnde Beda hic. *Seruatur diuiti ad pœnam suam & cognitio pauperis, quem despexit; Et memoria fratrum, quos reliquit. Vt de visa gloria despecti, & de pœna inutiliter amatorum amplius torqueatur.* Similia Gregor.

3. Petitio hæc crudelis erat respectu proximi: Quia ob amorem suorum carnalium petebat exire Lazarum de sinu quietis in locum periculorũ. Ergo Prouerb. 12. *Nouit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.* Vnde Christus Lazarum excitans, fleuit. Ioan. 11.

4. Erat petitio fatua: Quia credebat plus valere verba mortui, quàm Dei. Impletur in eo istud Eccl. 11. *In via stultus ambulans, cum ipse insipiens est, omnes stultos existimat.* Vnde Glossa: *Serius hic diues magister incipit esse, cum iam nec tempus sit discendi, nec docendi.* 5. Erat & inuerecunda: Quia parua negauerat; & iam maxima postulat. Contra illud Eccl. 4. *Non sit porrecta manus tua ad accipiendũ, & ad dandũ collecta.*

De II. *Quoad denegationem misericordiæ postulatæ.*

Ait illi Abraham, habent Moysen, &c.] i. doctrinam legis. Nam Prou. 28. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem oratio eius erit execrabilis.* Inde Deut. 32. *Audite cæli quæ loquor, audiat verba oris mei,* &c. *Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera.* [*Habent etiã Prophetas,*] i. doctrinam. 2. Petr. 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat & lucifer oriatur in cordibus vestris.* Ergo illi audiendi. Nam Iere. 26. *Si non audieritis me, & ambuletis in lege mea, quam dedi vobis, & audiatis sermones seruorũ meorũ Prophetarum, quos ego misi ad vos, de nocte consurgens & dirigens & non audistis: dabo domum istam sicut Silo, & vrbem hanc dabo in maledictionem.* Si igitur inexcu-

falsiles sunt, qui audiunt legem; minus erunt, qui non audiunt Apostolos, ipsumq; Christum. Ideo queritur: *Quia vocaui, & renuistis: Extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cũ vobis id, quod timebatis, aduenerit.* Ergo Heb. 2. *Oportet obseruare nos ea, quæ audiuimus, ne forte pereffluamus. Si n. per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, quomodo nos effugiemus, si tãtam neglexerimus salutem.* Hebr. 12. *Accessistis ad testamenti noui Mediatorem Iesum, & Sanguinis aspersionem, melius loquentem quam Abel.*

De III. *Quoad rationem petitionis præpositæ.*

At ille dixit: Non pater Abraham: sed si quis ex mortuis iret ad eos, pœnitentiam agent.] In hoc ostendebat fratrum suorum carnalitatem, vtpote qui magis mouerentur ad carnalem suscitationem, quã ad spiritalem reuelationem. Vnde hi ex iis erant, de quibus Sap. 12. *Dixerunt impij, cogitantes apud se non iuste: Non est refrigerium in fine hominis, & non est, qui agnitus sit reuersus ab inferis.* 2. In hoc etiã ostendebat suam & fratrum peruersitatem: Vt testimonium mortui præferret testibus verbi Dei. Contra illud Isa. 8. *Nunquid non populus à Deo suo requiret visionem, pro viuis à mortuis? Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* 3. Hoc etiam ostendebat fratrum incredulitatem: (*Nisi signa & prodigia*) viderent: vt Regulus Ioann. 4. 4. Ostendit fratrũ fatuitatem, quia magis deberent ad pœnitentiam prouocari ex hoc, quod vidẽt homines mori, quã si viderint resuscitari. Eccl. 38. *Memor esto iudicij mei:*

ſic enim erit & tuum. Mihi heri & tibi hodie. Eccleſiaſ. 27. *Ante mortem confitere: à mortuo quaſi nihil erit confeßio.* Pſalm. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, &c. Neque omnes qui deſcendunt in infernum.*

De IV. *Quoad approbationem Reſponſionis.*

(*Si Moyſen & Prophetas non audiunt,*) eis obediendo. Apoc. 1. *Beatus qui legit & audit verba prophetiæ huius, & ſeruat ea.* Qui tantos teſtes non audit, veritatem contemnit: Secundum illud Ezechielis 3. *Domus Iſrael nolunt audire te, quia nolunt audire me. Omnis quippe domus Iſraël, attrita fronte eſt, & duro corde.* vnde, quia tantæ veritati reſiſtunt obdurati & inhabiles ad credendum; ideo addit: [*Neque ſi quiſpiam ex mortuis reſurrexerit, credent.*] Ratio huius conſequentiæ eſt; quia, qui non credit teſtimonio magis credibili, minus credet minus credibili. Huius exemplum habemus in Lazaro altero reſuſcitato, cui Iudæi increduli non ſolum non crediderunt; imo ſicut dicitur Ioann. 12. *Cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent; quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum.* Sed Phariſæi obſtinati non ſolum non crediderunt; verum etiam fidem credentium extinguere volebant.

Huius exemplum habemus quoque in Chriſto, cui etiam ſuſcitato Iudæi credere nolebant. Vnde Chryſoſt. *Chriſtus à mortuis reſurrexit; & quæ male erant in inferno, nunciauit: deſcendit & de cœlo; & quæ bona ibi erant, prædicauit; nec tamen eſt ei creditum.*

Et

Et hoc est, quia tales recusauerunt testimonium legis & Prophetarum. Ioan. 5. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Ex prædictis igitur apparet diuiti immisericordi omnino ab Abraham Patre piissimo misericordiam esse denegatam, vt impleatur illud Isaiæ 63. *Tu pater noster, & Abraham nesciuit nos.* Et sic verificatum est illud Iacobi 2. *Iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.* Et Sap. 19. *Impijs vsque in nouissimum, sine misericordia, ira superuenit.* Talibus enim dicitur in iudicio illud Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius.*

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Homo quidam fecit cœnam magnam, Lucæ 14.

SCOPVS. Informauerat Dominus inuitatos ad conuiuium nuptiale, & inuitantes ad conuiuium familiare: hic informat inuitandos ad cõuiuium per parabolam.

PARTITIO.

I. *De inuitatis plurimis.*
II. *De excusatione vocatorum.*
III. *De vocatione humilium.*
IV. *De compulsione negligentium, & repulsa spernentium.*

PARS I.

De inuitatis plurimis.

Hic tria. *Primo*, Præparatio refectionis æternæ. *Secundo*, Vocatio multitudinis ad fidem. *Tertio* Excitatio eiusdem ad deuotionem.

De I. *Homo quidam fecit cœnam magnam,*]i. Christus præparauit refectionem æternam. Nam Christus dicitur *Homo quidam* singulariter: vt qui fuerit conceptus sine virili semine, natus sine matris dolore; immunis ab omni peccato; mortuus pro hominum peccato. De quo homine Psalm. 86. *Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altißimus.* Hic fecit summam, & vltimam cœnam. Vnde Glossa: *Hoc conuiuium non prandium, sed cœna dicitur; quia post prandium de quo Matth. agit cap. 22. Cœna restat, & post cœnam nullum conuiuium.* De illa Apoc. 19. *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* Et, *cœna magna est.* 1. Quia inæstimabilis. Vnde Gen. 15. *Ego merces tua magna nimis.* 2. Quia interminabilis. Baruch 3. *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius? Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus.* Ideo autem æstimari non potest, quia tã Cibus quàm cibi Ministrator summum bonum sunt. Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum: vt edatis & bibatis super mensam meã in regno meo; & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* Psal. 58. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

De II. *Quoad vocationem multitudinis ad fidem.*

Et *vocauit multos*] ad fidem, secundum Ioel. 2. *Sanctificate Ieiunium, vocate cœlum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos, & sugentes vbera.* Qui sic vocantur ad beatam refectionem. Vnde 1. Petri 5. *Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, Ipse perficiet*, &c. Vocat autem multos ideo, vt summam ostendat liberalitatem, & benignitatem; sed paucos ideo, vt ostendat iudicij seueritatem. Vnde Matth. 20. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Hinc ea vocatio comparatur captioni sagenæ, *Congreganti ex omni genere piscium.* Matt. 13.

De III. *Quoad excitationem vocatæ multitudinis ad deuotionem.*

Et misit seruum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent.] 1. Seruus iste, ait Glossa, est Ordo Prædicatorum: Qui, etsi sint multi, intelliguntur tamen nomine huius serui, per vnitatem officij. De hac missione Sapiens Prouerb. 9. *Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* De hoc seruo Isaiæ 48. *Et nunc hæc dicit Dominus: Formans me ex vtero seruum sibi: Parum est, vt sis mihi seruus ad suscipiendas tribus Iacob, & fœces Israel conuertendas? Dedi te in lucem gentiũ, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.*

Hora cœnæ est finis sæculi, id est, tempus sextæ ætatis. 1. Corinth. 10. *In quos fines sæculorum deuenerunt.* 1. Ioannis 2. *Filij, nouissima hora est.*

3. Venire inuitati iubentur per internum desiderium & deuotionem. Vt Psal. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem, viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei?* Hi serui sic prædicare debent, Isa. 2. *Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos.* Nimirum Apocal. 22. *Qui audit, dicat: Veni.*

Quia vero nil sic excitat desiderium veniendi ad Deum, vt consideratio præmiorum, ideo ait: (*Quia iam parata sunt omnia.*) scil. 1. habitacula, Ioa. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus, dixissem vobis: Quia vado vobis parare locum. Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio & accipiã vos ad meipsum.* 2. Præparata sunt grandia. 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, & auris non audiuit, nec in cor hominis descendit, quod præparauit Deus iis, qui diligunt illum.* Acceptum hoc ex Isaia 44. *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.* 3. Præparata est mensa Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* 4. Præparata est sponsa cum iis, qui prædestinati sunt ad vitam. Apoc. 19. *Venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se.* Et Matth. 25. *Quæ parata erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.*

PARS II.

De excusatione vocatorum.

MVlti veniunt ad fidem, qui tamen nolunt peruenire vsque ad charitatem; propter vitiorũ prauitatem, quam in excusationis velamen assumunt.

munt. Ecce: (*Et cœperunt simul omnes excusare.*) Glossa: *Excusat se omnis, qui plus terrena quam cœlestia diligit, etiamsi ad cœlestia se tendere dicat.* Quia autem triplex est radix peccati, quæ retrahit à charitate Christi; ideo hic tria genera hominum, vocationem Christi reprobantium, introducit, secundum triformem excusationem. Quarum *Prima* venit ex ambitione superbiæ. *Secunda* ex solicitudine auaritiæ. *Tertia* ex libidine lasciuiæ.

De I. *Primus dixit illi: Villam emi.*) Iste superbus est, qui semper vult obtinere primatum, Eccl. 10. *Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius. Quoniam initium omnis peccati est superbia.* Huius est villam emere, quia nihil aliud quærit, quam dominari. Vnde Aug. de verbis Domini 33. Tom. 10. *In empta villa dominatio notatur & superbia.* Habere enim villam, homines sibi in illa subdere superbiæ vitium primum notat. Hanc emptionem facit superbus, dando animam in seruitutem diaboli. Quia Iob 41. *Omne sublime videt, & ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ.* Vnde, dum vult esse dominus hominum, efficitur seruus vitiorum. O pessima permutatio!

Talis fatetur se seruum, cum subdit: (*Et necesse habeo exire & videre illam.*) Hanc necessitatem inducit superbia, quæ facit hominem euanescere & quodammodo extra sese exire. Nahum 1. *Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prauaricationem.*

Quia autem vitium palliat se pallio virtutis, & superbus videri vult humilis, ideo subdit: (*Rogo te,*

habe me excusatum.] Glossa: *Ora pro me, quia homo peccator sum, seipsum humiliat in voce, cum superbiat in corde.* Gregorius: *Humilitas sonat in voce, dum autem venire contemnit, superbia est in actione.* Tales designãtur per illos, qui *genu flexo ante eum, illudebant ei.* De his Eccl. 19 *Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo.* Tu verò ô Deus, Psalm. 140. *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Et ideo è contrario dicitur de viro iusto: *Iustus est pius accusator sui,* Prouerbiorum decimooctauo.

De II. *Quoad secundam excusationem, quæ venit ex solicitudine auaritiæ.*

Et alter dixit: Iuga boum emi quinque.] Solicitudo namque auaritiæ facit, vt quis non quærat nisi terrena tractare. ideo labori boum comparatur; quorum est terram sulcare, & exercere. 1. Dicuntur autem, *quinque iuga,* propter sensus quinque conuersos ad hęc terrestria. Vnde Glossa: *Hæc iuga boum dicuntur, quia per hos terrena reguntur.* Boues enim terram sulcant & versant. 2. Dici etiam possunt *iuga,* quia collum ligant, ceruicem domant, & totum deprimunt in terram, ac animam vendunt pro terra. Eccles. 10. *Nihil est iniquius quam amare pecuniam.* Vere Matt. 6. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* At thesaurus auari est extra ipsum, scil. in terra; ideo intima eius proiecta sunt in terra. Quare necesse est, vt iugo seruitutis opprimatur, qui vendidit seipsum. Vnde Ecclesiast. 27. *In medium venditionis & emptionis angustiabitur peccator.*

Reddit

Reddit enim auaritia ſolicitum & curioſum, ideo ſubdit:

Et eo probare illa.] Nempe curioſus continuam curam de ſuperfluis habet. Vnde Gloſſa: *Recte per quinque ſenſus curioſitas deſignatur: quæ dum exterius inueſtigat vitam proximi, ſua intima neſcit. Et curioſi animus quanto eſt peritior alieni, tanto ignarior fit ſui.*

NOTA: Charitas non habet niſi iugum vnum, quia omnem curam reducit ad vnum: Secundum illud Lucæ 10. *Vnum eſt neceſſarium.* Mich. 6. *Solicitum ambulare cum Deo meo,* &c. Matthæi 11. *Iugum meum ſuaue eſt.* Threnorum 3. *Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Curioſitas habet quinque, circa quæ verſatur, ſecundum vniuerſitatem ſenſibilium. Vnde Eccleſiaſt. 7. *Inueni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.*

Quia vero auaritia ſe palliat ſpeciæ prouidentiæ, ideo ſubdit: [*Rogo te, habe me excuſatum.*] Sed talibus dici poteſt, Ieremiæ 2. *Quid niteris bonam oſtendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ inſuper malitias tuas docuiſti vias tuas, & in aliis tuis inuentus eſt ſanguis pauperum & innocentum?*

De III. *Quoad excuſationem ex libidine laſciniæ.*

Et alius dixit: Vxorem duxi.] Hæc vxor eſt concupiſcentia carnis, de qua Eccleſiaſt. 7. *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor eius.* Dicitur *vxor*, propter vehementem

libidi-

libidinis adhæsionem. 1. Cor. 6. *An nescitis, quoniã qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur: Erunt enim,* inquit, *duo in carne vna.* Propterea addit: (*Et ideo non possum venire.*) Non addit: *habe me excusatum*; Quia solum peccatum carnis est, quod minimo palliat se sub specie virtutis. Et minime excusatur: Tamẽ in veritate magis est excusabile propter maiorem pronitatem concupiscentiæ: secundum illud Roman. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Ac proinde dicit: (*Non possum venire:*) Quia Bernar. Epistola 2. ad Fulconem: *Sicut ignis & aqua simul esse non possunt; sic spiritales delitiæ & carnales in eodem se non compatiuntur.*

Mentitur tamen iste. Quia qualiscunque sit cõcupiscentiæ seruus, potest facere, quo pacto habeat gratiam, per quam edomet cõcupiscentiam. Vnde Roman. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et respondet: *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Quia Phil. 2. *Deus est, qui operatur in vobis velle & proficere pro bona voluntate.*

NOTA. Quod licet vxor licite habeatur, tamẽ ob abusum per rem bonam intelligitur malum. Ideo 1. Cor. 7. *Reliquum est, vt, qui habent vxores, tanquam non habentes sint.* Et Glossa dicit: *Multi non propter fœcunditatem, sed propter desideria carnis vxores ducunt.* Vnde vxor, ratione vinculi Sacramentalis designat sponsam Christi Ecclesiam.
Ratione libidinis, designat concupiscentiam carnis.

PARS

PARS III.

De vocatione humilium.

R*Euersus seruus nunciauit hæc Domino.*]Hoc fit, cũ Ordo Prædicatorum non quærit proprium commodum, sed honorem diuinum; Vt sicut missus est à Deo per cognitionem autoritatis: sic reuertatur per intentionem puritatis. De his Ezech. 1. *Animalia ibant, & reuertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis*: Iob. 38. *Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi: Adsumus.* Glossa ibi: *Vadunt fulgura, cum Prædicatores miraculis coruscãt: Reuertentia dicunt: Adsumus: Cum non sibi, sed Deo tribuunt, quicquid se fortiter egisse cognoscunt.*. Vel: Reuertuntur ad Deum per gratiarum actionem. Vt Eccl. 1. *Ad locum vnde exierunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.*

Sed quia non possunt gratias agere de audientium rebellione; quin gemere potius, ex detestatione culpæ; ideo dicuntur Domino nunciare. Vt Apostoli in persecutione Iudaica, Act. 4. *Vnanimiter leuauerunt vocem suam ad Deum, & dixerunt: Domine, tu es, qui fecisti, &c. Qui Spiritu Sancto, per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti*, Psal. 2. *Quare fremuerunt gentes, nunc Domine respice in minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum.* Sequitur: *Et cum orassent motus est locus.* Quo intelligitur commotio iræ Dei, contra rebelles. Ideo hic subdit:

Tunc iratus Paterfamilias dixit seruo suo: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, id est, ad publicam prædicationem.

tionem. Sicut Prouerb.1. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua.* *Exitus* iste est ad exercitium prædicationem: iuxta illud Matt. 13. *Exiit qui seminat seminare suum.*

Quia vero repulsis superbis acceptantur humiles, ideo subdit: (*Et pauperes ac debiles, & cæcos & claudos, introduc huc.*) Hoc Glossa tripliciter exponit. *Primo* modo: Vt ista sonent defectus naturales. *Pauperes*, qui carent rebus: *debiles*, qui carent viribus, *cæcos*, qui habent defectum in visu; *claudos*, qui in gressu. Quia ad literam tales admittuntur ad cœlum. 1. ad Cor. 1. *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapiẽtes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, vt ea, quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret; vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.*

Secunda expositio, vt sonent defectus vitiosos. *Pauperes*, ob defectum gratiæ. *Debiles*, ob defectum virtutis; *cæcos*, ob defectum prudentiæ; *claudos*, ob defectum bonæ voluntatis. Hos elegit, & vocat Deus, quia Matth. 9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Matt. 21. *Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Tertia expositio est, vt sonent defectus virtuosos. *Pauperes*, quoad propriam reputationem: Qui non confidunt in suis opibus. Prouerb. 13. *Est quasi pauper, cum in multis diuitiis sit.* *Debiles*: Qui non confidunt de sua virtute. 1. Corint. 1. *Quod infirmum est Deo, fortius est hominibus.* *Cæcos*, qui

qui non confidunt de sua scientia, Ioann. 9. *Si caci essetis, non haberetis peccatum: Nunc vero dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet. Claudos*, qui non confidunt de sua rectitudine. Vnde Iacob Genes. 32. Postquam vidit Dominum, dicitur claudicasse.

Tales introducit Dominus: scil. 1. *Pauperes*, per contemptum opum. Psalm. 71. *Parcet pauperi & inopi.* 2. *Debiles*, per contemptum propriæ confidentiæ. Psalm. 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* 3. *Cæcos*, per contemptum propriæ industriæ: Ioan. 9. *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt, qui non vident, videant*, &c. 4. *Claudos*, per contemptum propriæ iustitiæ. Isaiæ 35. *Tunc saliet sicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.* De iis omnibus dicitur Luc. 7. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur:* Quia ipsi vocantur, & ad vitam introducuntur. Et hæc tertia expositio videtur cōgruentior, quia *Deus superbis resistit.*

PARS IV.

De compulsione negligentium, & repulsa spernentium.

DVo hic. De I. Quoad compulsionem negligētium: [*Ait seruus: Domine factum est, vt imperasti: & adhuc locus est.*] Quia non tot sunt humiles, quot prædestinati ad vitam, nec tot sunt ad vitam æternam voluntarij, quot sunt à Deo prædestinati. Ideo (*ait Dominus seruo: exi in vias & sepes.*)

1. Per

1. Per vias & sepes, quæ sunt extra Ecclesiæ vnitatem, notantur gentes. Vnde Gregor. hîc homil. 36. *Cum de vicis & plateis vocat, Iudæos significat, qui tenere legem sub vrbana conuersatione nouerant. Cum autem de viis & sepibus vocat, agrestem populum gentium significat.*

2. Similiter peccatores quicunque possunt intelligi: & maxime pigri, qui ad bonum trahuntur inuiti. Vnde subdit; (*Et compelle intrare.*) Comminatione æternorum suppliciorum, & ostensione præsentium. Quia Gregor. dicit: *Mala quæ nos hic comprimunt, ad Deum ire compellunt.* Psalm. 77. *Cum occideret eos, quærebant eum.* Ideo 2. Timot. 4. *Prædica verbum, insta importune, argue, obsecra, increpa,* &c. Ratio huius, est complementum numeri electorum: Vnde subdit:

Vt impleatur domus mea.) Glossa: *Numerus prædestinatorum, de quo Apoc. 6. Vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum.* De hac completione Apoc. 7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Apoc. 14. *Vidi, & ecce Agnus stabat supra montem Syon, & cum eo centum,* &c. Et in Cantico Deuteronom. 32. *Constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel.* Vbi dicit Gregorius: *Tot saluabuntur homines, quot angeli ceciderunt.* Quicquid tamen sit de hoc, certũ est, quod perfectus erit numerus electorum. In cuius figuram dicitur Deuteronom. 33. *Dominus apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia.*

De II. *Quoad repulsionem contemnentiũ.*

Dico

Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt,) & se excusauerunt, *(gustabit cœnam meā:)* quia nullus ad cœnam pertingit, nisi humilis. Mat. 18. *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Vnde & in Ps. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te?* Timentibus autem Dominus eā reseruat; sed superbos repellit. 2. Pet. 2. *Si enim angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni,* &c. Et post: *Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicij reseruare cruciandos.* Ideo dicitur Rom. 11. *Noli altum sapere, sed time. Si n. Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* Ideo Hebr. 2. *Propterea abundantius oportet obseruare ea, quæ audiuimus; ne forte pereffluamus. Si enim, qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?*

DOMINICA III. POST PENT.

Erant appropinquantes, &c. Lucæ 15.

SCOPVS. Iam ante confutauerat Dominus fraudulentiam Pharisæorum, calumniantium Christi potentiam in miraculis, hic nunc confutat eorundem impietatem, remurmurantium cōtra clementiam eius in operibus bonis. Idque punctis tribus.

PARTITIO.

I. *De occasione impietatis Pharisaicæ exprimendæ.*
II. *Exprimitur iam concepta.*

III. De simulatione æquitatis iustæ.
IV. De pietate diuina.

PARS I.

De occasione Pharisaicæ impietatis expressæ.

E*Rant appropinquantes ei publicani & peccatores.*] Ostenditur summa Christi pietas ad peccatores: ex quo Pharisæi occasionem accipiebant impie iudicandi. Quia mos est impiis impietatem suam augere de visis operibus pietatis. Psalm. 111. *Dispersit, dedit pauperibus peccator videbit, & irascetur.* Ostendebat autem Christus pietatem magnam, quia suscipiebat publicanos, publicos peccatores. Vnde Glossa: *Publicani, qui publica vectigalia exigunt, & qui lucrum sæculi sectantur, erant multis iniustis lucris intenti.* Huiusmodi etsi videantur repellendi ex iustitia; suscipiuntur tamen ex misericordia, de qua confisi, 1. (*Erant appropinquantes.*) Iacobi 4. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Appropinquate per deuotam supplicationem. Psalmo 118. *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo.*

Appropinquationis causa erat: (*Vt audirent illum.*) iuxta consilium Eccles. 51. *Appropinquate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ.* Quia Deuter. 33. *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.*

Appropinquabant ei publicani & Pharisæi, sed hi simulate. Iuxta Ierem. 12. *Prope tu es ori eorum, & longe à renibus eorum.* Quia tales per simulatam iustitiam,

ſtitiam videntur proximi, ſed per occultam ſuperbiam ſunt longinqui. Iuxta Iſai. 58. *Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt, quaſi gens, quæ iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei ſui dereliquit. Rogant me iudicia iuſtitiæ, & appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti? Humiliauimus animas noſtras, & neſciſti?* Et ſubdit: *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.* Publicani vero non ſimulate, ſed appropinquabant vere, *vt audirent*, & reſipiſcerent. Iuxta Matt. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Et vt obedirent, iuxta Eccleſiaſt. 4. *Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua, vt audias. Multo enim melior eſt obedientia, quàm ſtultorum victima.*

PARS II.

De expreßione impietatis concepta.

ET *murmurabant Phariſæi & Scribæ.*] Murmuratio eſt oblocutio, quæ nec omnino exprimitur, nec omnino reticetur. Sapien. 1. *Auris cæli audit omnia, & tumultus murmurationũ non abſconditur. Cuſtodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt: & à detractione parcite linguæ; quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit.* Ideo 1. Corinth. 10. *Neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Hanc murmurationem odit Deus, quia nihil prodeſt, nec ſibi, nec proximo. Threnorum 3. *Quid murmurabit homo viuens, vir pro peccatis ſuis?* q. d. fruſtra.

Oritur murmur 1. vel ex infirmitate, vt Num. 11. *Ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore contra Dominum.* 2. Vel ex ignorantia & errore, vt Ioann. 7. *Murmur multum erat in turba de eo, quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alij autem dicebant: Non. Sed seducit turbas. Nemo tamen palam loquebatur de illo.* 3. Vel ex malignitate: Vt Deuter. 1. *Increduli ad sermonem Domini Dei vestri murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis: odit nos Dominus, & idcirco eduxit nos de terra Aegypti, vt traderet nos in manus Amorrhai.*

Et isti simul bonum vertebant in malum, scil. Publicanorum pœnitentiam & Christi misericordiam: Quia erant superbi & inhumani. De quibus potest hoc intelligi, Isai. 65. *Qui dicunt: Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es: Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.*

PARS III.

De simulatione æquitatis iustitiæ.

D*Icentes, quia hic peccatores recipit.*] Affabilitate colloquij (*Et manducat cum illis,*) familiaritate cõuiuij. In quo arguebant eum vt fautorem malorũ, & contemtorem præceptorum. Vnde Glossa hic: *Quasi contrarius esset legi, quæ hoc prohibet, tangere immundum.* Deut. 7. In quo intelligitur vitatio societatis prauæ. Vnde Deut. 7. *Non inibis cum eis fœdus,* &c. *Neque sociabis cum eis coniugia.* Sed dicit Glossa: Dupliciter errant. Quia & se iustos putant, cum sint superbi, & illos peccatores, cum iam pœniteant. 1. Vnde simulantes æquitatem, cadebant in impie-

impietatem, peccando in seipsos, & superbiendo. Luc. 16. *Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus.* 2. Peccantes in proximos, male iudicando. Vt dici eis posset, Lucæ 6. *Hypocrita, eiice primo trabem de oculo tuo.* 3. Peccantes in Christum, eius misericordiam redarguendo, in peccatoribus recipiendis, vti promiserat, Ierem. 3. *Vulgo dicitur, si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterũ. Nunquid reuertetur ad eum?* Subditur: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.* Hoc est excellentissimæ misericordiæ: Ioan. 6. *Eum, qui venit ad me, non eiiciam foras.*

4. Arguebant misericordiam eius, quia eis condescendebat ad manducandum. Cum tamen hoc sit summæ misericordiæ. Iuxta Apoc. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso,* &c. Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui,* &c. Ioan. 7. *Si quis sitit, veniat ad me.* Nam & Propheta vocat omnes, Isa. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Ratio huius, quia Rom. 10. *Non est distinctio Iudæi & Græci: Nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum.*

PARS IV.

De pietate diuina.

MAnifestat hanc ad confutandam iam dictam Iudaicam impietatem. Quia verò Dei pietas specialiter est ad humanum genus reparandum, in quo indiget homo sacrificio reconciliante,

pretio redimente; & spiritu adoptante: Ideo triplicem introducit parabolam. *Primam*, de oue; quæ sacrificatur. *Secundam*, de drachma, qui est nummus regius. *Tertiam*, de prodigo filio, qui misericorditer recipitur.

Et quia pietas Dei est ad hominem ratione trium, quæ in eo posuit: scilicet ratione 1. Insitæ mãsuetudinis: 2. Impressæ imaginis: 3. Collatæ similitudinis. Per primam verò, quia assimilatur homo oui: per secundam drachmæ, per tertiam filio prodigo. Ideo triplex ponitur parabola, ad notandam pietatem Dei erga humanam naturam. *Prima* est de pastore & ouibus suis. *Secunda*, de muliere & drachmis suis. *Tertia*, de patre & filio. (de qua alibi.)

II. CONCIONIS DISPOSITIO.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oues. Luc. 15.

SCOPVS. Omnis creatura præsefert pietatem, & in se eam refert velut in imagine, qua Deus fertur, & vtitur in hominem. Brutalis quidem creatura vt ouis; materialis & insensata, vt drachma. De oue hîc.

PAR-

PARTITIO.

I. *De solicitudine mœstitiæ ex oue perdita.*
II. *De magnitudine lætitiæ ex oue inuenta.*

PARS I.

De solicitudine ex oue perdita.

QVatuor hic: *Primo*, possessio multitudinis integræ. *Secundo*, perditio ouis centesimæ. *Tertio*, dimissio multitudinis habitæ. *Quarto*, requisitio ouis perditæ.

De I. [*Ait ad illos parabolam istam.*] Parabolicè loquitur, quia docet sapientiam. Psalm. 77. *Aperiam in parabolis os meum.* 2. Quia hoc requirebat Iudæorum perfidia, quibus debebant velari mysteria. Matt. 13. *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt.* 3. Quia decebat id SS. Scripturam, in qua non tantum voces, sed & res sunt signa ad manuducendum intellectũ paruulorum, ad concipiendam mente sapientiam Dei. Iuxta Prou. 1. *Parabolæ Salomonis ad sciendam sapientiam, & disciplinam ad intelligenda verba prudentiæ, & suscipiendam eruditionem doctrinæ,* &c. *Vt detur paruulis astutia, adolescenti scientia & intellectus.* Hinc ait:

Quis ex vobis homo, qui habet centum oues] Homo inter homines est Filius Dei. De quo Baruch 3. *Posthac in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Philippensium secundo: *In similitudinem hominum factus, habitu inuentus vt homo.* Oues istius

Hominis sunt homines. Natione mansuetudinis. Matth. 10. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. &c.* Ioann. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do vobis.*

Centum autem dicuntur *oues*; Ob perfectionem, quam innuit centenarius; Quia redit denarius super seipsum. Vnde Beda hic: *Quia numerus centenarius est perfectus, Deus centum oues numero perfecto habuit, cum angelorum & hominum substantiam crearat.*

Designat autem perfectionem meriti: Vt Luc. 8. *Aliud cecidit in terram bonam, & fecit fructum centuplum.* Et Genes. 26. *Seuit Isac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum.* 2. Et perfectionem præmii: vt Matth. 19. *Omnis qui reliquerit, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

De II. *Quoad ouis centesimæ perditionem.*

(Et si perdiderit vnam ex illis:) Vt Deus hominem perdidit Vnde Beda hic: *Vna ouis periit, quando homo pascua vitæ peccando reliquit.* De hac oue Psalm. 110. *Erraui sicut ouis, quæ periit, &c.* Ideo autem dicitur humanum genus vna ouis: quia ex vno homine processerunt, & in vno peccauerunt. Roman. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, &c. in quo omnes peccauerunt.* Sed ob varietatem peccatorum superadditorum, dicuntur multæ oues, Isa. 53. *Omnes nos, quasi oues, errauimus; vnusquisque in viam suam declinauit.* 1. Pet. 2. *Eratis sicut oues errantes, &c.* Quia carebant Pastore.

re.3.Reg.22.*Vidi cunctum Israel dispersum in montibus sicut oues, non habentes pastorem.* Nam hæc ouis inciderat in lupum diabolum; Ioann.10. *Lupus rapit, & dispergit oues.*

De III. *Quoad dimissionem multitudinis ouium habitæ.*

(*Nonne dimittit nonaginta nouem in deserto.*) id est, angelos in cœlo propter ternarium triplicatum in ordinibus angelorum. Et quia angelis ruentibus, homineque perdito remansit numerus eorum imperfectus. Vnde Glossa: *Reliquit nonaginta nouem, quia rationalis creaturæ numerus pereunte homine erat imminutus.* Istos reliquit Christꝰ non localiter; quia vbiq; est: *Sed quia nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Hebr.2.

(*In deserto,*) id est, cœlo ab angelis & hominibus deserto, nam nullus id intrare quibat; ait Gloß. Galat.4. *Illa quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra: scriptum est enim, lætare sterilis quæ non paris: quia multi filii desertæ magis, quam eius quæ habet virum.* Isa.53. *Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.*

De III. *Quoad requisitionem singularis ouis deperditæ.*

(*Et vadit ad illam, quæ perierat:*) hominem scilic. Luc.19. *Venit filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat.* Vnde 1. Timot.1. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus; quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Et fecit; vt pastor bo-

nus. Vnde Ezech. 34. *Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut pastor visitat gregem suum.*

Et quia bonus pastor non desistit ab inquisitione ante salutem repertam, ideo addit: [*Donec inueniat eam.* (scilicet, Sanguine suo liberet eam. Deut. 32. *Dominus solus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus*, &c. *Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis.* Inuenit autem perditos Deus difficulter. Oseæ 9. *Quasi vuas in deserto inueni Israel, quasi poma ficulneæ.* Vnde iste *bonus pastor animam suã pro ouibus suis dedit*: Ioan. 10. Quin ipse pastor factus est Agnus inter oues, vt has redimeret: Isa. 53. *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.*

Huius inuentionis figura fuit aries, inuentus ab Abraha, *intra vepres, hærens cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio*, Geneseos 22. Idem & cætera sacrificia animalium significabant, quod Christus *per proprium Sanguinem introiuit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta.* Hebræorum nono.

PARS II.

De magnitudine lætitiæ ob inuentam ouem.

TRia hic: *Primo* exultatio priuata. *Secundo* congratulatio publica. *Tertio*, Conclusio principaliter intenta.

De I. *Et cum inuenerit eam, imponit in humeros.*] Ambro-

Ambrosius libro 7. in Lucam hîc: *Humeri isti sunt brachia crucis. Illic peccata mea deposui: in illa nobili cruce patibuli requieui.* Isaiæ 53. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*, in humeris crucis. 1. Petri 2. *Peccata nostra ipse pertulit corpore suo super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus.* Beda ait hîc: *Ouem in humeris suis imposuit, quia humanam naturam suscipiens peccata nostra ipse portauit.*

1. Portauit in cruce peccata, & in humeris crucem nostram. Isaiæ 9. *Factus est principatus super humerum eius.* Et Isaiæ 22. *Dabo clauem domus David super humerum eius.*

2. Portauit nos gaudens, ob charitatem suam nostri liberandi. Vnde Isaiæ 40. *Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregauit agnos: Fœtas ipse portauit.* Et hoc summo cum gaudio. Isaiæ 66. *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis: Quomodo si cui mater blandiatur, ita & ego consolabor vos.* Sequitur: *Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt.*

De II. *Quoad gratulationem publicam.*

Et veniens domum, conuocat amicos, & vicinos.] Domus illa cœlum est. De ea Isai. 60. *Domum maiestatis tuæ glorificabo.* Ioann. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* 1. In hanc Christus ascendit: Isaiæ 63. *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra.* 2. In hanc portat ouem Ps. 67. *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatẽ.* 3. Hic cõuocat amicos, i. angelos ob fami-

familiaritatem in cognoscendis secretis. Ioann. 16. *Vos autem dixi amicos*, &c. Et vicinos ob propinquitatem in communicandis solatiis. Matt. 18. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris, qui in cœlis est.*

Congratulamini mihi,) scil. de tanto amore, quo quæsiui, (*& inueni ouem meam.*) Ideo Prou. 8. *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum.* Vnde Beda hîc: *Non dicit: Congratulamini oui inuentæ, sed, mihi: Quia gaudium eius est vita nostra.* Hoc est gaudium nuptiale, homines recuperatos fuisse, de quo Cœlites exultant: Apoc. 19. *Audiui quasi vocem turbæ magnæ dicentium: Alleluia: Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se.* Agnus enim desponsauit sibi ouem, id est, Christus Ecclesiam.

De III. *Quoad conclusionem principaliter intentam.*

Dico vobis, quod maius gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente.) Isai. 49. *Laudate cœli, & exultet terra, iubilate montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur.* Merito gaudium est magnum, quia maius est infirmum sanare, quam sanum conseruare. Ideo ait: (*quam super nonaginta nouem*, &cæt.) 1. Non quod peccator pœnitens sit melior, quam nonaginta iusti: sed quia in redemptione humani generis maiora Deus est operatus, quam in conseruatione curiæ cœlestis. Quia illud manifestat maiorem Potentiam, Prudentiam, Misericordiam. 1. Potentiam: *Quia maius est iustificare impium, quam creare*

creare cœlum & terram, ait Aug. Tom. 9. tract. 72. in Ioan. 2. Prudentiam: Iob 26. *Prudentia eius percussit superbum.* 3. Misericordiam: Lucæ 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, quibus visitauit nos Oriens*, &c. Quanto maior fuit Christi condescensio; tanto maior hominum sublimatio. Psal. 8. *Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos.*

2. Siue hoc intelligas quoad pœnitentiam nostram; quæ est gaudij materia maior, quam in vllo Dei opere. 3. Siue de peccatore quolibet per se; quia hic conuersus sæpe feruentior est quàm iustus. Vnde Gregorius in Moralib. & homil. 34. in Euang. *Quidam in Dei seruitio ex anteacta debilitate roborantur, eosque ad custodienda mandata & futurorum trahit desiderium, & impellit memoria præteritorum.* Vnde id refertur ad conuersos feruidos, & iustos tepentes. Beda: *Maius est gaudiũ de peccatore resurgente in feruore, quã de iusto pigro stante. Vt dux in prælio eum militem plus diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter premit, quam eum, qui nunquam fugit, nec vnquam fortiter egit.* 4. Vel id dicitur ratione confusionis aduersariorum. Secundum Isai. 9. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores, capta præda, quando diuidunt spolia.*

III. CON-

III. CONCIONIS DISPOSITIO.

Quæ mulier habens drachmas decem.
Lucæ 15.

SCOPVS. Post parabolam de pastore & ouibus, hîc subiicitur de muliere & drachma. Et manifestatur pietas in hominem quadrupliciter.

PARTITIO.

I. *De pietate Dei erga hominem conditum.*
II. *De eadem erga lapsum.*
III. *De eadem erga reparatum.*
IV. *De eadem aduersus iustificatum.*

PARS I.

De pietate Dei erga hominem conditum.

QVæ mulier habens drachmas decem.] Mulier sapientia est diuina: quia diligenda est vt sponsa. Sapient. 8. *Hanc amaui, & exquisiui eam à iuuentute mea, & quæsiui in sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius.*

Dicitur autem mulier non ab infirmitate sexus, sed à pietate diuini affectus, qui in Deo maternus est, Isaiæ 49. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui?* Ideo sapientia de se dicit Eccles. 24. *Ego mater pulchræ dilectionis.* Vnde cum Sapientia Dei sit potentissima, speciosissima, prouidentissima & clementissima; datur intelligi. Prouerbiorum 31. Per mulierem fortem & bo-

& bonam, & speciosam. Ecclesiast. 26. *Sicut Sol oriens mundo*, & cæt. Per prouidentiam Prouerb. 14. *Sapiens mulier ædificat domum.* Vnde Glossa: *Mulier Dei sapientia decem drachmas habuit, cum homines & Angelos creauit:* Decima autem drachma est homo, Dei imagine insignitus. Glossa: *Drachma est nummus certæ quantitatis, habens imaginem regis: talis nummus est homo*, de quo Genes. 2. *Faciamus hominem ad imaginem*, &c. Eccles. 17. *Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum.* Talis nummus est angelus. Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delitiis paradisi Dei fuisti.* Igitur drachmæ decem sunt nouem ordines Angelorum, & vnus hominum: Ad totius vniuersi complementum. Quia in denario clauditur vniuersitas numerorum: nam in eo est numerorum status. Vnde Beda: *Decem drachmas mulier habuit, cum nouem ordinibus Angelorum homo additus est decimus: vt compleretur numerus electorum.*

PARS II.

De pietate Dei respectu hominis lapsi.

ET, *si perdiderit drachmam vnam*,] homine peccante. Glossa: *Tum vnam perdidit, cum homo à similitudine creatoris recessit.* Homo post nouem ordines Angelorum creatus, drachma decima dicitur. 1. Et ideo præcepit DEVS sibi decimam offerri, præfigurans liberationem hominum. 2. Ideo Exodi vigesimo, Decem præcepta ei sunt

data,

data, per quæ ad Deum aſcendat. 3. Ideo in figuram Incarnationis, *Sol retroceſſit decem lineis*. 4. R... 20. Cum Deus ab angelis ad hominem decin... dinis, deſcendit. 4. Atque idcirco denarius e... tium operariorum in vinea. Matt. 20.

Ad hanc drachmam diuina ſapientia habe... tatis affectum. Ideo ait: (*Nemo accendit lucernam*,) in incarnatione. Greg. hom. 34. *Lucerna eſt lux in t... hoc eſt, Deus in carne humana*. Vnde Gloſſa: *Dei ſa... tia lucernam ad quærendam drachmam, accendit, ... carne apparuit*. De hac lucerna Pſal. 131. *Illuc ... cam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo*. Ic... *Lux vera, quæ illuminat omnem*, &c. & mox: *Ve... caro factum eſt, & habitauit in nobis*, &c. Neque ... ſolum, ſed (*euerrit domum*,) in prædicatione. Gloſſ. *Domum euerrit, quando conſcientias hominum de reatu ipſorum perturbauit*. Et hoc eſt Prædicatorum. Vnde Sophon. 1. *Scrutabor Ieruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis*.

Et quærit diligenter, donec inueniat eam,) in noſtra redemptione. Sap. 6. *Dignos ſe, Sapientia ipſa circuit, quærens; & in viis oſtendet ſe illis hilariter, & in omni prouidentia occurret illis*. Idque tam ardenter, vt dicat Pſalm. 131. *Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domino, & tabernaculum Deo Iacob*.

PARS III.

Sapie. *De pietate respectu hominis reparati.*

Dei s[...]n inuenerit, conuocat amicos & vicinos,] id est;
Ang [...]ngelos; & Sanctos: Sic Glossa: Ita dicuntur;
Dei [...] Deum diligunt, & proxime conspiciunt. Sap.
7. *Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei*
mu[...]*rophetas constituit. Neminem enim diligit Deus, nisi*
imag. [...]*ui cum sapientia inhabitat.* Conuocare autem
nem [...] vnitatem & conformitatem amoris copu-
num[...]ob 25. *Potestas & terror apud eum est, qui facit*
milit[...]*diam in sublimibus suis.*
tis p[...]r istam concordiam communem materiam
gaudij tribuit, ideo ait: (*Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram.*) Sapientia namque inuitat ad congaudendum, quia hæc est lex charitatis. 1. Cor. 13. *Charitas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Sap. 8. *Hæc cogitans, &c. quoniam immortalitas est in cognatione sapientiæ, & in amicitia illius delectatio bona.* Quia vult gaudia esse omnium, non priuata. Vnde Tobiæ 13. *Confitere Domino in bonis eius, & benedic Deum sæculorum: & reuocet ad te omnes captiuos, & gaudeas in omnia sæcula.* Idque in cœlis, ob reparationem ordinum. Isaiæ 65. *Ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudium.* Quia congratulabantur diuinæ sapientiæ, & saluationi nostræ. Isaiæ 66. *Lætamini cum Ierusalem, & exultate omnes, qui diligitis eam: Gaudete cum ea gaudio vniuersi, qui lugetis super eam, vt sugatis, & repleamini ab vberibus consolationis eius: Vt mulgeatis, & delitiis affluatis ab omnimoda gloria eius.*

fit remissio peccatorum. Ezech.18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. vita viuet, & non morietur.*

VI. Ira Dei placatur. Eccs.12. *Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus.* Ierem. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, &c. agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei.*

VII. Ierusalem reparatur: Matth. 4. *Agite pœnitentiam: appropinquauit enim regnum cœlorum.* Hinc (*gaudium coram Angelis Dei super vno pecc. &c.*) Vident enim vim pœnitentiæ; quæ non solum recuperat perdita: sed plura impetrat à Dei pietate. Vnde Iob. 42. *Conuersus Dominus ad pœnitentiam recuperat perdita. Addidit Dominus omnia, quæcunque fuerant Iob duplicia.*

Ideo qui diligunt Deum, debent cum Angelis exultare. 2. Corinth. 7. *Epistola illa; etsi ad horam vos contristauit: nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum; vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Et mox. *In vobis operatur solicitudinem: sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam.* Ex his debitus honor redditur Deo, &c.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

Nolite iudicare, & non iudicabimini. Matth. 7.

SCOPVS. Implêrat legem quoad præcepta, & quoad promissa, nunc quoad iudicia.

PARTITIO.

I. Vetatur iudicium temerarium.
II. Declaratur gemina comparatione.

PARS I.

De iudicio temerario vetito.

NOlite iudicare, &c.] id est, ex amaritudine odij. Amos 6. *Conuertisti iudicium in amaritudinem.* Vel sic: (*Nolite*) quantum ad ea, quæ nostro iudicio non sunt commissa. Domini est iudicium, nobis commisit iudicare de exterioribus; de interioribus vero sibi retinuit. *Nolite* ergo *iudicare* de eis. 1. Cor. 4. *Nolite iudicare ante tempus.* Hier. 17. *Prauum est cor hominis, & quis cognoscet illud?* Nullus enim debet iudicare de aliquo, quod sit malus homo: *Dubia enim in meliorem partem interpretanda sunt.* 3. Item iudicium debet esse congruum, quantum ad personam iudicãtis. Vnde si es in eodem peccato, vel maiori, non debes iudicare. Roman. 2. *In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas.* Neque prohibetur

tur prælatis; ſed ſubditis; Vnde non debent iudicare niſi ſubditum.

Sed Chryſoſto. *Nolite iudicare*, &c. id eſt, nolite iudicare voſmetipſos vindicando. Vnde ſi remittitis, non inde iudicabimini; imo ratione huius miſericordiæ, miſericordiam conſequemini.

PARS II.

Declaratoriæ comparationes.

SEquitur ratio. (*In quo enim*, &c.) id eſt, 1. Pro quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Pſal. 7. *Conuertetur dolor eius in caput eius*, &c. Et Matth. 26. *Qui percuſſerit gladio, gladio peribit*. 2. Vel ſic: Timere debent, qui iudicant, ne hoc iudicio Dominus permittat eos puniri, vt in Eſa. 33. *Væ tu qui prædaris, nonne & tu prædaberis?*

In qua menſura, &c.] Hic ponit rationem ſub ſimilitudine iudicij. 1. Iudex enim eſt ſicut regula animata. Cum enim vis æquare duo, defers ad regulam; & quod ſuperabundat de vno, reſecas; ſic ſi aliquis habeat de alieno, pluſquam debeat habere, id reſecat, & reddit vnicuique, quod ſuum eſt, id eſt, pro iſta menſura remetietur nobis. Sed obiicitur: Peccat quis temporaliter, & inde punitur æternaliter; videtur non ęquum iudicium. Dico, quod in peccato duo ſunt conſideranda: duratio & offenſa: & in offenſa duo, auerſio, & cõuerſio. Ex parte conuerſionis, culpa finita eſt. Ex parte auerſionis infinita, quia auertitur à Deo, qui eſt infinitus. Cum ergo auertat ſe ab infinito, infinite

 puniri

puniri debet. Itẽ ex parte durationis duo, actus & macula. Actus momentaneus est: macula infinita i. æterna: ideo infinite, i. æternaliter puniri debet. Vnde si à dæmonib. posset deleri macula; possent liberari à culpa & pœna. Similiter à parte pœnæ est acerbitas, & hæc est infinita. Item duratio, & hæc est infinita.

2. Arguit acrius (*Quid autem vides, &c.*) ne sit Iudiciũ inordinatũ, qꝫ ab aliquo incipit non plene examinata causa, aut grauitate delicti. In iudicando n. duo sunt necessaria, cognitio causæ & iudicium. Iob. 29. *Causam quam nesciebam, diligentissime inuestigabam*, &c. (*Quid autem vides festucam,*) leue peccatũ (*in oculo,*) i. in conscientiam fratris. [*Trabem autem,*] i. graue peccatum (*in oculo tuo*, &c.) Per trabem & festucam docet considerare quantitatem peccatorum. Sæpe n. qui grauia peccata committunt, reprehendunt eos, qui leuia. sicut contingit in iudicandis religiosis, cum aliqui, grauia facientes, quæ vident leuia in religiosis, iudicant grauia: sed absorbentur illa sicut vna gutta aquæ in multitudine vini. Item contingit q aliquis ex infirmitate peccet leuiter; & male affectus vellet punire illum ex odio: considerat festucam in oculo illius, non autem trabem in oculo suo.

(*Quomodo ergo.*) id est, qua fronte dicere potes, (*frater, &c.*) Verecundari debet. Chrysost. *Quo animo diligit homo magis alium quam se?* Si enim corrigis eum animo correctionis, prius corriges te: sed hoc facis odio vel inani gloria, ideo, & cæt. Sed quæritur.

Vtrum

Vtrum qui in peccato mortali est, possit alium corrigere?

Dico q aut aliquando fuit in peccato, aut non: Si nunquam, debet timere ne cadat: ideo & inuite corrigere. 2. Si aliquando in peccato fuit: cum mansuetudine corripere debet. Et ideo forte Dominus permisit Petrum cadere: qui debebat esse pastor Ecclesiæ, vt minus se haberet cum peccatoribus. Et de Christo dicit Paulus Hebr. 4. *Non habemus Pontificem, qui non poßit compati in infirmitatibus nostris, tentatum per omnia, pro similitudine, absque peccato.* Si autem subiacet peccato, aut est publicũ, aut occultũ. 3. Si occultũ, aut ex infirmitate: qa displicet ei q peccat: & sic corripere põt. quia, quod corripit in alio, corripit in seipso. Si ex malitia, nunquam debet corripere. 4. Si autem publicum, non debet arguere cum seueritate: sed mansuete seipsum coniungere illi. Vnde contra peccatores non est obiurgandum cum asperitate.

Sequitur, (*Hypocrita, &c*) Incipit Dominus arguendo, sicut inferius contra seruum nequam. &c. August. Ostendit, quod intendit reprehendere eum qui assumit autoritatem, quæ non est sua. Psal. 49. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & aßumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, &c. (Eiice primo, &c.)* ieiunando, orando, (*trabem, &c.*) Et tunc poteris videre festucam in oculo fratris tui.

pater: & pro viro mater illorum: & eris tu velut filius Altißimi obediens, & miserebitur tui magis quam mater. Iacob. 2. *Iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.*

Ideo addit retributionem iudicij parem operib. meriti, secundum quadruplicem differentiam actus, scil. Iudicandi, Condemnandi, Dimittendi & Donandi. Primus est æquitatis. 2. Seueritatis. 3. Pietatis. 4. Liberalitatis. 1. Retributionem per actum iudicandi describit, cum ait: (*Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Nam Matt. 7. *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini.*

2. Sed quia non intelligit de quocunq; iudicio; sed de eo, quod à pietate deuiat in crudelitatem, ideo ait: (*Nolite condemnare, & non condemnabimini.*) Rom. 2. *In quo enim iudicas alios, teipsum condemnas.* Quia Prouer. 12. *Qui iustificat impium, & condemnat iustum; abominabilis vterque est apud Deum.* Vnde reuocat à iudicio iniquitatis, & hortatur ad beneficium pietatis: Quod consistit in dimittendis iniuriis, &c. Et benefaciendo.

3. Quoad dimißionem malorum ait: (*Dimittite, & dimittetur vobis.*) Alioquin non salubriter oratis: *Dimitte nobis debita,* &c. Et post: *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis.* 4. De benefaciendo ait: [*Date, & dabitur,*] scil. in iudicio, in quo dicetur: *Date ei de fructu manuum suarum.* Quia (*Omni habenti dabitur, & abundabit.*) Matt. 25. *Illa enim sola secum aufert homo, quæ dedit pro Domino.* Eccl. 12. *Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis, quasi pupillam conseruabit, & postea resurget, &*

retribuet illis retributionem. Id attendens Zachæus ait Luc. 19. *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus.*

De II. *Quoad promissionem cœl. gloriæ.*

Mensuram bonam.] Nota hic poni dictiones quatuor, secundum 4. conditiones beatitudinis. Quarum *prima* est, in gaudio interiori animæ beatæ: Ideo dicit: (*Mensuram bonam*,) quia Psalm. 102. *Tunc replebitur in bonis desiderium tuum.* Dices cum Petro, Matth. 17. *Bonum est nos hic esse.* Quia par hominis & angeli mensura erit. *Secunda*, ex gaudio inferioris corporis glorificati. Ideo ait: (*Et confertam.*) Iob 5. *Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus in tempore suo.* *Tertia*, ex gaudio exteriore, scilicet ex societate Sanctorum, & renouatione creaturarum. Ideo ait: (*& coagitatam.*) Iob 22. *Argentum & aurum tuum coaceruabitur tibi:* id est, imperfecti & perfecti in meritis omnes colligentur in vnum gaudium. *Quarta*, Ex gaudio superiori, in visione Dei, ideo ait: (*& supereffluentem.*) Iob 22. *Tunc super Omnipotentem delitiis afflues.* Et de hoc quadruplici gaudio in præmio æterno potest illud exponi. Eph. 3. *In charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo* gaudij interioris, *Latitudo* exterioris, *Sublimitas* superioris; Et *profunditas* inferioris.

Hanc mensuram *dabunt in sinum vestrum*. Pauperes sunt quos Dominus iudices fecit: Ergo Lucæ 16. *Facite vobis amicos*: hi dabunt in sinum, in animæ capacitatem. Quid? Iob 19. *Reposita est hæc spes in*

sinu

sinu meo. Hanc si vis habere, fac consilium sapientis. Eccles. 29. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.*

De III. *Quoad comminationem pœnæ inferni.*

Eadem quippe mensura qua mensi fueritis,) sc. male agendo, *(remetietur vobis.)* Iuxta Deut. 35. *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Apoc. 18. *Quantũ glorificauit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Vnde Ioel. 3. *Cito, velociter reddam vicißitudinem vobis super caput vestrum.*

Erit autem mensura eadem remetienda reatui pœnæ. Non tamen in eadem duratione: Quia cito fugit peccati delectatio; sed semper manet punitio. Iob 7. *Sicut consumitur nubes, & pertransit, sic, qui descenderit, non ascendet, nec reuertetur vltra in domum suam.* Item in eadem, quoad offensam, quia contra infinitum bonum peccans debet infinito priuari bono. Thren. 3. *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius:* Adhæc, quia peccant in bonum infinitum intensiuè & extensiuè, deberent vtroque modo infinitè puniri: Sed quia creatura non potest habere infinitatem intensionis, ideo suscipit alteram, durationis. Vnde Aug. lib. 2. Epist. 49. Tom. 2. *Non actus temporalis facit, vt peccatum mortale æternaliter puniatur, sed circũstantia Illius, in quẽ peccatur: Qui cũ sit æternus, implentib⁹ præcepta bona, æterna promittit. Peccãtibus vero pœnam comminatur æternã.* Et ideo: *Dignus est malo æterno, qui in se perimit bonũ, quod posset esse æternũ.*

Grego-

Gregorius: *Iustum est, qui æternaliter peccato perfrui voluit, æternaliter pœnam inueniat.* Sicut in contractu temporalis est actio, & tamen ius perpetuum acquiritur ab emptore. Item. Vulneratio est temporanea, mortem tamen inducit perpetuam. Item, Bellum vnius horæ acquirit perpetuam seruitutem: ita temporale peccatum exilium sempiternum.

PARS II.

De retractione nostri à vanitate possidendi.

ET hoc triplici consideratione. *Primo*, Periculi declinandi. *Secundo*, Vitij detestandi. *Tertio*, Exempli imitandi.

De I. Declinandum est ruinæ periculum, quod imminet præsidenti superbè. Ideo ait: (*Nunquid potest cæcus cæcum ducere?*) q. d. non potest absque periculo. Nam (*nonne ambo in foueam cadent?*) Sed præsumptuosus vir, est cæcus. Apo. 3. *Dicis, diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu miser es, & miserabilis, & pauper, & cæcus & nudus.* De tali Rom. 2. *Confidit seipsum esse ducem cæcorum, & lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, &c. Qui ergo alium doces, teipsum non doces?* q. d. cæcus es. Ita est & dominandi cupidus, Ieremiæ 5. *Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos.* Ratio: *Stulte egerunt pastores, & Dominum non requisierunt, propterea non intellexerunt: & omnis grex eorum dispersus est.*

Ideo

Ideo subdit: (*Ambo in foueam cadunt.*) Gregorius: *Dum pastor per abrupta vitiorum graditur, necesse est, vt grex in præcipitium trahatur:* Væ! Nam Deuter. 27. *Maledictus qui errare fecit cæcum.* Sicut Lucifer, qui præesse voluit, adhærentes sibi secum in foueam detraxit. Isa. 14. *Quomodo decidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruebas in terram, qui vulnerabas gentes.*

De II. Superbia detestanda est, quia adhæret cupidis dominandi. Vnde ait: (*Non est discipulus supra magistrum,*) sc. ordinarie. Bern. *Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum praire contendo: & tunc non sapio, quæ Dei sunt.* Hoc dicit Dominus Ioann. 13. *Amen dico vobis, non est seruus maior domino suo, neque Apostolus maior eo, qui misit illum.* Qui ergo vult aliis superefferri, ignorat dictum Christi: qui dicit Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Aut alius nouit, in Apostasiam cadit. Iuxta illud Gregorij: *Quoties pastor aliis præesse delectatur, toties in apostasiæ crimen labitur. Desinit autem esse discipulus, dum vult dominari, & magister aliorum vocari:* Contra illud Matt. 23. *Nec vocemini magistri, quia Magister vester vnus est Christus. Qui maior est vestrũ,* &c

De III. Imitandum est vitæ perfectæ exemplũ, in subiectione: Ideo ait: (*Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius,* sc. Christus. Matth 20. qui *non venit ministrari, sed ministrare; & dare animam suam in redemptionem pro multis.* Hinc Lucæ 22. ait: *Qui maior est in vobis, fiat sicut iunior: & qui præcessor est, sicut ministrator.* Ratio: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Id quod ostendit in lotione pedum,

dum. Ioann. 13. *Scitis, quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis: sum etenim: Si ergo ego laui pedes vestros, &c. Exemplum dedi vobis, vt, quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Ad hoc exemplum inuitat Apostolus Philip. 2. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes; non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu,* &c. *Qui semetipsum humiliauit, formam serui accipiens.*

PARS III.

De reuocatione à temeritate iudicandi.

Reuocat inde, docens, quod, qui sic iudicat, sit *Primo,* Iniquus in cogitatione. *Secundo,* indiscretus in locutione. *Tertio,* Inordinatus in operatione.

De I. ait: [*Quid vides festucam in oculo fratris tui.*] id est, leue peccatillum, (*trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?*) id est, grande peccatum. Et insuper iudicium hoc iniquum. Prou. 20. *Abominatio est apud Dominum pondus & pondus, statera dolosa non est bona.* Non habet æquale pondus, qui magis in alio, quam in se ponderat culpam. Et is dicitur abominabilis, quia dupliciter peccat. In se, iustificando se superbe: In proximum, eum condemnando. Prou. 17. *Qui iustificat impium, & condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.* Sanius est consilium, aliis ignoscere multa; sibi nihil. Vnde Gala. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirita-*

ſpiritales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis: conſiderans ſeipſum, ne & tu tenteris: Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit; ipſe ſe ſeducit. Is habet trabem, ſuperbiam excæcantem. ſicut Balaam, Numer. 24. *Dixit homo, cuius obturatus eſt oculus,* ſc. in iudicando iniqua. Vnde Eccleſ. 31. *Nequius oculo quid creatum eſt?* Quare Luc. 11. *Si oculus tuus nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit.*

De II. Indiſcretus eſt in locutione iudex temerarius.

Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, ſine eiiciam feſtucam de oculo tuo,) reprehendendo: (*Ipſe in oculo tuo trabem non vides?*) Rom. 2. *Qui alium iudicas, teipſum non iudicas?* Luc. 4. *Medice, cura teipſum.* Vnde talis corrector merito deſpicitur. Grego. *Cuius vita deſpicitur, reſtat, vt eius prædicatio contẽnatur.* Quia *turpe eſt doctori, cũ culpa redarguit ipſũ,* ait Cato. Chry. *Quare in aliis vides tam parua peccata, & in te tanta trãſcurris.* Eccleſ. 34. *Ab immundo, quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur?* Ideo Pſ. 49. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas?*

De III. Inordinatus eſt in operatione iudex temerarius: Ideo ait: (*hypocrita, eiice primo trabem de oculo tuo.*) 1. Hypocritam vocat, qui iudicando aliũ prætendit zelum iuſtitiæ; &, ſeipſum non iudicando, habet vitium ſuperbiæ. Vnde Greg. lib. 8. Mor. c. 24. *Hypocrita cæteros reprehendit, vt in aliorum comparatione ipſe ſanctior videatur.* 2. Vel hypocritã vocat, qui exteriora ponderat, interiora negligit. Matth. 23. *Væ &c. quia mundatis, quod deforis eſt, calicis & paropſidis: intus autem pleni eſtis rapina & immunditia:*

Phari-

Pharisæe cæce: Munda prius quod intus est calicis, &c. id est, (*eiice primum*, &c.) Zach. 4. *Purificate corda duplices animo.* Quia Eccles. 14. *Qui sibi nequam est, cui bonus erit*? Charitas incipit à seipsa, si bene sit ordinata. 1. Timot. 4. *Attende tibi, & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens & teipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt.* Ideo subditur.

Et tunc perspicies,] id est, perfecte aspicies oculo mundato, (*vt educas festucam de oculo fratris tui*) Iob 26. *Obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus.* Sed Glossa: *Non est prius doctor idoneus alij mederi, qui nondum se sanauit.*

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Cum turbæ irruerent in eum. Luc. 5.

SCOPVS. Erudit populum Dominus, miraculo confirmat, vocatque discipulos, ac velut fundamenta ponit doctrinæ suæ deinceps superstruendæ.

PARTITIO.

I. *De præambulis ad docendum populum.*
II. *De sermone Domini ex nauicula.*

PARS I.

Præparationes ad erudiendum populum.

Tria

TRia hic. *Primo*, Importunitas plebis. *Secundo*, Opportunitas nauis. *Tertio*, Obedientia Petri.

De I. *Factum est autem, cum turba irruerent in eum, & audirent verbum Dei.* Ideo irruebant; quia Deut. 33. *Qui appropinquant pedibus eius, accipiunt de doctrina illius.* 2. Nec ignari tantum, sed & infirmi, ob sanitatem recuperandam appropinquabant. Lucæ 6. *Omnis turba quærebat eum tangere quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* 3. Neque hi solum; sed & peccatores, propter veniam, Lucæ 15. *Erant appropinquantes ei publicani, & peccatores vt audirent illum.* Irruebant, ob desiderium: attendentes magis domini bonitatem, quam maiestatem, at illud irreuerentiam irruentium excusat? Maxime, quia Dominus ad hoc inuitabat: Isa. 85. *Omnes sitientes venite ad aquas sapientiæ.*

In cuius signum Et *ipse stabat secus stagnum Genezareth.* Ita Ioan. 7. *Stabat Iesus, & clamabat dicens: si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* In hoc stagno, seu mari Genezareth, vel Tiberiadis, vel Galilææ, vel lacu Iordanis, (nam his nominibus dicitur) multa fecit miracula Dominus; vt in captione piscium, sedatione tempestatum, calcatione vndarum, &c

De II.

Quoad opportunitatem nauis.

Vidit duas naues stantes secus stagnum: (piscatores autem descenderant, & lauabant retia.) Itaque opportu-

næ erant ipsius proposito. Vidit pauperum naues. Psal. 137. *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit.* Et ista ei seruiunt. Nam 1. Eccl. 3. *Magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.* Ideo & ipse humilis vicissim seruit. Sap. 14. *Tua, pater, prouidentia ab initio cuncta gubernat; quoniam dedisti & in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam ostendens. Quia potens est ex omnibus seruare, etiamsi sine rate aliquis adeat mare.*

De III.

Quoad obedientiam Simonis.

A*Scendens autem Dominus in vnam nauim, quæ erat Simonis)* pauperis. Iac. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo; diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus, diligentibus se? (Et rogauit eum à terra reducere pusillum)* Qui enim vult alios docere, debet interiori affectu terrena despicere. & exterioribus actibus turbas præcellere. Vnde Exod. 23. *Non sequeris turbam ad faciendum malum; nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ.* Nota. Humilis Dominus rogat seruum; prælatis in exemplum. Ita 1. Thes. 4. *Rogamus vos, & obsecramus in Domino Iesu.* Quia, ait Ambrosius Tom. 5. in serm. de S. Basilio *Coacta seruitia Deo non placent.* Tum quia ait Seneca, *Generosus est animus hominis, & facilius ducitur, quam trahitur.*

* * *

PARS

PARS II.

De sermone Christi ex nauicula

I (*Sedens docebat de nauicula turbas.*) 1. Sedere spectat ad docentis auctoritatem. Matt. 5. *Cũ sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius.* 2. Ad personam iudicantis. Psalm. 9. *Sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam.* 3. Ad sapientiam. Psal. 99. *Qui sedes super Cherubin manifestare coram Ephraim.* Cherubin, id est, plenitudo scientiæ. Et de hac accipiebat turba.

Vnde 1. (*Docebat turbas*) Ioel. 2. *Filij Sion, exultate, & lætamini in Domino; quia dedit vobis Doctorem iustitiæ; & descendere faciet ad vos imbrem matutinum, & serotinum sicut in principio.* 2. In mari docet; quia de profundo sapientiæ. Sed Iob. 26. *Cum vix paruam stillam sermonis eius audierimus; quis poterit tonitruum magnitudinis intueri?* 3. (*Turbas;*) quia Prou. 3. *Cum simplicibus sermocinatio eius.* Matt. 11. *Quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus: & reuelasti ea paruulis.* Ratio: Quia turbæ non requirunt subtilia; sed vtilia. Et talium doctor est Dominus. Isa 48. *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia: gubernans te in via qua ambulas.*

II. MORALITER. 1. Exemplum prædicatoris docet Stans, Videns, Ascendens, & Sedens. Sic prædicator. I. *Stat*, per rectitudinem intentionis. Exo. 2. *Sta super pedes tuos, & loquar tecum.* 2. *Videat*, per certitudinem discretionis. Prou. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* 3. *Ascendat*, perfectionis studio. Isa. 40. *Ascende tu, super montem excelsum, qui euangelizas Sion.*

4. *Sedeat* per otium contemplatiuis. Thr. 3. *Sedebit Solitarius & tacebit; quia leuauit se super se.* De his quatuor sere. 6. *State super vias*, 2. *& videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona.* 3. *Et ambulate in ea:* 4. *Et inuenietis refrigerium animabus vestris:* sc. per otium contemplationis.

II. In turba irruente datur exemplum auditoris. Nota quatuor in turba. 1. requirebat. 2. veniebat. 3 detinebat. 4. vt hic, irruebat. 5. vt Lucæ 14. comitabatur. 6. Subsequebatur, vt Lucæ 23. Ita boni auditores. 1. Quærunt sapientiam, per meditationes. Sap. 8. *Hanc amaui, & exquisiui eam à iuuentute mea.* 2. Veniunt, desiderio. Psal. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* 3. Retinent, oratione. Cant. 3. *Tenui eum nec dimittam.* Sed heu Isa. 49. *Non est, qui inuocat Nomen tuum, qui consurgat, & teneat te.* 4. Irruunt, impetu deuotionis. Ezech. 1. *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* 5. comitantur, conformitate bonæ operationis: sicut Henoch Gen. 5. *Ambulauitque cum Deo, & non apparuit; quia tulit eum Deus.* 6. sequuntur, imitatione passionis 1. Pet. 2. *Vobis relinquens exemplũ vt sequamini vestigia eius.* Talib. promittitur gloria. Matt. 19. *Amẽ dico vobis; quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede,* &c. *Et omnis qui reliquerit domum,* &c. *centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

II. CON-

II. CONCIONIS DISPOSITIO DOMINICÆ V. POST PENTECOS.

Duc in altum. Lucæ 5.

SCOPVS. Post eruditionem populi, subditur operatio miraculi.

PARTITIO.

I. De operatione miraculi.
II. De morali eiusdem expositione.

PARS PRIMA.

De operatione miraculi.

QVatuor hic. *Primo*, Ex parte Christi, altitudo potentiæ. *Secundo*, Ex parte Petri, certitudo fiduciæ. *Tertio*, Ex parte miraculi, multitudo copiæ. *Quarto*, Ex parte consortij, prompritudo auxilij. De I. (*vt cessauit loqui.*) Velut Magister cuius erat *confirmare sermonem sequentibus signis.* Mar. 16. (*dixit ad Simonem*) Per potestatis imperium, cui omnia obediunt. Ioan. 2. *Quodcunque dixerit vobis, facite.*

Sequitur imperium. (*Duc in altum*). Vbi est piscium multitudo, quos, vt Deus, aspiciebat. Eccl. 23. *Oculi domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi.* Ideo ait (*Laxate retia:*) sic iam; at post resurrectionem, Ioan. 21. *Mittite in dexteram nauigii rete, Et*

inuenietis. Imperat; vt ostendat, quod Deus Psal. 8. *Omnia subiecit sub pedibus eius.*

De II.

Quoad confidentiam miraculi impetrandi.

[*Præceptor*] Non ait, Doctor: Quia credebat habere eum non solum scientiam ad docendum; sed etiam potentiam ad faciendum. Isa. 55. *Ecce testem populi dedi eum, Ducem & Præceptorem gentium*. Isa. 30. *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis.*

Et quia confidentia vera non proprijs nititur viribus, sed diuinis; ideo subdit. [*Per totam noctem laboraui, &c.*] dicere poterat cum Isa. 49. *Sine caussa & vane fortitudinem meam consumsi*. Iob. 7. *Ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi.* nũc tu spes mea: ergo (*in verbo tuo, laxabo rete.*) Quia tu ais: Isa. 55. *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum: sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illum.* Vnde Abraham, Rom. 4. *In repromißione Dei non hæsitauit diffidentia: sed confortatus est fide, plenißime sciens.*

De III.

Quoad multitudinem piscium:

Cum hæc fecissent concluserunt, &c. Impletur illud Ioan. 14. *Quodcunque petieritis Patrem in Nomine meo, hoc faciam.* Nam fides Petri istud impetrauit miraculum. Vnde Petrus à petra meruit appellari. Et domi-

dominus ipsi ait: Lucæ 22. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* (*Rumpebatur autem rete*). Hæc miraculi est, præter sufficientiam, etiam excellentia. Qui potuit pisces in retia congregare; potuit & retia conseruare. Vnde *cum tanti essent non est scissum rete.* Ioan. 21. Et hoc ob figuram; quia, ait Gregorius hom. 2. & 24. in Euang. *Miracula Dei semper nobis aliquid insinuant attendendum.* Hæc autem captura significat electorum congregationem in gloria: ista autem ante resurrectionem, significat congregationem in Ecclesia: Quia vero è gloria nullus egreditur; ex Ecclesia autem multi; Ideo hic rumpitur rete; non ibi: Et illa dicitur fuisse in dextera nauigij, cum numero piscium indeterminato; ista non. Hic iunguntur naues, ob multitudinem tentationum: ibi in terra requiescunt. Hic Christus in naui: ibi in littore requiescit.

De IIII.

Quoad consortium prompte auxilians.

[*Et annuerunt socijs. &c.*] 1. Quia, Tob. 12. *Opera Dei reuelare, & confiteri honorificum est.* 2. Et quia nullius boni sine socio iucunda possessio est. Vnde Eccle. 4. *Melius est duos esse simul, quam vnum: habent enim emolumentum societatis suæ.* Ideo (*annuerunt, vt venirent, & adiuuarent*). Prou. 18. *Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Et vere *vir amicabilis ad societatem magis amicus erit, quam frater.*

Hinc (*impleuerunt ambas nauiculas*) Quia Prou. 10. *Benedictio Domini diuites facit.* Dicant igitur Tob. 12. *Bonis omnibus per eum repleti sumus.* Quæ impletio nauis est impletio Ecclesiæ. Matt. 13. *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare. Et ex omni genere piscium congregãti.* Et tot ac tantos: (*ita, vt pene mergerentur.*) Adeo etiam improbi in Ecclesia multiplicantur. Matt. 24. *Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Nec tamen nauis mergitur, quamuis Paulus dicat 2. Cor. 11. (*Ter naufragium feci.*)

PARS II.

De morali dictorum expositione.

MOralitei hic nota. 1. *Piscatores* sunt prædicatores. vnde infra: (*ex hoc iam homines eris capiens.*) Et Matt. 4. *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Ideo Iere. 16. *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus.*

Et piscabuntur eos.)

Contra, diabolus Piscatores habet improbos, hæreticos. Abac. 1. *Facies homines quasi piscis maris, & quasi reptile non habens principem: totum in hamo subleuauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit in cete suum.* Nimirum Isa. 19. *Mœrebunt piscatores & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, & expandentes rete super faciem aquarum emarcescent.*

2. *Naues* sunt duæ, quibus transitur mare Obedientia, & Patientia. Illa exercet in labore: Hæc sustinet in dolore. De obedientia potest intelligi illud Sap. 14. *Exiguo ligno committunt homines animas suas.*

suas, Et transeuntes mare, per rarem liberati sunt. Sic humilis obedientia perducit ad terram beatam. De patientia illud Actorum 27. *Nisi vi in naui manserint; vos salui fieri non potestis*. Quia Hebræ. 10. *Patientia vobis necessaria est; vt voluntatem Dei facientes reportetis promißionem*. De vtraque: Psal. 100. *Qui descendunt mare in nauibus facientes operationem*, sc. Obedientiæ, *in aquis multis*. sc. tribulationum & patientiæ. Quia Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*.

3. *Retia* sunt Discretio, & Locutio; quæ vicissim debent connecti, ad instructionem populi per artificium spiritus sancti. Thr. 1. *De excelso dimisit ignem in oßibus meis, & erudiuit me: expandit rete pedibus meis*, &c. Coloss. 4. *In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, vt sciatis quomodo oporteat, &c.* Hæc autem retia contexuntur, quando ex verbis sacræ scripturæ in vnam seriem congregatis, sermones componuntur; in quibus magis est vtilitas, quam subtilitas attendenda. Vnde curiosis cõminatur Dominus, Isa. 19. *Confundentur, qui operantur linum, plexentes & texentes subtilia*. Per hæc retia facilius capiuntur simplices laici, quam clerici eruditi. Vnde in Prou. 1. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum*. Sed tales per rete capiuntur sententiæ mundanæ: Prou. 8. *Irretiuit eum multis sermonibus & blanditiis labiorum protraxit illum*.

4. *Modus capiendi*, est naues ducere in altum; id est, ascendere ad vitæ perfectionem: Et laxare retia in capturam, per prædicationem: Quæ duo de-

bent esse coniuncta, secundum exemplum Saluatoris: Act. 1. *Cœp t Iesus Facere, & Docere.* Quia dicit Grego. *Cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur*: Vnde ad illos potissimum spectat potissimum retia in prædicatione laxar ; qui ad perfectionis apicem possunt ascendere. Et ideo Roman. 15. dicebat Apostolus. *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus.*

III. CONCIONIS DISPOSITIO. DOMINICA V. POST PENTECOST.

Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua. Luc. 5.

SCOPVS. Tradita populo doctrina; confirmataque miraculo, Dominus vocat ad sequelam Discipulos, Petrum, filiosq; Zebedæi. Ad Petri perfectionem quatuor concurrerunt.

PARTITIO.

I. De Petri humiliatione, eum habilitante ad gratiam:
II. De eius admiratione, ad intelligentiam eleuante.
III. De Alleuatione Christi, ad confidentiam eum stabiliente.
IIII. De imitatione Magistri, eum ad iustitiam perducente.

PARS I.

De humiliatione Petri.

QVod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu.) 1. Viso miraculo humiliatus est, magnificãdo di-

do diuinam maiestatem. Et recte: quia Phil. 2. *In nomine Iesu omne genu flectatur, &c.* Isa. *Mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.* Et hoc fecit Petrus: Et quasi inuitauit alios ad idem exemplo dicens. Psal. 94. *Venite, adoremus, & procidamus*, &c. 2. Humiliatus etiam fuit, resiliendo in suam paruitatem dicens. (*Exi à me Domine, quia homo peccator sum.*) Hoc dicebat ex fide & reuerentia: vt Centurio, Matt. 8. *Domine, non sum dignus.* Visa potentia, nec cognita clementia territus Petrus istud dicebat; nesciens hoc Matt. 9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Vnde August. *Vt piscator loquitur Petrus: Deum secum habebat, & ait: Exi à me: ac si infirmus medico curare volenti diceret: recede à me quia ægroto.* Gregorius dicit. *Petre, immo si te peccatorem consideras, oportet vt à te dominum non expellas.* Sed certe sic humiliando se, non expellebat; quin attrahebat. Isa. 66. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?*

PARS II.

De admiratione Petri.

HÆc fuit causa humiliationis: eumq; simul eleuabat ad intelligentiã. 1. (*Stupor circumdederat eum.*) Isa. 29. *Ecce ego addam, vt admirationem faciã populo huic in miraculo grandi & stupendo.* 2. Nec solum: Sed (*omnes, qui cum illo erunt*) Psal. 106. *Qui descenderunt mare in nauibus, &c. ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.*

[3. *Similiter. a. Iacobũ & Ioannem*] Stupor circumdederat: qa vt socij fuerunt piscationis, sic & vocationis. Apo. 1. *Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribu-*

tribulatione, & regno. 2. Cor. 1. *Scientes quod sicut socij passionum estis; sic eritis & consolationum.* Isti semper indiuidui fuerunt. Vnde Luc. 8. *Nō permisit introire secū quenquam, nisi Petrum, & Iacobum & Ioannem.* Hos Lucæ 9. assumsit ad transfigurationem: & Matt. 26. ad orationem in horto.

PARS III.

De alleuiatione Christi.

NOli timere. Non excludit timorem reuerentiæ & humilitatis. Quia is principium est sapientiæ: Eccl. 1. *Qui sine timore est, non poterit iustificari.* Sed excludit timorem pusillanimitatis, qui opponitur confidentiæ Gene. 15. *Noli timere Abraham: Ego protector tuus sum.* Iosue 1. *Noli metuere, quoniam tecum est dominus Deus tuus.* Noli timere; quia ego tecum sum.

Et vt non timeat minora, promittit maiora: dicens. (*Ex hoc iam homines eris capiens.*) Glossa. *Nondum in Apostolatum eligitur; sed prædicitur quod sit eligendus.* Idque ibi: Matt. 4. *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Nominatim Petro dicitur, Matt. 16. (*Tibi dabo claues, &c.*)

NOTA (*Capies homines*) non aurum, &c. 2. Cor. 12. *Non quæro quæ vestra sunt; sed vos.* Phil. 4. *Non quia quæro datum; sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.*

PARS IIII.

De imitatione Magistri.

ET *subductis ad terram nauibus, & relictis omnibus.* Luc 14. *Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Dicit, (*omnibus:*) Quia ait Gregorius: *Tanta à sequentibus dimissa sunt; quanta à non sequentibus concupisci poterant.* Et quia omnia poterant concupisci, ideo omnia sunt dimissa. Vnde Grego. *Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit. Multum reliquit, qui etiam cum eo quod habuit, voluntatem habendi dereliquit.*

Sed quia non sufficit relinquere sua. Nam hoc & Philosophi quidam fecerunt; ideo (*secuti sunt eum.*) Vnde Petrus, Matt. 19. *Quæ nos reliquimus omnia, &c.*

Iob. 33. *vestigia eius secutus est pes meus.* Quia gloria magna est sequi Dominum. Sic Elisæus secutus est Eliam. 3. Reg. 19. Nota Ioan. 1. Iuxta Iordanem hi vocantur ad simplicem notitiam Christi: Hic vocantur in familiaritatem Christi: *Matt.* 4 Vocantur in discipulatum. Ideo non sibi pugnant Euangelistæ in diuersitate loci & temporis.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

Nisi abundauerit iustitia vestra. Matth. 5.

SCOPVS. Præcipit de perfectione Nouæ legis interiore mente & actione explendæ. Ac primum quo ad iram coercendam.

PARTI-

PARTITIO.

I. De iustitia Christiana.
II. De gradibus iræ, quatenus sit vetita.
III. De prohibitione odij.
IV. De fuga discordiæ cum aduersario.

PARS I.

De iustitia Christiana.

PRimo, monet ad abundantem iustitiam. *Secundo*, ostendit modum abundantis iustitiæ. De I. [*Dico autem vobis*] id est, hic prædico: vnde attendite diligẽter: quia [*nisi abundauerit iustitia vestra.*] 1. Chrysostom. Iustitiam vocat vniuersalem virtutem. 2. *August.* Non solum legis præcepta, sed etiam illa quæ addo. *Contra.* Act. 15. *Hoc est onus quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus.* Exo. 17. *Erant manus Moysi graues.* Quomodo ergo dicit, *abundauerit*? *Responsio.* quia specialiter hoc dicitur discipulis, & per consequens omnibus: & extendendum est non solum ad exteriorum operum exhibitionem: sed etiam ad animi cohibitionem. Leuior autem est: quia est lex amoris: & amor omnia facit leuia.

Item videtur ex hoc, quod Moderni teneantur ad maiorem iustitiam, quam antiqui. *Contra*: Cælibatus Ioannis non præfertur coniugio *Abrææ*: *Responsio.* *Ad* iustitiam maiorem non tenentur: sed abundare in iustitia dicuntur, quia quod occulte dictum est antiquis, expressum est Modernis. Vnde ibi

de ibi figura: hic veritas. *Item* ſuper illud (*pluſquam ſcribarum*) Chryſoſtom. *Non iniquorum. Quia non ei, quæ non erat, comparaſſet illam iuſtitiam, quæ erat.* plus enim & minus eiuſdem generis ſunt. Ergo ſcribæ erant iuſti? Reſponſio. Talis iuſtitia erat apparens. Vnde non ei, quæ non erat: id eſt, quæ non eſſe videretur. (*Pluſquam ſcribarum & phariſæorum.*) 1. Quia iuſtitia horum erat in præſumptione ſuæ actionis: & in iudicio alterius, patet in illo Luc. 18. *Ieiuno bis in ſabbato.* 2. Quia erat in oſtentatione operis: non in rectitudine intentionis. 3. Quia erat in lotione, & exteriori munditia: non in opere. 4. Quia in afflictione corporis per ieiunia: & non in mandatorum obſeruatione. 5. Quia erat in minoribus obſeruantijs; relictis grauioribus legis. Quaſi ergo dicat: nõ ſolum ſi minima quemadmodum phariſæi faciunt impleueritis: ſed etiam illa quæ addo ad perfectionem, (*non intrabitis in regnum cœlorum,*) id eſt in eccleſiam triumphantem. Prouerb. 15. In abundanti iuſtitia virtus maxima eſt.

De II. [*Audiſtis, &c.*] Hic oſtendit modum abundantis iuſtitiæ. Abundans autem iuſtitia eſt ordinans omnem motum animæ: Iraſcibilem ſc. de quo hic: Concupiſcibilem, Rationalem. Hic docetur ordinari in ſuis motibus virtus iraſcibilis ſiue animatiua. Sed *Primo*, ponit prohibitionem legis circa actum, ex indebita inordinatione iraſcibilis erga proximum. *Secundo*, ponit ſuperadditionem ipſius prohibitionis ſecundum perfectionem euangelicam, ibi. (Dico autem vobis, &c.)

1. *Quærit*

PARS II.

De gradibus iræ quatenus vetita sit.

EGo.a.dico vobis,] quasi dicat, lex data punit actualiter; sed dico q; iudicio legis cælestis, non solũ q, occidit, sed etiam qui irascitur, reus est. Vnde hęc est pars vbi ponitur sup additio, ex qua ordinatur irascibilis in suis motibus. 1. Est.a.ira, & ad ꝓximũ, & ad aduersariũ (q̄ est discordia) quam ibi ꝓhibet: [*Esto consentiẽs, &c.*] 2. Insup ira ad ꝓximum est, vel subita, vel inueterata; (q̄ est idem q; odium) quam ibi remouet: (*Si offers munus tuũ, &c.*] 3. Ira subita est duplex, vel intus latẽs; vel exterius apparẽs. Et hęc duplex, s. cum apparet exterius p signũ confusũ, quando qs ꝓrumpit in vocem indignationis: q̄ remouet ibi, [*Qui dixerit fratri suo, Racha, &c.*] 3. Vel per signũ determinatum, sicut quãdo prorumpit in sermonem exprimendo affectionem irascibilis cum certa malitia, quam remouet, ibi, [*Qui autem dixerit fatue, &c.*] Per hoc enim exprimitur discreta indignatio procedens à ratione.

Quantum ad primum, s. prohibitionẽ iræ latentis, quę est motus indignationis, siue maleuolẽtiæ; dicit, (*Ego.a.dico vobis, qui irascitur fratri suo.*) .quicũque motũ malum ad nocendum ꝓximo habuerit & retinuerit, secundũ Rabanum (*reus erit iudicio*) i. dignus accusatione. Secundum Augustinum, hoc iudiciũ habet condemnationẽ, & pœnã incertam. Vnde qui habet voluntatẽ nocendi tantum in animo, debet iudicare se reũ. Et hęc ita radix est homicidij. de quo supra. Chrysosto. *Radix occisionis est ira.* Qui radicẽ abscidit, destruit ramos. Sed hic est *quæstio: Si omnis qui irascitur,* &c. Cum sancti irascuntur

aliquid aduersum te] sc. pro contumeliæ affectione, pro corporali læsione, pro temporalium subtractione, pro famæ denigratione: [*Relinque ibi*] scilicet coram altari, siue coram Deo munus tuum: [*Et vade*] si absens est: Non pedibus corporis, vt dicit Augu. Sed animo humili te prosternas in conspectu eius, cui oblaturus es: si præsens sit: reuocãdus est ad amorem petendo veniam ab eo. 2. Vel si [*frater tuus*] qui te læsit [*habet aliquid aduersum te,*] id est, vnde aduersatur tibi: [*vade reconciliari fratri tuo:*] dimittẽdo rancorem ipsi. Ex hoc enim, quod dicens, *si frater tuus habet aliquid aduersum te,* non apponit, *iuste*; dat intelligere, quod etiam ille, cui iniuria facta est, debet quærere amicitiam. Vnde Chrysosto. *Si pro gloria salutis tuæ iubet te Dominus amicitiam facere, multo magis debes rogare, vt duplicem gloriam consequaris, vnam quia innoxius es, alteram quia prior rogasti.* [*Et tunc veniens*] quasi placens domino, qui prius non placebas: [*offeres munus tuum.*] Chrysost. *Si cogitatu ostendisti, cogitatu reconciliare: si verbis, verbis: si factis: factis.* Et iterum, *Nisi, quem factis læsisti, factis placaueris: sine causa oras ad dominum, sine causa eleemosynas facis de rebus quibus alios expoliasti. Quid enim prodest, si alius pro te orat ad dominum: & alius aduersum te interpellat ad dominum?* Ecclesiast. 34. *Dona iniquorum non probat altissimus.*

Nota hic quatuor, quæ requiruntur ad damnationem, siue oblationem. Primo Mentis hilaritas: vnde dicit, *Si offers.* Eccl. 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Secundo rei proprietas. Vnde dicit [*munus tuum.*] Prouer. 3. *Honora Deum de tua substantia.*

tia. Tertio loci opportunitas [*ad altare.*] Quarto proximorum charitas. Vnde dicit, [*Et recordatus fueris.*] 1. Corin. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Stultus est qui copiam ciborũ perdit pro denario salis. i. charitatis, quę dat omnibus saporem, & decorem, vt aurum alijs metallis.

PARS IV.

De fuga discordiæ cum aduersario.

ESto *consentiens*, &c.] Supra prohibuit habere iram siue discordiam cũ fratribus, hic remouet habere discordiam cum aduersario dicens [*Esto cõsentiens*] id est beneuolus vel benignus, vt habetur ex græco, sicut dicit Hieronymus. [*Aduersario:*] Ergon' est ipsi consentiendum ? Responsio. 1. Loquitur de illo qui nobiscum est in via; sed diabolus non est in via: Nec potest esse; sed est in deuio ęterno. 2. [*Aduersario tuo*] secundum Chrysostomum, id est homini aduersanti; siue inimico ad literam. Rom. 12. *Si fieri potest, cum omnibus hominibus pacẽ habentes (dum)* id est, donec, (*es cum eo in via*) id est, in statu merendi. Ioan. 9. *Venit tempus quando non licet operari.* 3. Vel aduersarius noster est Deus. Exo. 23. *Ego Dominus qui auersor impium.* 4. Vel Sermo diuinus, qui aduersatur peccare volentibus. 2. Tim. vl. *Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendũ, ad arguendum*, *vel conscientiam remordens:* de qua psalmus. *Arguam te & statuam contra faciem tuam.*

Et sic iterũ omnibus istis modis exponitur. Vnde esto consentiens aduersario tuo, id est Deo; & diuino sermoni secundum Augustinum, & Bedã.

Qui-

Quibus est consentiendum, In spe promissi: In timore supplicij: In opere præcepti: In declinatione prohibiti. [*cito*] id est, sine mora. Ecclesiast. 5. *Ne tardes conuerti ad dominum*: (*dum es cum eo*), id est, cum quo recte gradieris [*in via*] scilicet Christi, siue pœnitentiæ, siue mundi. psal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.*

[*Ne forte tradat te*] secundum Augustinum, *ne forte* causa sit occasionaliter vt tradaris. Et dicit [*forte*] secundum Gloss. *ne auferatur pœnitentiæ locus.* Si enim obijsset aduersarius ante, quam consentiret, siue esset beniuolus: videretur quod damnaretur, dicendo simpliciter. [*ne tradat te aduersarius*) id est, sermo diuinus, vel Deus, vel conscientia remordēs (*iudici*) Gloss. *in manus Christi.* Ioan. 5. *Omne iudiciū dedit filio.* (*Et iudex*) id est, Christus: Hier. 29. *Ego sum iudex & testis*: (*tradat te ministro.*) Gloss. id est, *angelo, qui colligit zizania ad comburendum.* Matt. 13. psā. 102. *Qui facit angelos suos spiritus*, vel (*ministro*) id est, exactori diabolo. Esa. 14. *Quomodo cessauit exactor?* (*Et in carcerem mittaris*) id est, in abyssum inferni. Esai. 24. *Claudentur in carcere.* Apoc 20. *Misit illum in abyssum, & clausit.*

(*Amen dico tibi*) id est, certo scias, (*quia non exies inde donec.*) Gloss. id est, *nunquam.* Vnde Augustinus: (*donec*) non significat hic finē pænæ; sed continuationem miseriæ: quasi dicat, *Semper solues, & numquam persolues.* Sicut in psam. 109. *Sede à dextris meis donec ponam*, &c. id est, semper sedebis. (*Reddas nouissimum quadrantē*) i. minutissima peccata, secūdum Bedam, & Rabanum. Quia nihil remanebit impunitum.

Dominus ſatiauerat ex quinque panibus quinq; millia. *Myſtice.* In hoc gratia Dei & miſericordia ſignificatur, qui indignis myſteria ſua reuelat, & per eos ſacramenta miniſtrat. Hier. 1. *Neſcio loqui domine, quia puer ſum: cui dominus: Noli dicere quia puer ego ſum.* Exo. 4. *Impeditioris ſum linguæ, & tardioris,* &c. Eſa. 3. *Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, nolite me constituere principem populi.* De II. Quanta materia aderat? (*Ait illis Ieſus. Quot panes habetis?*) Non petijt vt ignorans; ſed vt miraculum oſtenderetur. Vnde & paucos piſciculos ſupra in alio miraculo commemorari fecit. Et dicitur quod quinque panes habebant & duos piſces. In quibus doctrina legis ſignificabatur. 2. Et illi panes erant hordeacei: hic ſunt ſeptem, & non dicuntur hordeacei. In quibus ſignificatur lex, noua ſeptiformis gratiæ Dei informata. 3. In illa duo tantum fuerunt piſces: in hac autem multi piſciculi. Iac. 2. *Vos elegit Deus pauperes in mundo, diuites in fide.* Pſal. 8. *Volucres cæli & piſces maris qui perambulant ſemitas maris,* id eſt, huius mundi.

PARS III.

De diſpoſitione.

ET *præcepit turbæ, &c.*) Et *primo,* diſponit: *ſecundo,* materiam accipit: *tertio,* gratias agit, frangit & diſtribuit. De I. (*Et præcepit.*) 1. In alia refectione habetur, quod fecit ſuper fœnum recumbere. Per fœnum temporalia ſignificantur. Vnde

Omnis

Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quasi flos agri. Esa. 40. Vnde in Veteri lege erat fundamentum super temporalia; in Noua solum super stabilitatem gloriæ. Eccl. 1. Tertia autem in æternum stat. 2. Vel per fœnum significatur, quod super temporalia debemus sedere. Vnde possessio non prohibetur: sed dilectio, siue affectio, 1. Ioan. 2. *Nolite diligere ea, quæ in mundo sunt, &c.*

De II. (*Et accipiens septem panes.*) In quo significatur, quod quicquid de spiritualibus administratum est alijs, primo fuit in Christo. Vnde Act. 1. *Cœpit Iesus facere, & docere.* Omnia spiritualia in eo fuerunt. Vnde Ioan. 3. *Non dedit ei Deus spiritum ad mensuram.* De III. (*Et gratias agens, &c.*] Dedit nobis exemplum, vt gratias agamus. 1. ad Thessal 5. *In omnibus gratias agentes.* Deinde, Quia *non omnibus omnia*, vt habetur 1. ad Corint. vlt. Item 1. ad Corin. 12. *Diuisiones gratiarum sunt.* De IV. Consequenter sequitur ordinata distributio, quia [*Et dedit discipulis, & discipuli dederunt populo.*] Primo discipulis, qui erant mediatores, Deute. 5. *Ego sequester & medius fui inter Deũ & vos in tempore illo, vt annuntiarem vobis verba eius,* &c. Et 1. Corint. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores, &c.*

PARS IIII.

De refectione ipsa.

CONsequenter ponitur quo ad plenitudinem refectionis ex abundantia reliquiarum, & ex nume-

numero manducantium, [*Et comederunt omnes.*] Posset quis dicere, quod de pauco pane possunt multi accipere, ita & quilibet parum. Sed non sic. Immo *saturati sunt.* Psal. 77. *Manducauerunt, & saturati sunt omnes.* Item, multæ fuerunt reliquiæ, quia [*tulerunt septem sportas.*]

Quæst. Quare, cum pauciores panes fuissent, plures reliquiæ remanserunt, cum scilicet saturauerit quinque millia de quinque panibus? *Potest dici.* Quod idem sunt vel plus, septem sportæ quam duodecim cophini. 2. Chrysost. dicit, quod diuersa fecit miracula, & modo diuerso; vt discipuli magis memores essent. Primo primi miraculi, in quo tot reliquiæ quot Apostoli: Hic autem secundum numerum panum, in quo significatur quod spirituales homines refici debent septiformi gratia Dei. 1. Corin. 2. *Animalis enim homo non percipit ea quæ Dei sunt.*

Sequitur numerus comedentium. [*Erant autem qui manducauerunt, quatuor millia hominum, &c.*] Supra fuerunt quinque millia: quia vacabant quinque sensibus. Vel propter quinque libros Moysi: Hic autem quatuor propter quatuor virtutes cardinales: Vel propter quatuor Euangelistas, &c. [*extra paruulos & mulieres.*] Sed quare excipiuntur isti? Quia imperfecti & infirmi à vera doctrina excluduntur, Ad Ephe. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum.*

DOMI-

DOMINCA VIII. POST PENTECOSTEN.

Attendite à falſis Prophetis. Matth. 7.

SCOPVS. Doctoris veri doctrinam Dominus iam propoſuerat: hic monet à ſeductoribus vt caueatur.

PARTITIO.

I. Cautelæ, à quibus ſit cauendum.
II. Qui pſeudofructus ſint.
III. Quæ neceſſitas obſeruandi doctrinam Chriſti.

PARS I.

De cautelis, à quibus cauendum ſit.

DEſcribuntur hi à profeſſione. Quia Prophetæ. Sed *poteſt quæri.* De quibus Prophetis? quia *lex & Prophetæ vſque ad Ioannem.* Vnde in tempore illo non erant Prophetæ de Chriſto: quia in ipſo finiuntur. Dicendum, quod Prophetæ ſunt Doctores in Eccleſia & prælati. Sed quid eſt quod dicit: falſi? 1. Falſi dicuntur, qui non mittuntur. De talibus Hier. 23. *Non mittebam eos, & ipſi currebant.* 2. Falſi dicuntur, qui mendacium dicunt. Vnde Hierem. 2. *Prophetæ eius prophetauerunt in Baal.* Sic etiam multi fuerunt Pſeudoprophetæ in populo: ſicut & in nobis erunt magiſtri mendaces. (*Attendite,*) id eſt, diligenter cauete. Quia occulti ſunt. Et à la-

qu

queis occultis cauendum est. Vnde malignitas eorum intrinsecus latet. Dicit ergo: (*Qui veniunt ad vos in vestimentis ouium*, &c.) Oues sunt fideles. *Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.* Psalm. 92. Vestimenta autem eorum sunt ieiunium, eleemosynæ, quibus se tegunt. 2. Tim. 3. *Habentes speciem pietatis: Virtutem autem eius abnegantes.* Sed sciendum, etsi lupi se tegant pellibus ouium: non tamen propter hoc ouis perdit pellem suam: sic licet illi mali bonis operibus tegantur, tamen multum boni proficiunt.

(*Intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*) Hoc principaliter exponitur de hæreticis, ex consequenti de malis prælatis. Vnde super illud Ioan. 10. *Ego sum pastor bonus*: dicitur, quod Quidam est pastor, qui gubernat & regit: Quidam lupus, qui perniciem intendit: Quidam mercenarius, qui commodum proprium quærit. Ideo pastor est amandus: lupus fugiendus: mercenarius tolerandus. Quod ergo dicitur (*intrinsecus*, &c.) intelligitur de his, qui habent intentionem peruertendi plebem, & lupi sunt dicendi. Item mercenarij, scilicet mali christiani: qui dispergunt malo exemplo, qui vitam habent malam, quantum ad effectum, habent modum lupi. Actor. 20. *Quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi*, &c. Et dicit, (*Intrinsecus*) quia malam habent intentionem occidendi plebem.

PARS

PARS II.

Qui sint pseudofructus.

A *fructibus eorum cognoscetis eos*, &c.] id est, operationibus. Sed videtur *contra*. Quia habent vestes ouium: & vestes sunt opera. Ergo ab eis cognoscentur. 1. Dicit S. Chrysost. *fructus est confessio fidei*. Vnde si confitetur fidem, non est hæreticus. Eph 3. *Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate, &c.* 2. Si autem exponatur de simulatoribus: tunc intelliguntur per vestes, exteriora opera. Galat. 5. *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, & pax, &c.*

Sed quæres, qualiter possunt cognosci? *Dicendum*: Vix potest aliquis hypocrita esse ita compositus, quin appareat aliquid malitiæ vel verbo vel facto. Prouer. 27. *Quomodo in aquis resp'endent vultus prospicientium, sic corda hominum manif sta sunt prudentibus*. Et Seneca. *Nemo potest diu fictam ferre personam.* In tribus autem maxime manifestantur. 1. In his quæ subito agenda occurrunt, quia in his quæ cum deliberatione quis facit, cauet sibi. 2. In tribulationibus. Eccles. 6. *Est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis, &c.* 3. Manifestantur quando non possunr consequi quod volunt: vel cum iam consecuti sunt. Vnde *principatus virum ostendit.*

[*Numquid colligunt*, &c.] *Per vuas*, ex quibus fit vinum, intelligitur spiritualis lętitia. Quia *vinũ lætificat cor hominis*. Psalm. 103. *Per ficus*, dulcedo ecclesia-

clesiasticæ pacis, quæ est charitas. Hęc non possunt nasci de tribulis, id est peccatoribus. Quia *spinas & tribulos germinabit tibi*. Genes. 3. Et hoc probat per exemplum. [*Omnis arbor, &c.*] Ex hoc Manichæi assumserunt duas naturas, scilicet bonam & malam. Sed non est verum: Quia videmus de mala creatione, bonum fructum; & è conuerso. Vnde intellige, quod arbor est principium fructus. Sed principium est duplex: naturæ, & moris. Principium naturæ est anima, & quicquid inde procedit naturaliter, totum bonum est. Principium autem moris est voluntas: Ideo, si voluntas fuerit bona, & opus erit bonum: cum habeat voluntatem bonam cum intentione bona Quia si vellet furari pro eleemosyna danda, & si voluntas bona est; non tamen intentio est recta. Sed quid fiet de arbore mala? (*Omnis arbor quæ fructum non facit, excidetur.*) Quia si non facit; vel, si omittit facere, cum possit; *excidetur*. Vnde Ioan. 15. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Vnde *Luc. 12.* dicitur de ficulnea, quam præcepit Dominus succidi & tolli. Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.

PARS III.

De necessitate obseruandi doctrinam Christi.

Concludit, [*Ergo à fructibus eorum cognoscetis eos.*) (*Non omnis qui dicunt mihi Domine, Domine, &c.*)

 Posita

Posita doctrina, ostendit, quod oporteat eam obseruare, quia nihil aliud sufficit ad salutem. Et circa mandata siue doctrinam Dei, quatuor sunt necessaria siue laudabilia. 1. Vt ore confiteamur. 2. Confirmetur miraculis. 3 Audiatur verbũ Dei. 4. Exequatur opere. *De primo* Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* De II. Marci vlt. *Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* De III. Vt audiatur Ioan. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* De IV. Requiritur vt faciat. Iac. *Estote factores verbi, & non auditores tantum.* Vnde ostendit, quod tria sine quarto non proficiunt. Ideo dicit, [*Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, &c.*]

Sed videtur hoc esse contrarium Apostolo dicenti, *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto*: sed qui habet Spiritum Sanctum, intrat in regnum cælorum. *Soluit* August. quod *dicere* dicitur multipliciter: Communiter: stricte & propriè. 1, Stricte non est aliud, nisi manifestare affectum & voluntatem, & sic dicitur ab Apostolo. 1. ad Cor. 12. *Nemo potest dicere Dominus Iesus nisi in Spiritu Sancto*, &c. Et hoc nihil aliud est quam credere Dominum, & obedire. 2. Communiter, id est, ore qualitercumque nuntiare. De quo Es. 28. *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est à me.* Vel sic. *Non omnis qui dicit mihi, &c.* Ingeminat verbum hic, [*Domine domine,*] Ad significandum quod duplex est confessio, scilicet vocis, & laudis: quarum neutra sufficit. Ideò Esaias 26. *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est à me.* Quis ergo intrabit?

Non

Non qui dicit, &c. (*Sed qui fecerit voluntatem patris mei, &c.*) Ioan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, &cæt.* Vnde nemo poteſt aſcendere, niſi deſcendat, vt Chriſtus. De quo Ioan. 6. *Deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam: ſed voluntatem eius qui miſit me.* Vnde oportet facere voluntatem Dei. 1. Theſſal. 4. *Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* Vnde Pſ. 62. *Doce me facere voluntatem tuam.* Et etiam ſicut dominus docuit orare. *Fiat voluntas tua.* Nota, per hoc, (*Regnum*) tangitur remuneratio æterna. Vnde dicit, (*Intrabit.*) Illud enim regnum in bonis ſpiritualibus eſt, non in bonis exterioribus. (*Intrabit.*) Ideo Cant. 1. *Introduxit me rex in cellaria ſua.* Item dicit, (*Cælorum.*) Quia licet aliquis hic diuitias habeat, vel honores; hoc totum eſt propter illud. Quare in ſublimibus erit remuneratio. Sed poſſet quis dicere, Quod facere miracula ſufficit ad ſalutem. At iſtud excludit (*quia multi dicent mihi, &c.*) Et dicit, *Multi,* ſignificans eos, qui ab vnitate recedunt, quia ſunt ſub multitudine: quia *ſtultorum infinitus eſt numerus.* Eccl. 1. Item introducit hoc ad notitiam eius quod dixerat, (*omnis arbor quæ fructum non facit, abſcindetur*) Non dixerat, à quo: Ideo dixit mihi, tamquam iudici conſtituto, *Quia omne iudicium dedit pater filio.* Ioan. 5.

* * *

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, &c. Luc. 16.

SCOPVS. Expresserat Euangelista Iudaicam prauitatem & diuinam pietatem in antegressis: Hic introducit commendationem pietatis humanæ, quæ persuadetur discipulis per documenta Christi, & exempla parabolica.

PARTITIO.

I. De Exemplo pietatis prouidæ.
II. De Documento pietatis perfectæ.

PARS I.

De exemplo prouidæ pietatis.

CIrca hanc septem. 1. Origo potestatis humanę repetita. 2. Abusio potestatis commissæ refutata. 3 Formidanda discussio æquitatis supernæ. 4. Toleranda imperfectio pietatis humanę. 5. Prouidenda inuentio amicitiæ fidæ. 6. Imitanda exhibitio liberalis clementiæ. 7. Laudanda discretio sagacis prouidentiæ.

De I. (*Dicebat autem & ad discipulos suos.*) Quibus dixit supra Lucæ 8. *Vobis datum est nosse mysterium*

rium regni Dei. Et Ioan. 15. *Vos autem dixi amicos; quia omnia, quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Ideo autem (*ad discipulos dicebat;*) quia Iudæis confutatis, eis debebat pietas persuaderi, ad quam vehementer incitat consideratio originis potestatis terrenæ: De qua dicit. (*Homo quidam erat diues, qui habebat villicum.*) Iste *Homo quidam* singularis & singulariter diues, recte intelligitur Deus: secundum illud Rom. 10. *Idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum.* Iste solus diues quia habet omnia & abundat. *Meus est.n. orbis terræ & plenitudo eius.* Et rursus Psal. 49. *Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum,* &c.

Huius hominis *Villicus* est quilibet homo, qui habet aliquod posse terrenum, siue dignitatis, siue diuitiarum dispensandum. Vnde Glossa. *Villicus est, cui Deus aliquas pecunias ad erogandum pauperibus, commisit.* Et vt alia Glossa hic. *Villicus est propria villæ custos.* Sed ponitur hic pro œconomo, id est, dispensatore. Humana igitur potestas, quoniam non est nisi ad tempus, & ab alio collata, non est nisi quædam villicatio & œconomia. Vnde 1. Para. 29. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Peregrini etiam sumus coram te & aduenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi vmbra super terram, & nulla est mora.* Vnde & Apostolus 1. Cor. 4. nolebat se æstimari dominum, sed œconomum & villicum dicens: *Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensores mysteriorum Dei, &c.* Talem villicum rerum præsentium se existimabat Iob. 1. *Do-*

minus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est.

De II. *Quo ad abusionem potestatis commissæ ab omnibus fugiendam.*

(*Et hic diffamatus est apud illum, quasi dißipasset bona ipsius.*) Bona namque Dei dissipat, qui temporalia ista vel male retinet, vel male accipit, vel male dispensat. Vnde Glossa. *Dißipatio est quando ipsa bona male congregantur, vel non bene expenduntur.* Ratio: quia bona temporalia sunt, vt per hæc acquirantur bona æterna. Cum ergo hæc temporalia sic habentur, vt propter illa æterna perdantur, tunc absque dubio dissipantur.

Qui ergo hæc temporalia sic expendunt, vt non quærant in eis meritum salutis, sed solatium carnis, Temporalia non dissipant ad modum boni villici: Sed dissipant ad modum filij prodigi. De quo Luc. 12. *Dißipauit substantiam suam viuendo luxuriose.* Contra quos Oseæ 2. *Dedi eis frumentum, & vinum, & oleum & argentum multiplicaui eis, & aurum, quæ fecerunt Baal. Idcirco conuertar & sumam frumentum meum in tempore suo & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius. Et nunc reuelabo stultitiam eius in oculis amatorum eius.* Vnde, quia plures sunt dissipatores, & pauci dispensatores, dicitur 1. Cor. 4. *Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.*

Tunc

Tunc autem bene hæc temporalia dispensantur, quando in opera misericordiæ distribuuntur: secundum illud 1. Luc. 17. *Quis putas est fidelis dispensatur & prudens, quem constitu t dominus super familiam suam?* Et istius dissipationis origo, & mater est in misericordia. Ideo dicitur, Prou. 29. *Nouit iustus causam pauperum, impius ignorat scientiam; homines pestilentes dissipant ciuitatem.* Tunc autem hic villicus apud dominum diffamatur, quando clamor pauperum ascendit ad dominum. Vnde Iac. 5. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis*: Et post: *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat; & clamor eorum in aures domini Sabaoth introiuit.*

Et quoniam crudelis est qui famam negligit, & omnis homo maxime horret infamiam, Ideo talis bonorum abusio est cauenda, ne ex dissipatione bonorum dispensatorum cadat in opprobrium & derisionem publicam secundum illud Eccl. 20. *Fatuus non erit amicus, & non erit gratia in bonis illius.* Et postea: *Quoties, & quanti irridebant eum?* Neque enim quod habendum erat, directo sensu distribuit similiter vt quod non erat habendum.

De III. *Quoad districtionem æquitatis diuinæ cuilibet formidandam.*

(Et vocauit illum & ait illi: Quid hoc audio de te?) Glossa; Vocat, quando incutit timorem æternæ damnationis. De qua vocatione dicitur Ezech. 3. *Et audiui post me vocem commotionis magnæ: Benedicta gloria Domini de loco suo.* Hac voce vocatur, qui ad considerandum futurum iudicium excitatur; vbi arguetur non solum secundum famam, sed secundum conscientiam, propter quod addit.

(Redde rationem villicationis tuæ.) Hæc autem vox in aure cuiuslibet debet resonare; quia absque dubio diuina æquitas rationem exigit de bonis commissis ad dispensandum: sicut innuitur Matt. 15. *Assimilatum est regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.* De malis commissis. *Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.* Sequitur ibidem; *Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei*: Et post subditur, quod de hoc rationem exegit. Et de bonis etiam omissis: Matt. 25. *Post multum temporis venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis*; & subdit de seruo pigro; quod proiectus est in tenebras exteriores. De malis etiam perpetratis: 1. Pet. 4. *Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandā his, qui ambulauerunt in luxurijs, desiderijs, vinolentijs, comessationibus*, Et sequitur. *qui reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos & mortuos.* Nec tantum de magnis malis, verum etiam de paruis: secundum illud

illud Matt. 12. *De omni verbo otioso, quod locuti sunt homines, reddent rationem in die iudicij.* Ab hoc ergo villico exigit villicationis rationem, quoad omnia quatuor prædicta. Quia, quantum ad modicum, dicit Bernardus. *Sicut nec capillus de capite peribit; sic nec momentum de tempore transit de quo non exigetur ratio.* Et post istius rationis exactionem non restabit possibilitas ad merendum. Ideo subdit: *Iam enim non poteris villicare.* Quia dicitur Eccl. 9. *Nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Vnde dicitur cuilibet villico: Prou. 27. *Non habebis iugiter potestatem.* Et Eccl. 10. *Et omnis potestatus breuis vita.* Propter quod Psal. 145. *Nolite confidere in Principibus, neque in filijs hominum, in quibus non est salus. Exibit Spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum,* &c.

De IIII. *Quo ad imperfectionem infirmitatis humanæ, in villico tolerandam.*

[*Ait autem villicus intra se; quid faciam? quia Dominus meus aufert à me villicationem?*] Quia enim timor iudicij sollicitat mentem ad prouocationem remedij, ideo videns villicus se esse iudicandum, requirit remedium. Secundum illud, Eccl. 18. *Ante iudiciũ para iustitiam tibi; & ante quam loquaris, disce. Ante languorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga te ipsum.* Quia vero perfectio pœnitentiæ consistit in afflictione & labore corporali, & humili-

 tate

tate & pudore mentali; hæcque duo recusat animus infirmi hominis; ideo addit: 1. (*Fodere non valeo*): Propter laboris corporalis difficultatem. Quia Prouerb. 19. *Qui delicate à pueritia sua nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.* 2. (*Mendicare erubesco*) propter actus contemptibilis vilitatem. Eccl. 29. *Super minimum pro magno placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies*: Et post: *Grauia hæc homini habenti sensum: Correptio domus & improperium fœneratoris.* Huic ergo villico similis est, qui refugit ordinem Cistertiensium, quia laborant: vel ordinem Minorum, quia mendicant: Et hoc tamen tolerabile est; quia ex infirmitate venit quod fugiat laborem; & ex pudore, quod fugiat mendicationem. Illam fugit, vt intolerabilem; hunc, vt contemptibilem. Sed licet ista sint difficilia homini imperfecto; facilia tamen sunt propter Christum perfecto Christiano. Nam Christus pro nobis factus est pauper, & in laboribus multis secundum illud, Psalm. 87. *Pauper sum ego, & in laboribus multis à iuuentute mea.* Et per hoc Dominus veris Christianis reddit laborem optabilem, & mendicitatem honorabilem. Quia Eccl. 33. *Gloria magna est, sequi Dominum,* Qui ipse de se ait: *Ego autem mendicus sum & pauper, & Dominus sollicitus est mei*: Id intellige quo ad temporalia: non quo ad spiritalia. Nam 2. Cor. 8. *Scitis gratiam Domini nostri IESV Christi; quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues.* Sed quia villico, vt imperfecto, non erat data gratia conformari Christo per-

sto per-

sto perfectè : ideo ait : (*mendicare erubesco.*) Non ait, *contemno* : quia hoc esset impietatis, non infirmitatis.

V. *Quoad inuentionem fidelis amicitiæ prouidendam.*

(*Scio quid faciam*) vt acquiram fidam amicitiam. Vnde Glossa: *Villicus est, cui Deus pecunias ad erogandum pauperibus commisit.* Qui erogat, dicere potest: (*Scio quid faciam*). Quia intendit facere amicos de Mammona. At 1. Ioan. 2. *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat; quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Contra: qui diligit, ipse scit quid facit: quia remedium quærit contra periculum. (*Vt, cum amotus fuero à villicatione,*) Per sententiam Dei iuxta illud Apoc. 2. *Veniam tibi cito, & mouebo candelabrum tuum de loco suo.* (*Vt recipiant me in domos suas,*) ex amicitia & misericordia: Nam Prou. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus est; Et frater in angustijs comprobatur.* Quia Eccl. 6. *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio: & non est digna comparatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.*

VI. *Quo ad*

VI. *Quoad exhibitionem liberalis misericordiæ imitandam.*

(*Conuocatis igitur singulis debitoribus suis.*) Ad literam ostenditur munificentia & misericordia villici; quia largitur multis; quia multum; quia moderate multis. 1. Multis: Secundum illud Sap. 6. *Omni petenti te tribue.* Isa. 32. *Beati, qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bouis & asini.* Et quia misericordia implendi debet egentibus, ideo non cuilibet dat, sed debitoribus: Secundum Isa. 58. *Dimitte eos, qui confracti sunt, liberos & omne onus dirumpe: Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.*

Secundo multum largitur: Quia, (*dicebat primo, Quantum debes domino meo?*) dicebat, inquam, per familiarem allocutionem. Eccl. 4. *Congregationi pauperum affabilem te facito. Et declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi pacifice, &c.* Et Eccl. 18. *Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic & verbum melius quam datum.* (*At ille dixit, centum cados olei.*) Ita quisque debitum suum fideliter agnoscat, ne forte ei dicatur: Apo. 3. *Dicis: diues sum, & locupletatus, &c. Cadus* continet tres vrnas. (*Dixitque illi accipe, &c. Scribe quinquaginta.*) Multum exonerat, qui medietatem auferendo supportat. Iuxta illud Gal. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

3. Moderate largitur: Quia secundum exigentiam debiti. Ideo (*Alij dicit: quantum debes?*) Mensuram

ram quærit, vt mensurate distribuat. Eccl. 24. *Vbi manus multa sunt, claude: & quodcunque trades; numera, & appende. Datum vero & acceptum omne describe.* (*Qui ait centum coros tritici.*) Corus, ait Glossa, modijs triginta constat, Et est maior quam cadus. [*Ait illi, &c. scribe octoginta*]. Glossa. Quintam partem dimittit & plus quam priori; quia mensura maior est. Ita & multis multa; sed moderate & discrete donauit. Iuxta illud Tob. 4. *Quomodo potueris, ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum, etiam exiguum libenter impartiri stude.*

VII. *Quoad discretionem prouidentiæ commendandam.*

[*Laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.*] Glossa. Non de fraude; sed de prudentia, quamuis peccantem, laudat. Itaque, omissis culpabilibus, villici prouidentia traditur in exemplum. Vt serpens ob venenum est detestabilis; ob prudentiam custodiendi caput, est imitabilis. Matt. 10. *Estote prudentes, &c.* Sic villicus hic. Et bene. [*Quia Filij huius sæculi prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua.*] Non quidem simpliciter; sed in his, quæ carnalia sunt. Sicut bubo, & felis noctu clarius vident, quam homo; non ad legendum literas, sed ad mures capiendum: vnde laudari possunt in suo genere; Ita sollicitudo quærentis pecunias quærenti sapientiam ponitur in exemplum. Prou. 2. *Si sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ: Si quæsieris eam quasi pecuniam, & sic-*

& sicut thesauros effoderis illam: Tunc intelliges timorem domini & scientiam Dei inuenies. Sic consideratione lasciui potest se pius excitare ad amorem pium, &c.

PARS II.

De documento pietatis perfectæ.

INuitat eos Dominus ad misericordiam ratione mercedis habendæ. *Primo*, præmissa exhortatione. *Secundo*, Addita ratione. De I. [*Facite vobis amicos de Mãmona iniquitatis.*] Mãmona vox Syriaca est, significans diuitias: *Iniquitatis*, quia Eccl. 11. *Si diues fueris, non eris immunis à delicto.* Vnde August. *Omnis diues aut iniquus, aut heres iniqui est.* Mammon Punice lucrum est: de quo male fiunt amici. Nam Eccl. 3. *Dona iniquorum non probat Altißimus & qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris.* Ergo eleemosyna danda est de iuste acquisitis. Quæ vix vnquam à culpa vacant. Nam Ecclesiast. decimo *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet.* Ergo Eccl. 29 *Perde pecuniam propter fratrem & amicum, & ne abscondas illam sub lapide in perditionem:* Prou. 21. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populo.*

De II. *Quo ad rationem.*

(Vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.)

cula.) Et hæc est causa cur danda eleemosyna. De his tabernaculis dicit Isa. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta* (*Facite vobis amicos*) Glossa. Non quoslibet pauperes: sed eos, qui possint in æterna tabernacula recipere. Et tales sunt voluntarij *pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Ipsorum quoque est iudicium: Nam Isa. 36. *Non saluat impios & iudicium pauperibus tribuit:* ijs, de quibus Matt. 19. *Vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, &c. sedebitis super*, &c. Item. Ipsorum quoque, tanquam familiarum, est hæreditas. Ideo Iacob. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo; Diuites in fide: hæredes regni, quod repromisit Deus, &c.* Hi nos in regnum introducent, secundum legem istam iudicialem Matt. 25. *Quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Et Matt. 10. *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.*

DOMI-

uenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum, in diebus iuuentutis tuæ; & scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. Patet igitur, quod Eccl. 7. *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.*

De III. *Quo ad ciuitatis excidium proximum.*

(*Quia venient dies in te & circundabunt. &c.*) Sicut Ezechielis 4. *Sume tibi laterem, & describes in eo ciuitatem Ierusalem; & ordinabis aduersum eam obsidionem; & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra. & pones arietes in gyro.* Hoc impletum est in obsidione Romana. Item Ezech. 4. *Pones sartaginem in murum ferreum inter te & ciuitatem, & obfirmabis faciem tuam ad eam, & eris in obsidionem & circumdabis eam: Signum est domui Israel.* Et hoc impletum scribit Iosephus, cum vrbis fame tanta, vt mater filium deuoraret. Thr. 2. *Matribus suis dixerunt, vbi est triticum & vinum? Cum deficerent, quasi vulnerati in plateis ciuitatis: Cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum, &c. Ergone comedent mulieres fructum suum, paruulos ad mensuram palmæ.*

1. (*Et ad terram prosternent te*) Thr. 2. *Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum suum, & non auertit manum suam à perditione; luxitque: ante murale, & murus pariter dissipatus est, & incolæ dissipati sunt.* Thr. 2 *Perdidit, & contriuit vectes eius. Regem eius & Principem eius in gentibus: Non est lux, & prophetæ eius non inuenerunt visionem à Domino.*

templum intrauit: vt ostendat excidij causam esse maximum peccatum Sacerdotum. Glossa. *Cum vendentes & ementes percutit, ostendit vnde radix perditionis processit.* Vnde Micheæ 3. *Audite principes domus Iacob, & iudices domus Israel, qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis: qui ædificatis in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate. Principes eius in muneribus iudicabant, & Sacerdotes eius in mercede docebant; Et Prophetæ eius in pecunia diuinabant: Propter hoc Sion quasi ager arabitur: & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit: & mons templi in excelsa syluarum.* Thr. 4. *Propter peccata prophetarum eius, & iniquitates sacerdotum eius: qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum.* Omnibus talibus Simoniacis dicit Petrus, Act. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam domum Dei existimasti pecunia possidere.*

De II. *Quo ad æquitatem iuris.*

(*Scriptum est, quia Domus mea domus orationis est.*) Hoc autem est Isa. 56. *Quia holocausta & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo: Quia Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis: ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israel.* Vnde Psal. 92. *Domum tuam decet sanctitudo.* Psal. 5. *Introibo ad Domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuũ.* 2. Para. 7. *Sint oculi tui aperti super Domum hanc die ac nocte de qua dixisti, erit Nomen meum ibi: Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit. Elegi n. & sanctificaui locum istum, vt sit Nomen meum in sempiternum.* Ideo dicebant sacerdotes 1. Mach. 7. *Tu domine elegisti domum istam, ad inuocandum*

nomen tuum in ea: vt esset domus orationis & obsecrationis populo tuo. Iuxta primum præceptum. Deut. 5. Et Matt. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

De III. *Quo ad impietatem sceleris.*

(Vos autem fecistis speluncam latronum) sacerdotibus id dicit. Glossa. *qui adhuc in templo residetis, vt non dantes munera prosequamini.* Spelunca latronum fit templum si patrimonium Christi tractetur inique. Iere. 7. *Nunquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris? Ite ad locum meum in Silo, & videte quæ fecerim ei, propter malitiam populi mei.* quæ quidem principaliter sacerdotibus imputatur. Vnde Chry. *Vnusquisque pro suo peccato reddet rationem: Sacerdotes autem non tantum pro suis, sed pro omnium subditorum. Vt enim videns arborem pallentibus folijs marcidam, intelligit quod causam habeat in radice: Sic, cum videris populum indisciplinatum, cognosce, quia sacerdotium eius non est sanum.* Ideo dicitur Mal. 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus domini exercituum est. Vos autem recessistis de via; Et scandalizastis plurimos in lege. Irritum fecistis pactum legis. Propter quod ego dedi vos contemtibiles omnibus populis.*

PARS II.

De Christi doctrina publica.

Ostendit se esse Regem, Iudicem, Pontificem: Iam docet se esse Doctorem docendi assiduitate.

tate. Et verus Doctor fuit, quia doctrina eius erat publica cunctis; exosa peruersis; gratiosa bonis: Idque ob suam Celebritatem, Veracitatem, & Gratiositatem.

De I. *Quo ad doctrinæ Christi celebritatem.*

(Erat docens quotidie in templo.) Sic Paulus Act. 20. *Non subterfugi, quo minus annunciarem omne consilium Dei vobis. Propter quod vigilate memoria retinentes quoniam per triennium nocte & die, non cessaui cum lacrymis monere vnumquemque vestrum.* Item hortatur fieri, 2. Tim. 4. *Testificor coram Deo, & Iesu Christo: Prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.*

1. Perfecta fuit publicatio doctrinæ ex parte Christi: 1. Quia fuit sine cuiusquam exclusione, Ioan. 18. *Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt: Et in occulto locutus sum nihil.* 2. Quia fuit Docens sine celatione alicuius vtilis. Isa. 49. *Ego Dominus docens te vtilia.* Ioan. 15. *Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* 3. Quia erat *iuste docens.* Nam solus Doctor erat Matt. 23. *Magister vester vnus est Christus.* Vbi Augustinus. *Cathedram habet in cœlo, qui intus docet corda.*

4. Perfecta erat doctrinæ publicatio, ex parte loci & documenti: Iuxta illud Acto. 20. *Nihil subtraxi vobis vtilium, quo minus annunciarem vobis, & docerem vos publice; & per domos testificans Iudæis & Gentibus*

libus in Deum pœnitentiam & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.

De II. *Quo ad doctrinæ Christi veritatem exosam incredulis.*

(*Princeps autem Sacerdotum.*) Propter ambitionem dignitatis sacerdotalis credere nolebant doctrinæ humilitatis. Ideo de talibus Isaias 1. *Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera,* &c (*Et Scribæ:*) Sic dicit propter ambitionem Cathedræ magistralis. Secundum illud Matt. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi*; Et Matt. 23. *Attendite à Scribis, qui uolunt ambulare in stolis & amant salutationes in foro, & primas cathedras in synagogis.* (*Et principes plebis:*) Sic dicti propter ambitionem potestatis iudicialis. De quibus dicitur 1. Esdr. 6. *Manus principum & Magistratuum fuit in transgressione hac prima.* Et quia primo eis imputatur debitum populorum, ideo dicitur Num. 25. *Tolle cunctos Principes populi & suspende eos contra Solem in patibulis.* De ijs dicitur Ioan. 7. (*Quærebant illum perdere,*) per odium malignitatis. Ideo dicebat. *Quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum.*

Ideo autem isti magis quærebant, quam alij, quia minus volunt sustinere vitia sua tangi. Secũdum illud; Amos 5. *Odio me habuerunt corripientem in porta.* Vel potius, quia timebant iacturam honoris sui. Et hæc fuit principalis ratio, quæ mouit illos ad occidendum Christum. Hac quoque ratione totus hic mundus, quia amat priuatum bonum, cõiura-

iurauit contra Christum, sui contemtorem. Vnde Psal.71. *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum*. Bernardus. *O Bone Iesu, totus mundus videtur contra te coniurasse: & illi primi in persecutione tua sunt, qui videntur regere populum, & diligere principatum.*

De III. *Quo ad doctrinæ Christi gratiositatem ad deuotos.*

(*Et non inueniebant quid facerent illi.*) Quia acceptus erat plebi. Vnde Luc. 20. *Quærebant principes mittere in illum manus illa hora: Et timuerunt populum.*

(*Omnis n. populus suspensus erat audiens illum*) Vnde Ioan. 7. *Dixerunt illi, qui missi fuerunt ad capiendum eum; Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* (*Suspensus erat*). 1. Ex deuotione. Luc. 6. *Multitudo copiosa plebis, qui venerant, vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis.* 2. Ex admiratione Matt. 7. *Admirabantur turbæ.* 3. Ex desiderio Eccl. 3. *Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam.* Et vere ipsa dicit, Prou. 8. *Beatus homo q̃ me audit, & qui vigilat ad fores meas quotidie. Et obseruat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Eccl. 24. *Qui audit me, non confundetur; & qui operantur in me, non peccabunt; qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

DOMI-

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

Dixit ad quosdam, qui in se confidebant. Luc. 18.

SCOPVS. Suaserat orationis instantiam Dominus, per parabolam viduæ & iudicis: Nunc hic docet orationis reuerentiam. Quæ cum sine humilitate conuersationis haberi non posit: ideo parabolam de humilitate orationis præmittit.

PARTITIO.

I. De conditione personarum ad quos fit sermo.
II. De conditione orationis Pharisaicæ.

PARS I.

De conditione personarum.

DVo hic. *Primo*, Ad quos loquatur. *Secundo*: De quibus. De I. *Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti)*: per æstimationem virtutis propriæ, quæ est superbia in Deum. Iuxta Rom. 10. *Ignorantes iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Confidit in se is, qui se iustum reputat ex operibus suis: & Iudæi id faciebant. Rom. 2. *Probas vtiliora instructus per legem, confidis teipsum esse ducem cæcorum; Lumen eorum, qui in tenebris sunt, Eruditorem insipientium, Magistrum infantium:*

fantium: habentem formam scientiæ & veritatis in lege. Hæc confidentia est inimica iustitiæ. Prou. 11 *qui confidit in diuitijs suis, corruet:* Ideo Iere. 48. *Pro eo, quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis, & in thesauris tuis; Tu quoque capieris* Et hoc totum ob defectum humilitatis; quæ est fundamentum iustitiæ. Vnde Gregorius. *Eam, quam non inuenit humilem Veritas fugit mentem.* Idem. *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi puluerem in ventum portat.* Et quia præsumtio sui ducit in contemtum proximi; Ideo ait: (*Et aspernabantur cæteros.*) Quo ad contemtum meriti alieni. vt illi Isa. 65. *Qui dicunt, recede à me, ne appropinques mihi, Quia immundus es. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.* Ideo Rom. 14. *Is, qui manducat, non manducantem non spernat. Et qui non manducat, manducantem non iudicet.* Eccl. 11. *Ne spernas hominem in visu suo. Breuis in volatilibus est apis, Et multum dulcoris habet fructus illius.* Ad tales igitur dixit parabolam istam, in superbiæ detestationem, & humilitatis laudem. Vnde Glossa: *In hac parabola ostendit non fidei tantum verba; sed opera examinanda:* In quibus princeps est humilitas.

De II. *Quo ad personas, de quibus loquitur.*

(*Duo homines ascendebant in templum, vt orarent.*) Vterque eadem intentione laudabili. Nam ideo templum ineundum, vt oremus Matt. 21. *Domus mea domus orationis,* &c. Vnde Aug. in regula breui. *Nemo in oratorio aliquid agat, nisi illud, ad quod factum est: vn-*

est: vnde & nomen accepit. Ideo Ioan. 2. Dominus eiecit flagello vendentes: dicens. *Nolite facere Domum Patris mei domum negotiationis.* Quia orationis erat. Hinc & in alto sita, perque gradus erat ascendenda, sc. Vt oraturus moneretur, mentem simul eleuare in cœlum. Prout Sacerdos admonet: *Sursum corda.* Vnde Bernardus. *Licet vbique Deus sit, tamen in oratione sursum est cogitandus.* Ideo Moysi Deus ait, Exo. 24. *Ascende ad me in montem.*

1. Etsi vero ad eundem ambo locum tenderent: moribus tamen nimium quam discrepabant. Ideo ait, (*Vnus Pharisæus, & alter publicanus.*) Pharisæus in speciem bonus habitu, gestu, professione: obseruationem legis præ se ferebat. Vt Paulus Act. 26. *Vitam meam à iuuentute nouerunt omnes Iudæi, præscientes me ab initio: quoniam secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus.* E contra publicanus apparebat malus, opinione hominum, & officij infamia. Luc. 15. *Erant appropinquantes Iesu Publicani & peccatores, vt audirent illum: Et murmurabant Pharisæi,* &c.

2. Multum apparentia: plus existentia differebant. Quia Pharisæus iustitiam suam taminabat per arrogantiam: Publicanus iniustitiam suam expurgabat per pœnitentiam. Ideo ait Matt. 21. *Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei*, propter superbiam. Ideo Luc. 16. *Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda vestra. Quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.*

* * *

PARS

PARS II.

De conditione orationis pharisaicæ.

TRia hic, quibus manifestatur arrogantia Pharisæi, respectu Dei, proximi, & sui. Ergo *Primo*, Pharisæi gratiarũ actio fastuosa. *Secundo*, Reprehensio aliorum præsumtuosa. *Tertio*, Commendatio sui gloriosa.

De I. Pharisæus stans hæc apud se orabat. (*Deus gratias ago tibi.*) 1. Arguitur non ob actas gratias, sed ob modum superbum. Vnde Gregorius: *Si reprehenditur ille qui superbe gratias agit: quid ergo erit illi, qui impugnat gratiam?* 2. Apparet autem fastus ipsius ex hoc, quod non incuruato corpore orabat, sed erecta fronte. Cum dicatur, Isa. 60. *Venient ad te curui filij eorum, qui te humiliauerunt: & adorabunt vestigia pedum tuorum.* 3. Apparet etiam fastus, quia apud se orabat, tanquam sibi placens. Contra illud Rom. 15. *Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis ipsis placere: Etenim Christus non sibi placuit.* Ideo Prou. 3. *Ne sis sapiens apud temetipsum: Time Dominum, & recede à malo,* &c. 4. Apparet insuper fastus ipsius: quia incepit à magnificatione bonorum, quæ acceperat: cum potius ab accusatione sui debuisset incepisse. Prou. 18. *Iustus prior est accusator sui* Incepit ab altis: Cum oportuisset ab imis progredi ad summa: Vnde Hieronymus: *Humilitas est virtus prima Christianorum; & ideo ipsa prætermissa in vacuum laboratur.* Beda ex Grego. hom. 7. in Ezech. *Ecce Pharisæus ad referendas gratias oculum habet: at humilitatis custodiam non habet. Et quid*

Deus meus confundor, & erubesco leuare faciem meam ad te; quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creuerunt vsque in cœlum.

De II. *Quo ad corporis motum humilem*

(*Percutiebat pectus suum.*) Quo reddebat se culpabilem, & ostendebat dolorem. Sic 2. Reg. 24. *Percussit cor Dauid suum, postquam numeratus est populus: & dixit ad Dominum. Peccaui valde in hoc facto: sed precor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui.* Glossa. Percutit pectus, & pœnas de se exigit, vt Deus parcat. Ab eo ad nos permanauit mos pectus percutiendi in confessione. Sic Lucæ 23. *Crucifixores percutientes pectora sua reuertebantur.* Aug. serm. 8. de ver. Dom. tom. 10. ait. Tunsio pectoris valet ad remissionem venialium: Estque vnum ex nouem, quibus venialia remittuntur. Vnde versus:

Confiteor, tundo, respergo, conteror, oro;
Signor, edo, dono; per quæ venialia pono.
Vnctio pœna leuis; Compassio, quæ fit egenis.

De III. *Quo ad insinuationem humilitatis per verbum.*

(*Deus, propitius esto mihi peccatori!*) Oratio breuis, & efficax. Quia in ea se humiliat, & Deum exaltat; ideo grata Deo. Nam Eccl. 35. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit; & donec propinquet,*

non consolabitur; & non discedet, donec [illegible] *videri habere, quo* *ciat.* 2. *Magnificat* Deum petendo hu- am. Sicut Eccl. 51. *Laudabo nomen tuum as- laudabo illud in confeßione: & exaudita est oratio liberasti me de perditione: & eruisti me de tempore i- Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & bened- nomen Domini.* 3. Magnificat Deum voce: Quia est vox summæ maiestatis. Psal. 99. *Scito quoniam Dominus Ipse est Deus: Ipse fecit nos, & non ip- nos.* Item summæ veritatis Psal. 94. *Non est Deus q- si homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mu-* Item summæ charitatis Rom. 3. *Deus caritas qui manet in charitate, in Deo manet.* Item sum- tatis. 1. Ioan. 4. *Benedictus Deus. &c. Pater miser- rum, & Deus totius consolationis.*

Hæc singula sunt in Publicani oratione. summæ maiestatis. *Propitius esto*: Ad manif- dam potentiam tuam. Iuxta illud Sap. 11. *M- omnium quia omnia potes: & dißimulas peccata num propter pœnitentiam.* 2. Fuit summæ ver- (*Mihi peccatori*): Ad iustitiam tuam manifest- Psal 142. *In veritate tua exaudi me in tua iustitia.* Id- misisti, Ezech. 33. *Impietas impij non nocebit ei, in q- cunque die conuersus fuerit ab impietate sua.* 3. Fuit sum- mæ charitatis: (*Propitius esto*) Ad beneuolentiam manifestandam. Sap. 11. *Parcis autem omnibus: quoni- tua sunt Domine, qui amas animas.* Iere. 31. *In charitate perpetua dilexi te: Ideo attraxi te miserans.* 4. Fuit sum- mæ pietatis: (*Propitius esto, &c.*) Ad misericordiam tuam manifestandam. Psal. 50. *Miserere mei Deus.* Eccl. 36. *Miserere nostri Deus omnium.*

PARS

PARS II.

De conditione exauditionis.

DVæ hic conditiones. *Prima,* quoad iudicium particulare. *Secunda,* quoad edictum vniuersale. De I. (*Dico vobis: descendit hic iustificatus in domum suam, ab illo*) id est, plus quam ille. Nam ille sua opinione; Publicanus in veritate iustificatus erat. Vnde Deus pluris facit vnam pœnitentis orationem; quam innumera opera iusti præsumentis. Ideo Luc. 15. *Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente,* &c. Quo reprimitur humana supereo, ne de meritis præsumat. Ideo Deus reprobadi superbum populum Iudaicum, & elegit huem gentilem. Huius Publicanus; illius figura Pharisæus. Vnde Glossa. *Pharisæus Iudæorum poum designat, qui ex iustificationibus legis extollit meri- sua, & superbiendo recedit, Humiliatus publicanus genlem, qui longe à Deo positus peccata confitetur: & lamenndo appropinquat Deo: & exaltatur.* Ideo Rom. 11. *li altum sapere: sed time. Si enim Deus naturalibus ras non pepercit: ne forte nec tibi parcat.* Si ergo Deus reefsit iustos propter superbiam, quanto magis pios, & superbos? 1. Pet. 4. *Si iustus vix saluabitur, ius, & peccator vbi parebunt?*

De II. *Quo ad edictum vniuersale.*

Omnis, qui se exaltat, &c.) Glossa: *Posita Pharisæi ublicani controuersia, ponitur iudicis sententia: vt caur superbia.* Iusta in superbum sententia. Quia

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Curauit eos. Matth. 15.

Ordinariæ lectionis Euangelium Mar. 7 vide infra post hoc exordine.

SCOPVS. Supra confirmata doctrina euangelica per liberationem gentilium à potestate dæmonum, per virtutem Christi; Nunc eandem cõfirmat per liberationem ab infirmitatibus spiritualibus, per hoc, quod multos curauit.

PARTITIO.

Tria facit. I. *Ponitur locus.*
II. Oblatio.
III. Liberatio.

PARS I.

De loco curationis.

DEscribitur primo locus in gener. Quia [*cum transisset*] scilicet de regione gentilium (*venit iuxta mare,*) quod erat in Iudæa, quod aliquando vocatur Genesareth, aliquando mare Galileæ. Per hoc quod reuertitur ad Iudæos, significatur, quia *reliquiæ Israel saluabuntur.* Ro. 11. Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ Dei saluæ factæ sunt. *Deinde* describitur locus in speciali, dicens. (*Et ascendens in montem, sedebat.*) Per montem significatur altitudo Verbi. Psal. 35. *Iustitia tua sicut mõtes Dei.* Sed Iesus nõ stabat; sedebat:

quia nisi descendisset, non cognouissemus, secundum illud psalm. 143. *Domine inclina cœlos tuos, & descende.* Item per montem altitudo gloriæ: vt habetur Gen. 19. *In monte saluum te fac, &c.* Ad significandum, quod ibi est vera quies: non hic, Hebr. 13. *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus,* id est, futuram expectamus.

PARS II.

De oblatione ægrorum.

ET *accesserunt ad eum turbæ multæ, &c.) Primo* ponitur quantum ad multitudinem turbarum: *secundo* quantum ad oblationem infirmorum: *tertio* quantum ad modum. Circa primum [*Tunc accesserunt.*] psalm. 85. *Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine.* De II. Et non accesserunt vacui, quia [*secum habentes, &c.*] Et in hoc significatur, quod, qui conuertuntur ad Dominum, debent offerre alios Domino. Et hoc est quod dicit [*habentes mutos, cæcos, claudos, & debiles.*] Debilis latine significat defectum virtutis, sed græce dicitur qui habet manum debilem: sicut enim claudus dicitur, qui in pedibus læsus est, sic debilis qui manum aridam habet. Per istos significantur diuersa genera morborum spiritualium. *Per mutos* significantur illi, qui Deum laudare non possunt, de quibus Esa. 56. *Canes muti nō valentes latrare. Claudi* dicuntur qui nunquam firmiter ambulant ad bonum: sed cito ad malum conuertuntur. 3. Reg.

18. *Qua-*

18. *Quare claudicatis in duas partes? Si dominus eſt Deus, ſequim ni eũ.* Per *cæcos* ſignificantur infideles qui priuati ſunt lumine fidei. Eſa. 59. *Palpauimus tenebras.* Per *debiles*, qui habent aridam manum, ſignificantur illi, qui habent debile cor. Pſalm. 21. *Aruit tanquam teſta virtus mea, &c.* De III. Et *alios multos*. In hoc magnam fidem oſtendebant, quia non ſolum ſuos offerebant: ſed alios. *Item*, oſtendunt deuotionem ſuam ex modo: aliquando enim rogauerunt, vt manum apponeret, vt Matt. 9. Aliquando autem, vt fimbriam tangeret, vt Matt. 9. & 14. Sed modo ſufficiebat ponere ad pedes eius. Et per hoc myſtice ſignificatur nobis, quod peccatores quos conuertimus, non debemus nobis ſubijcere: 1. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.*

PARS III.

De ægrorum curatione.

PRimo ponitur curatio: *ſecundo* admiratio: *tertio* effectus. Dicit ergo I. [*Et curauit eos.*] pſalm. 106: *Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Et pſalm. 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus noſtris, qui ſanat omnes infirmitates noſtras.* De II. Et ſequitur admiratio [*Ita vt turbæ mirarentur,*] *Videntes mutos, &c.*] Hic ponitur effectus. Iſtud prędictum erat, Eſa. 35. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt.* Et in pſalm. 136. *Mirabilia opera tua.*

Sed *quæritur.* Quare non facit mentionem de

 debi-

debilibus; Quia non erat actus oppositus, cui posset respondere. Sed videtur quod aliqui visis miraculis blasphemabant, vt habetur Matt. 14. Sed isti collaudabant ; vnde [*magnificabant Deum Israel.*]

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Luc. 14.

SCOPVS. Emiserat discipulos Dominus prædicatum: redibantque gaudentes ob miraculorũ successum. Quorum gaudium vanum reprimit Dominus: docetque esse gaudendum ijs, quod sint in libro vitæ, quodque Saluator ipse eis adsit. Exinde progreditur à prædicatione eorũ, ad præcepta recte viuendi, quæ ipsis tradit.

PARTITIO.

I. De gaudio ex præsentia Christi.
II. De inquisitione veritatis salutiferæ.
III. De inuentione veritatis quæsitæ.
IV. De approbatione veritatis inuentæ.
V. De inuestigatione veritatis approbatæ.

PARS I.

De gaudio ex præsentia Christi.

E*T conuersus ad discipulos suos dixit. Beati oculi qui vident quæ vos videtis, &c.*) Nam Ioan. 8. *Abraham pater*

pater vester exultauit, vt videret diem meum: & vidit & gauisus est. V... fide; vos autem mente & corpore, huius figura Salomon erat. 3. Reg. 10. *Beati viri tui, & beati serui tui, hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Matt. 12. *Et ecce plusquam Salomon hic*, sc. Christus est. Ideo subdit, (*dico enim vobis quod multi prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt.* Ideo dicitur Aggæi 2. *Veniet, Desideratus cunctis gentibus.* Inde desiderantes clamabant, Isa. 64. *Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes:* Numer. 24. *Videbo eum, sed non modo: intuebor illum: sed non prope. Orietur stella*, &c. *Heu! quis victurus est, quando faciet illa Deus?* Inde in persona Christi ad Assuerum dicit Esther. 15. *Valde mirabilis es domine, & facies tua plena gratiarum.*

Desiderabant etiam eius doctrinam audire: Ideo ait; (*Et aud re quæ auditis.*) Magnum hoc beneficium, audire Deum Ipsum Nam Hebr. 1. *Multifariam, multisque modis, olim Deus loquens patribus in prophetis & nouissime, &c.* Vere Lucæ 11. *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, per fidem Prou. 8. *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei*: idque in via: Ac in patria Apo. 19. *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.*

PARS II.

De inquisitione veritatis salutiferæ.

TRadit viuēdi formā, dato pcepto: In quo cernuntur quatuor: Inquisitio veritatis: Inuētio q̄sitæ; Approbatio inuētæ: Inuestigatio apꝓbatæ,

(*Ecce*

PARS V.

De inuestigatione veritatis approbatæ.

I*Lle autem volens iustificare se ipsum.*) i. iustum ostendere. Glossa. *Nam putabat se ante hominem, non ante Deum stare.* Iuxta Luc. 16. *Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda vestra.* Vel, voluit se ad iustitiam præparare, per fidem sc. & intelligentiam veritatis. Ro. 3. *Arbitramur iustificari hominem per fidem, sine operibus legis.* Ideo, vt veritatem intelligat, quærit: (*Quis est meus proximus?*) Vt intelligat istud, Oseæ 10. *Tempus requirendi Dominum, cum venerit, qui docebit vos iustitiam.*

Quærit de proximo, quia hic in scripturis dicitur varie: 1. Proximus cognatione. Ps. 37. *Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquarunt, & steterunt.* Ps. 34. *Quasi proximũ, & quasi fratrẽ nostrũ sic complacebã,* &c. 2. Religione. Eccl. 15. *Exaltabit illũ apud proximos suos.* 3 Cõpassione, seu benefactione. Luc. 10. *Quis horũ triũ proximus,* &c. 4. Proximus Assimilatione naturali: Eccl. 13. *Omne animal diligit simile sibi, sic & omnis homo proximũ sibi* Aug. 1. de Doct. Chri. c. 30. to. 3. *Nomine pximi intelligitur omnis homo.* Itaque in tam vario sensu necessaria & vtilis fuit quæstio.

II. CONCIONIS DISPOSITIO.

Homo quidam descendebat ab Ierusalem. Luc. 10.

SCOPVS. Post præceptũ regulans ad viuẽdum, hic subdit Dominus parabolicum documentum, excitans ad intelligendum.

PARTITIO.

I. De persona indigente ex miseria.

II. De

PARS IIII.

De doctrina ex parabola consequente.

DVo hic: *Primo*, quo ad eruditionem intellectus. *Secundo*, quo ad exhortationem affectus. De I. (*Quis horum trium videtur:*) Quærit, vt ex ore eius eliciat sententiam. Ideo, (*Ille dixit: Qui fecit miseri cordiam in illum.*) At hic alienigena erat: illi duo autem eiúsdem cum vulnerato gentis: Ergo proximi sunt etiam extranei. Ergo & proximus magis attenditur ex naturali dilectione, quam carnali cognatione. Vnde Ambrosius hic: *Cognatio non facit proximum; sed misericordia, quæ secundum naturam est. Nihil enim tam secundum naturam est, quam naturæ iuuare consortem.* Itaque omnis homo proximus est, qui vel egere potest misericordia, vel eam impendere. Et ita illuminatus est intellectus legisperiti mirabili manuductione. Nam si hoc ei Dominus dixisset absoluta responsione, is non credidisset. Disce modum respondendi superbis sic vt doceas eos, & corrigas.

De II. Quo ad exhortationem affectus. (*Vade, & tu fac similiter.*) q.d. Omnibus esto misericors, sicut Eccl. 18. *Misericordia Dei super omnem carnem*, id est, quæ ex Deo procedit ad omnes. Luc. 6. *Eritis filij Altißimi, quia Ipse benignus est super ingratos & malos. Estote ergo misericordes, sicut & Pater, &c.*

Vera misericordia est etiam in effectu: Ideo ait, (*Fac similiter.*) Gal. 6. *Bonum facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.* Ergo dum

tempus habemus operemur bonum ad omnes. Sic lex Christi ex toto impletur, mente & manu. Gal. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legē Christi:* de dilectione. Quia Rom. 13. *Qui diligit proximum, legem impleuit.*

PARS V.

De sensu mystico parabolæ.

1. PErsona *indigens* ex miseria est *genus humanum:* Quod in Adam peccante descendit à paradyso in mundum; & incidit in dęmones: Qui spoliauerunt eum gratuitis; & vulnerauerunt in naturalibus; & reliquerunt semiuiuum; Quia subtracta Dei similitudine in donis, remansit sola imago in naturalibus. Vere Psal. 48. *Homo, cum in honore esset,* &c. Et Psal. 38. *Veruntamen in imagine pertransit homo.* Imago tamen illa est despoliata ob auersionem à Deo, & vulnerata ob conuersionem ad creaturam. Iuxta illud Iere. 2. *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ: & foderunt sibi cisternas: cisternas dißipatas.* Dicat, Thr. 5. *Decidit corona capitis nostri: væ nobis quia peccauimus! Propterea mœstum est cor nostrum ideo contenebrati sunt oculi nostri.*

2. *Persona pertransiens* cum duritia fuit *legalis iustitia:* quæ nec misericordiam, nec medicinam præstabat. Id figuratum est *Exo.* 17. Vbi dicuntur manus Moysi graues. vnde Beda: Sacerdos legem annuntiat: Descendit lex in monte per Moysen, & nullam sanitatem contulit homini: Descendit Le-

uita,

uita, qui typum ostendit prophetarum: sed hic nullum sanat, quia lex peccata arguit: sed pertransijt, quia indulgentiam non largitur. Bene illud designatum fuit in baculo Elisæi, quem misit ad suscitandum puerum. 4. Reg. 4. Et tamen *non fuit vox, neque sensus.* Vnde potius erat baculus castigans quam sanans. Inde dicebatur Hebræ. 10 *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur.*

3. *Persona subueniens* ex misericordia est *Christus.* Quia *Samaritanus* interpretatur *Custos.* De quo Ps. 126. *Nisi dominus custodierit ciuitatem.* Isa. 21. *Custos quid de nocte?* Quia Ecce, inquit Psalmista 120. *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Hic venit ad vulneratum: quia fuit Phil. 2. *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Veniens tria vulnerato fecit: medicinam, per Sacramentorum gratiam: in qua sunt punctiones, vnctiones, sanationes, quæ antea non habebantur, Vnde Isa. 1. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens 1. non est circumligata, 2. Nec curata medicamine, 3. Nec fota oleo.* Post aduentum Christi illa facta sunt. Nam 1. Pet. 2. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: Cuius liuore sanati estis.*

4. *Vehiculum* est *gratia* donorum, per quam vehimur in stabulum Ecclesiæ. Iuxta Psal. 83. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum. Etenim benedictionem dabit Legislator; ibunt de virtute in virtutem.* Et hoc quidem fit in stabulo Ecclesiæ: vnde subditur: *elegi abiectus*

esse in domo Dei mei, &c. Quia misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.

5. *Cibum* dedit, id est, *doctrinam* duorum testamẽtorum; velut denariorum; quos dedit stabulario, id est, prælato, cuius est doctrinam Christi ministrare. Vnde Eccl. 45. *Dedit Moysi Dominus cor ad præcepta, & legem vitæ & disciplinæ, docere Iacob testamentum suum & iudicia sua Israel.* Quia his dominus reddet omnia supererogata, cum redierit, in die iudicij. Quia, qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Matt. 25. *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.*

DOMINICA XIIII. POST PENTECOSTEN.

Et factum est dum iret in Ierusalem. Lucæ 17.

SCOPVS. Postquam discipulos ad spiritalia opera pietatis informasset documento; itemque exemplo; Hic iam confirmat eos miraculo: quo firmantur in fide ad credendum; & intellectu accenduntur ad imitandum: Ideo literaliter & mystice tractandum est totum.

PARTITIO.

I. *De curatione ægritudinis incurabilis.*
II. *De approbatione gratitudinis commendabilis.*

PARS

PARS I.

De curatione lepræ.

TRia hic ad expreſsionem, & commendationem miraculi, & ad myſterium. *Primo*, Congruitas loci. *Secundo*, Calamitas morbi. *Tertio*, Facilitas modi in curando.

De I. (*Et factum eſt dum iret in Ieruſalem.*) Hæc ſignificat ſtatum quietis. Quia Pſal. 147. *Poſuit fines tuos pacem.* (*Tranſiba per mediam Samariam, & Galilæam.*) Per quas deſignatur vitæ præſentis curſus. Nam Samaria interpretatur cuſtodia: hæc debet eſſe in actione. 1. Quo ad actum. Iuxta illud, Eccl. 4. *Cuſtodi pedem tuum, ingrediens domum Dei.* 2. Quo ad effectum. Deut. 4. *Cuſtodi temetipſum & animam tuam ſolicite.* Hoc Prælatis competit: iuxta illud, 3. Reg. 20 *Cuſtodi virum iſtum; qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima eius.* 3: Quo ad verbum. Pſal. 30. *Dixi, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Galilæa, id eſt, transmigratio: hæc eſſe debet in cõtemplatione. Iuxta illud, Eccl. 2. *Tranſiui ad contemplandam ſapientiam, &c.* Pſal. 41. *Tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei.* Nota tranſiuit Samariam, & dein Galilęam: Quia prius oportet tranſire Actiuam, dein Contemplatiuam. Vnde *Gen.* 19. Iacob non habuiſſet Rachelem, niſi prius duxiſſet Liam.

De II. *Quo ad calamitatem morbi.*

(*Occurrerunt ei decem viri leproſi.*) Lepra inſanabilis eſt calamitas: quia aufert remedium artis; priuat ſolatio ſocietatis; affligit grauamina infir-

mitatis. Et tales desolati recursum habeant ad patrem misericordiæ, Vt hi, [*qui stet. runt à longe,*] suã agnoscentes immunditiam; (*Et leuauerunt vocem:*) suam exprimentes miseriam: (*Dicentes: IESV praeceptor miserere nostri:*) diuinam implorantes misericordiam: vt Psal. 37. *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.*

Mystice. Decem leprosi sunt vniuersitas peccantium contra decalogum. Sic Glossa. Oritur autem vniuersitas peccatorum ex quatuor causis, *Prima*, Ex timore male se humiliante. Sic designatur per lepram Mariæ murmuratricis. *Num.* 12. *Secunda*, Ex amore concupiscentiam carnis male inflammante. Sic notatur per lepram Naaman, 4. *Reg.* 5. *Tertia*, Ex amore concupiscentiam oculorum extimulante: & notatur per lepram Giezi. 4. *Reg.* 5. Cui ob cupiditatem & Simoniam lepra Naaman adhæsit. *Quarta*, Ex amore superbiam vitæ male inflante. Figuratur in lepra Osiæ 2. *Par.* 26, qui arrogans sacerdotalem sibi dignitatem assumsit. In harum figuram 4 *Reg.* 7. quatuor leprosi erant iuxta portam Samariæ.

Spiritalis lepra, est vitium contra Religionem: quod quatuor modis contingit, vt Glossa ait: *Quisquis hæretica prauitate: Vel gentili superstitione: Vel iudaica perfidia. Vel fraterno schismate, per Dei gratiam immundus sorduerit: necesse est vt mundatus ad ecclesiam redeat.* Tales peccatores leprosi, etsi per vias tenebrosas incedant, (Nam Prou. 4. *Via impiorum tenebrosa: nesciunt vbi corruant.*) Domino tamen intrante castellum, id est, veniente in carnem illuminantur

nantur ad videndam viam. Isa 9. *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.* Et occurrunt ei per pœnitentiam: quæ faciem aduersam facit conuerti. Ier. 31. *Conuerte me & conuertar. Quia tu Dominus Deus meus: Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam.* Hæc facit stare à longe per humilitatem: vt *Publicanus à longe stans* Lucæ 18. Leuare vocem, per compunctionem Habac. 3. *Dedit abyssus vocem suã,* id est, peccator: Ad petendam sanitatem cum fiducia. Psal. 40. *Ego dixi, Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccaui nimis.*

De III. *Quo ad facilitatem modi in curando.*

(*Ite, ostendite vos sacerdotibus.*) Iuxta Leui. 14. *Leprosus quando mundandus est adducetur ad sacerdotem, &c.* (*Et factum est, dum irent, mundati sunt.*) Scilicet per diuinum imperium: cuius dicere, est facere. Eccl. 8. *Sermo illius potestate plenus est: & omne, quod voluerit, faciet.*

MYSTICE: Intelligitur curatio à peccatis per Sacerdotes, Eccl 7. *Honora Deum ex tota anima tua: & honorifica Sacerdotes, & propurga te cum brachijs, &c.* Honor ille fit per suiipsius accusationem: Iosuæ 7. *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, &c.* Eccl. 17. *Cognosce iustitias & iudicia Dei, & sta in sorte propositionis, & orationis Altissimi Dei. In partes vado sæculi sancti, cum viuis & dantibus confessionem Deo.* Psal. 31. *Confitebor aduersus me iniustitiam.* Ex quibus apparet efficacia confessionis, dignitas sacerdotalis, & pietas Dei, quæ omnes occurrentes curat:

Iuxta Ioan. 6. *Eum, qui venit ad me, non eijciam foras.* Ergo ibi sacerdotibus hoc dictum est: 1. Thessa. 5. *Rogamus vos, fratres, consolamini pusillanimes: suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte, ne quis malum,* &c. Forte ideo Petrus cadere permissus, vt lapsis compati disceret.

PARS II.

De commendatione gratitudinis.

TRia hic. *Primo*, gratiarum actio. *Secundo*, Ingratitudinis increpatio. *Tertio*, Gratitudinis approbatio. De I. (*Vnus autem ex illis vt vidit, &c.*) per agnitionem beneficij. Rom. 11. *Vide ergo in te bonitatem Dei, si permanseris in bonitate.* (*Regressus est, cum magna voce magnificans Deum,*) per glorificationem benefactoris Tob. 12 *Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei: quia fecit nobiscum misericordiam suam.* Psal. 12. *Cantabo Domino, qui benefecit mihi.* (*Et cecidit in faciem:*) &c. sc. deferens honorem debitum. Eccl. 2. *Vidi, & cecidi in faciem meam.* Apo. 1. *Cum vidissem eum, cecidi ad pedem eius tanquam mortuus.*

(*Et hic erat Samaritanus*) Eratque figura gentium, ad Christum redeuntium; sicut & mulier Samaritana. Vnde Glossa: *Vnius regressus significat vnius Ecclesiæ deuotam Christo humilitatem.* In cuius designationem dicitur, Can. 6. *Vna columba mea.* 1. Cor. 9. *Omnes quidem currunt: sed vnus accipit brauium.* Sic ex omni multitudine, circa probaticam vnus sanabatur. *Ioan.* 5. Et vnum solum ibi Christus curauit, signifi-

gnificans, teste Augustino, Nullum sanari posse, nisi intra Ecclesiæ vnitatem. De qua Eph.4. *Sollicite seruate vnitatem spiritus, in vinculo pacis, vnus Dominus, vna fides, &c.*

Vnus cadit in faciem: Quia Ecclesia non tantum habet vnitatem charitatis; sed & humilitatis, per gratitudinem & timorem. Id casus ille in faciem significat. Sic Apo. 7. *Omnes angeli stabant in circuitu throni*, &c. At casus post tergum significat ruinam. Ioan. 18. *Abierunt retrorsum & ceciderunt in terram.* 1. Reg. 1. Cecidit Heli de sella retrorsum. Vnde Glossa. *Qui in faciem cadit, videt quo cadat: qui retro cadit, non videt.* Boni ergo in faciem cadunt, quia humiliant se in his visibilibus: Vbi vident, quis eos sequatur, vt ad inuisibilia erigantur. Mali vero retrorsum cadunt: qa cadunt in inuisibilibus: vbi non vident, quid eos sequatur. Cadit autem quis in faciem supernorum mirabilium reuelatione. Daniel. 10. *Audiui vocem sermonum eius: & audiens iacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ*, in diuinorum charismatum postulatione. Iud. 6. *Omnis populus cecidit in faciem, adorantes Dominum, & communi lamentatione & fletu vnanimes preces suas effuderunt Domino.* &c. In beneficiorum susceptione Gen. 22. *Cecidit Abraham in faciem suam, & risit.*

De II. *Quo ad gratitudinis increpationem.*

(*Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt?*) Non quærit, vt ignorans cuiusque personam: sed

ſed reprobans ingratitudinem & irreuerentiam. Sicut Gen.3. *Adam vbi es?* Gloſſa hic. *Ingratos quaſi ignotos vbi ſint, requirit.* Vere 1. Cor. 14. *Si quis ignorat, ignorabitur.*

(*Non eſt inuentus:*) Mira Iudæorum ingratitudo, vnius Samaritani gratitudinem illuſtrat. Intelligitur in eo, gentium electio & reprobatio Iudæorum: Iuxta Eph. 2. *Aliquando vos eratis gentes in carne, &c. Sine Chriſto alienati à conuerſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum: promiſsionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo: Nunc autem in Chriſto Ieſu, qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope.*

(*Alienigena*) id eſt, qui alibi habitat & natus eſt. Tales ſunt carnales, qui ad ſpiritum tranſeunt. Rom. 9. *Non qui filij carnis, hi filij Dei: ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine.* Quia Ioan. 3. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt.* Ideo Eccleſiæ dicitur Pſal. 44. *Obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui.* Et Abrahæ in figura, Gen. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, &c.* 1. Pet. 2. *Obſecro vos, tanquam aduenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſiderijs.*

De III. *Quo ad gratitudinis approbationem.*

(*Surge, vade: quia fides tua te ſaluum fecit*). Eph. 6. *Surge, qui dormis: & exſurge à mortuis*, per pœnitentiam. Act. 12. *Angelus Petrum excitauit dicens, ſurge velociter, & vade* per iuſtitiam. Matt. 8. *Dico huic, vade, & vadit*: per obedientiam: quæ iuſtitiæ pars nobiliſsima

lissima est etiam in Christo. vnde Matth. 26. *Filius quidem hominis vadit*: scilicet à Deo, ad Deum, secundum Deum, & propter Deum. Ioan. 13. *Sciens, quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit.* Ioan. 16. *Vado ad eum, qui misit me*, &c.

(*Fides tua te saluum fecit*) per confidentiam, quæ ad agendas gratias inclinauit. Fides autem, salutis initium, facit agnoscere Christum. Acto. 4. *Non est aliud Nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*: At salutis incrementum est spes: Rom. 8. *Spe salui facti sumus.* Salutis complementum est charitas: Psal. 118 *Tuus sum ego, saluum me fac: quoniam iustificationes tuas exquisiui.*

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Nemo potest duobus dominis seruire. Matth. 6.

SCOPVS. Dixerat, quod thesaurizatio distrahit à Deo, ideo fugienda: hic dicitur, quod non solum distrahit, sed alienat à Deo.

PARTITIO.

I. De seruitio duobus, nimiaque solicitudine deuitanda.
II. Rationes de cura pro victu moderanda.
III. Ratio contra solicitudinem pro vestitu.
IV. De iusta solicitudine.

PARS

PARS I.

De seruitio duobus nimiaque solicitudine deuitanda.

NOta 1 Seruus est, qui ipsum quod est, alterius est, sed impossibile est, quod animus feratur ad duos fines simul & semel, (ideo contrarios & dissentientes.) Item nota, quod, quidam dominantur, vt subditi dirigantur: Quidam autem, vt timeantur. Dominus & diuitiæ sunt contrarij domini; ideo *non potestis*, &c. Nota quod aliud est habere diuitias vt Dominus: aliud vt seruus. Habet enim vt dominus qui bene vtitur illis, & inde facit fructum: sed ille est seruus diuitiarum, qui fructum inde non accipit. Eccles. 5. *Est aliud malum, quod vidi sub sole: Diuitiæ conseruatæ in malum domini sui.* Omne autem in quo quis ponit finem suum, Deus suus est. vnde qui ponit finem suum in diuitijs, hæ Deus illis sunt. sicut dicitur de illis, *quorũ Deus venter est.* Philip. 3. (*Non potestis Deo seruire & Mãmonæ.*) 1. Per Mammonam potest intelligi diabolus, qui præest diuitijs, & quasi Deus suus est: non quia possit dare: sed quia nititur diuitijs homines decipere. Vnde sicut est quidam spiritus fornicationis: sic est spiritus diuitiarum. 2. Aliter exponit Augustin. *Nemo potest*, &c. scilicet contrarijs: sed Deus & diabolus contrarij sunt. *Quæ conuentio Christi ad Belial?* 2. Cor. 6. & 3. Reg. 18. *Quid claudicatis in duas partes?* Et sequitur, [*aut vnum sustinebit,*] id est, diabolũ, & non dicit, diliget, quia diabolus naturaliter diligi

ligi non potest. Deus naturaliter diligitur: diabolus vero sustinetur. Sicut ponit exemplum Augustin. *Si aliquis cupit ancillam alicuius, seruit ei amore ancillæ, non ipsius.* Vnde sustinet seruitium domini propter ancillam: sic aliquis sustinet seruitium diaboli propter diuitias.

Item posset quis dicere: Non pono finem in diuitijs superfluis: sed necessarijs. Et hoc prohibet Dominus dicens, [*Ideo dico, ne soliciti sitis animæ vestræ, &c.*]Non quia anima manducet: sed quia homini conuenit, anima existente in eo: vel animæ, id est, vitæ animæ. Et destruitur hic error Euthichianorum: qui dicebant, quod viri apostolici nō debeant laborare. Sed hos reprehendit Paulus, 2. Thess. 3. *Qui non vult laborare, non manducet*, ergo omnes tenentur. Sed quæro: Aut est consilium, aut præceptum: Si pręceptum, ergo omnes tenentur: si consiliū, constat quod non omnes. Quia ad consilia non tenētur nisi homines perfecti. *Dico*, quod est præceptum propter se, aliquid propter aliud: vt cum aliquis cepit crucem vt eat vltra mare: ire tenetur: sed non potest ire, nisi quærat nauem. Vnde quærere nauem est ei necessarium: sic omnes tenentur ad conseruandum vitam: ideo tenētur ad omnia quæ faciunt ad istum finem. vnde tenetur quilibet, qui non habet vnde conseruet vitam, laborare, vt conseruet.

Quid ergo dicit, (*Nolite soliciti esse, &c.*)Dicendum, quod solicitudo nominat prouidentiam cū studio: studium autem est vehemens applicatio animi. In illa autem vehementi applicatione potest

esse

esse peccatum; quando scilicet ponit animum ibi vt ad finem: & sic non debemus soliciti esse. Ideo habetur Prou 11. *Exp ctatio solicitorum peribit.* Item potest esse, vt mens intendat ad superflua acquirenda: Et sic prohibetur, Ecclesiast. 2. *Dixi ego in corde vadam, & affluam diuitijs.* Item solicitudo potest esse: vt animus nimis soliciretur ad temporalia acquirenda, & necessaria. Et de hoc habetur 1. Cor. 2. Item quidam soliciti sunt cum quodam timore, & desperatione: quia timent sibi deficere, & hæc solicitudo prohibetur.

[*Nonne anima plus est, &c.*] Docuit vitare solicitudinem etiam necessariorum. Ponit rationes.

PARS II.

Rationes de cura pro victu moderanda.

1. QVi dedit maiora, dabit minora: sed Deus dedit animam & corpus. ergo qui dedit hæc, seruabit ea. [Respicite volatilia cœli, &c.] Et hæc est 2. ratio. Qui prouidet minoribus, prouidebit maioribus: sed Deus prouidet brutis, ergo, &c. *Primo*, deducit in cibo. *Secundo*, in vestimento.

Docet ergo vitare solicitudinem cibi dicens, [*Respicite*] id est, considerate (*volatilia cœli,*) quia ex his est sapientia, vnde Iob 12. *Interroga iumenta & docebunt*: cum non habeant operationem ad acquirendum panem: attamen, &c. Tria dicit, quoad tria quæ requiruntur: scilicet [*Non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; & tamen pater vester cœlestis*

cœlestis, &c.) Et dicit (*Vester,*) Non illorum: quia proprie pater est rationalis creaturæ. (*pascit ea,*) Psal. 146. *Qui dat iumentis escam ipsorum, &c.* (*Nonne vos magis pluris estis illis?*) id est, maioris valoris? Homo enim omnibus præponitur. Genes. 1. *Faciamus hominem,* &c. Et sequitur, *Vt præsit piscibus maris & volatilibus cœli.* Et non est intelligendum quod apostolici viri non congregent; sed quod Deus in congregatione, à tribulatione liberat iustos, vt Danielem liberauit de lacu leonum : Et tres pueros de fornace. Et non dico, quod existentes in tribulatione non debeant facere, vt eruantur: quia præcepit Dominus, vt ex vna ciuitate fugerent in aliam: sed est intelligendũ; quod, si faciant isti quod in se est; quod liberabit eos Dominus. Et ista exempla inducuntur, vt sciatur, quod Dominus habeat prouidentiam de omnibus, & dat vnicuique secundum modum suum. Auibus enim dedit quomodo necessaria acquirerent: dedit enim eis naturalem instinctum, quo mouerentur ad inquirendum vnde viuerent: ideo non debemus esse nos nimis soliciti.

(*Quis autem vestrum,* &c.) Hic probat experimẽto; quod, sicut prouidet auibus, ita & nobis. quædam enim est pars animæ, quæ subiacet rationi; vt motiua & sensitiua: quædam quæ non; vt augmẽtatiua, & nutritiua: & in his conuenit homo cum brutis. & sicut prouidet brutis in augmento & nutrimento: sic & hominibus. Vnde augmentum non est nobis ex nobis, sed ex Deo: quare de prouidentia Dei non debetis desperare.

futuro habere, accipere in præsenti, sicut tē-
messis suscipere curam de vindemijs non est
petens. Quare: (*Sufficit enim diei malitia sua,*) id
tribulatio & angustia, quam habet homo in
sufficere debet ei: non autem accipere eam,
in debet habere in futuro, &c.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Ecce defunctus efferebatur. Luc. 7.

SCOPVS. Post miraculum de curatione morituri serui Centurionis; aliud subdit de suscitatione mortui adolescentis.

PARTITIO.

I. *De causa mouente Dominum ad miraculum.*
II. *De causa efficiente miraculi.*
III. *De efficacia subsequente miraculum.*
IV. *De dictorum sensu mystico.*

PARS I.

De causa mouente Dominum ad miraculum.

HÆc duplex. *Prima*, Documentum ignorantium in intellectu. *Secunda*, Solatium mœrentium in affectu. Ideo duo hic hominum gene-

ra: 1. Comitantes in via: vt di gantur in doctrina. 2. Occurrentes in porta: vt co solatione recreentur in gratia. De I. (*Ibat Iesus in ciuitatem,*) ad docendum. Quia Matt. 4. *Circuibat t am Galilaeam, docens in Synagogis eorum.* (*Et ibant cum o discipuli eius, & turba copiosa.*) Scientes quod, De it. 33. *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doc rina illius.* Prou. 13. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit.* Eccl. 8. *Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium: & in Prouerbijs eorum conuersare: Ab ipsis enim disces sapientiam & doctrinam intellectus.* Ergo Psal. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestra non confundentur.*

De II. *Quo ad occursum turbæ consolandæ.*

(*Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis: Ecce, defunctus efferebatur filius vnicus matri suæ.*) Inde luctus. Nam Eccl. 22. *Super mortuum plora; defecit enim lux eius.* (*Vnigenitus.*) Inde luctus amarior. Ier. 6. *Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.* Dauid, cæsum lugens Ionathan, ait 2. Reg. 1. *Sicut mater vnicum amat filium: ita ego te diligebam.* (*Et hæc vidua erat:*) eoque magis desolata à viro, & filio. Quod Thecuitis allegabat, ad misericordiam impetrandam. 2. Reg. 14. *Heu, mulier vidua ego sum.* Ideo plangebat Ieremias viduitatem Ierosolymæ. Thr. 1. *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo?*

[*Et turba ciuitatis multa cum illa:*] sc. ad condolendum & consolandum: sicut ad Martham venerant. Ioan. 11. Poterat hæc vidua dicere, Thr. 1. *O vos omnes,*

omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus, &c. *Posuit me desolatum, tota die mœrore confectum.*

PARS II.

De causa efficiente miraculi.

HÆc duplex. *Prima*, Affectus pietatis in corde, inclinans ad misericordiam. *Secunda*, Virtus maiestatis in sermone, imperans ad resurgendum.

De I. [*Quam, cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam,*] sc. hominem homo: ostendens naturam assumtam. Implens illud Iob. 30. *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat.* Iob. 31. *Ab infantia mea creuit mecum miseratio.* Et quia latens in affectu misericordia, apparet in affatu, dixit: [*Noli flere.*] Iuxta Iob 29. *Viduam consolatus sum*: Ier. 31. *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis.*

Et quia affectum cordis, & affatum oris, par est comitetur effectus operis: Ideo, [*Accessit, & tetigit loculum.*] Cunctis ostendens benignitatem: etiam mortuis: licet tangens mortuum censeretur immundus. Leu. 21. [*Hi autem, qui portabant, steterunt.*] Iob. 37. *Ausculta hæc Iob: sta, & considera mirabilia Dei.*

De II. *Quo ad imperium maiestatis in sermone.*

ADolescens tibi dico surge.) Eph. 5. *Surge, qui dormis; & exurge à mortuis; & illuminabit te Christus.* Impletum illud, Ioan. 5. *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei.* Quæ quidem vox est imperans mortuis vitam. Nam Psal. 67. *Dabit voci suæ vocem virtutis.* Vt recte Aug. tom. 10. ser. 44. de ver. Dom. *Nemo tam facile dormientem excitat in lecto; quam facile Christus ad vitam reuocat in sepulcro.*

Vere Sap. 16. *Domine, sermo, qui sanat omnia, tuus est.* Tu & sermo tuus estis, Ioan. 8. *principium, Qui & loquor vobis.*

PARS III.

De efficacia subsequente miraculum.

HÆc duplex est. *Prima*, suscitatio mortui. *Secunda*, promotio fidei. De I. (*Et resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui.*) Scilicet vita agnoscitur per spiritum, & motum. Non est dubium, quin verba diuinæ laudis loqueretur. Nam Psal. 113. *Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes qui descendunt in infernum: sed nos, qui viuimus, benedicimus Domino.* NOTA. Suscitatio puellæ probatur manducatione. Marc. 5. (*Quia iussit dari illi manducare.*) Lazari, ambulatione. Ioan. 11. *Soluite, & sinite abire.* Adolescentis, locutione: vt hic. Manducatio respicit actum vegetabilis: ambulatio, actum sensibilis: locutio, actum

actum rationalis. Vt intelligatur Christus totum hominem sanum fecisse.

(*Et dedit illum matri suæ.*) Sic consolandæ dicere poterat ipsa hoc Annæ. 1. Reg. 1. *Pro puero isto oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam, qua postulaui eum: Idcirco & ego commodaui eum Domino cunctis diebus. Et adorauerunt ibi Dominum.* Sic Elias *tradidit puerum* resuscitatum matri suę; & ait 3. Reg. 17. *En viuit filius tuus.* Sed Elias *tradidit*; Christus *dedit*: Quia iste fuit minister suscitationis: hic Autor.

De II. *Quo ad promotionem fidei.*

Hæc est ad reuerentiam Creatoris. Nam (*Accepit omnes timor, & magnificabant Deum*) Timor sc. reuerentiæ magnificantis. Iob. 37, *Timebunt eum viri, & non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes.* Isa. 59. *Timebunt, qui ab occidente, Nomen Domini: Et qui ab ortu solis, gloriam eius.* Et sic timentes corde, glorificabunt, & magnificabunt. Eccl. 43. *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, superualebit adhuc; & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: maior est enim omni laude, &c. Quis videbit eum, & enarrabit? Et quis magnificabit eum sicut est ab initio?*

(*Propheta magnus surrexit.*) Christus Mediator, de quo Deut. 8. *Prophetam suscitabit Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam meipsum audietis.* (*Et quia Deus visitauit plebem suam.*) Iuxta Luc. 1. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.* Ita prædictum Gen. 50. *Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram, quam iurauit Abraham.*

PARS IV.

De dictorum sensu mystico.

STatus triplex in hoc miraculo designatur. *Primo*, Iustitiæ, in comitatu Domini. *Secundo*, Iniustitiæ, in adolescente mortuo. *Tertio*, Pœnitentiæ in resuscitato. De I. Iustitiæ status rursus est triplex. 1. Prælationis, in Christo notatur. Ioan. 10: *Ego sum pastor bonus*, &c. 2. Contemplationis, in discipulis notatur: vnde Matt. 17. admittuntur ad transfigurationem. Luc. 10. *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis.* 3. status actionis in turba notatur. Luc. 10. *Sollicita es, & turbaris erga plurima.* Vnde Ioan. 16. *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* Hi tres figurantur ibi: Ezech. 14. *Si fuerit in medio eius Noe, Daniel, & Iob: Ipsi iustitia sua liberabunt manus suas, &c.* Noe, Prælatos, Daniel, contemplatiuos: Iob, actiuos significat.

De II. Status culpæ designatur in mortuo. Cuius triplex est gradus. Per ter mortuos significatur. Primus, in interiore affectione peccantium, notatur per puellam in domo mortuam. Marc. 5. Secundus, in interiori operatione peccantium, notatur per adolescentem ad portam inuentum: quia iam longius processit peccatum. Tertius, in consuetudine siue obstinatione, notatur per Lazarum iam in virili ætate iacentem quatriduanum fœtidum in sepulcro. His tribus respondent tres in veteri testamento suscitati. sc. ab Elisæo filiolus Sunamititis. 4. *Reg.* 4. Ab Elia adolescens Sarepta-

actur- reptanæ. 3. *Reg.* 17. Ab Elisæo mortuo vir mortuus. 4. *Reg.* 13. Possunt in his etiam tres radices peccatorum designari; Concupiscentia carnis, in mortuo ex languore. Cupiditas mundi, in mortuo ex siti. Superbia vitæ, in proiecto in sepulcrum.

De III. Status pœnitentiæ designatur in adolescente resuscitato. 1. Qui [*resedit*,] per contritionem: Psal. 126. *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* Ier. 15. *Solus sedebam; quoniam amaritudine repleuisti me.* 2. [*Cœpit loqui*] per confessionem. Iob. 10. *Loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo, noli me condemnare.* Iob. 7. *Non parcam ori meo; loquar in tribulatione spiritus mei; confabulabor cum amaritudine animæ meæ.* 3. [*Et redditus est matri*,] Ecclesiæ, per satisfactionem. Cuius figura 4. Reg. 4. *Tolle puerum istum, & duc eum ad matrem suam;* Et sicut mater libenter suscipit filium suscitatum: sic Christus & Ecclesia pœnitentes gaudenter recipit. Vnde Luc. 15. *Epulari, & gaudere oportebat; Quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit.*

DOMI-

tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis. 2. *Sanauit*, per expiationem culpæ. Psal. 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Matt. 1. *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* 3. *Dimisit* vero, per relaxationem pœnæ. Matt. 18. *Misertus Dominus serui illius, dimisit illum; & debitum dimisit ei.*

III. Bos & asinus denotat gentes & Iudæos ex profundo suo extrahendos. Gregor. mor. l. 35. c. 42. intelligit sapientem & stultum, dicens: *Non arabis in boue simul & asino.* Deut. 22. *id est, fatuum sapienti in prædicatione non sociabis.* Hi cadunt in puteum concupiscentiæ, per peccatum originale. Sed ô Deus Psal. 68. *Non me demergat tempestas aquæ; neque absorbeat me profundum: neque vrgeat super me puteus os suum.* Demersum tamen Christus extrahit die Sabbati, id est, die sepulturæ suæ: Iuxta Zachariam 4. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.*

* * *

II. CONCIONIS DISPOSITIO.

Dicebat ad inuitatos Parabolam.
Luc. 14.

SCOPVS. Confutauit iam obseruantes. Hic informat conuiuantes arguens superbiam, & commendans modestiam ac reuerentiam.

PARTITIO.

I. *De arrogantiæ vituperatione.*
II. *De incitatione ad modestiam ac reuerentiam.*

PARS I.

De arrogantiæ vituperatione.

TRia hic. *Primo*, Occasio, parabolam introducens. *Secundo*, Persuasio, superbiam reprehendens. *Tertio*, Ratio, verecundiam explicans. De I. (*Dicebat autem & ad inuitatos parabolam,*) occasione opportuna. Nam Prouerb. 25. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum tempore suo.* Econtra, *Ex ore fatui reprobabitur parabola.* Itaque ex re præsenti arripit occasionem doctrinæ salubris dandæ: Nam (*Intendens, quo modo primos accubitus eligerent,*) more sc. superborum: qui quidem mos erat Pharisæis: Matt. 23. *Amant enim primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Et hoc in signum honoris: secundum illud Iob. 29. *Si voluissem ire ad eos, sedebam pri-*

bam primus. Primum enim ac summum coniuncta sunt. Et superbia & ambitio, inordinatus appetitus est superioritatis & prioritatis. Vnde huiusmodi quærunt superbi à quibus honorentur, Exemplo Saul. 1. Reg. 15. *Nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel.*

De II. *Quo ad persuasionem reprehensoriam superbiæ.*

[*Cum inuitatus fueris, &c.*] 1. Intellige hoc de nuptijs spiritalibus. Vnde Glossa. *Cum per gratiam fidei vocatus à prædicatore, membris Ecclesiæ te iunxeris, non te, de meritis gloriando: quasi cæteris sis sublimior, extollas.* 2. Hę nuptiæ sunt Agni. Apo. 19. *Venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se.* 3. Has fecit Deus. Matt. 22. *Simile Fa. est Re. Cœ. Ho. Regi, qui fecit nuptias filio suo.* 4. Hæ sunt celebratæ in thalamo vteri virginalis. Psal. 18. *In sole posuit tabernaculum suum; & ipse, &c.* Ibi facta est Christi & Ecclesiæ coniunctio. Eph. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*

5. In his nuptijs conuiuium, est vsus Sacramentorum, & Scripturarum. Prou. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, & excidit columnas septem. Immolauit victimas suas; miscuit vinum, & posuit mensam suam. Misit ancillas suas, &c.* 6. Ad hoc vocantur omnes per fidem. Matt. 22. *Misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias.* 7. Accumbunt, qui audita ruminant meditando. Nam Leu. 11. *Animal, quod non ruminat, immundum est.* 8. Primo loco discumbit, qui præcellit

vel dignitate, vel sanctitate, vel magisterio veritatis. Huc nemo debet ex se ipso ascendere. Nam Hebræ. 5. *Nemo sibi sumit honorem : sed qui vocatur à Deo*, Eccl. 6. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus : ne forte elidatur virtus tua.* Nec etiam extollas te coram alijs : vnde subditur, Eccl. 22. *In vestitu ne glorieris vnquam: nec in die honoris tui extollaris.*

De III. *Quo ad rationem explicantem verecundiam.*

(*Ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo.*) Et propter gratiam interiorem maiori honore dignus. Glossa. *Gratiosior inuitatori: etsi aliis sit occultus.* Vnde dicitur 1. Reg. 16. *Ne respicias vultum, neque altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum. Nec iuxta intuitum hominis ego iudico. Homo autem videt ea, quæ patent: Dominus autem intuetur cor.* (*Et veniens qui te & illum vocauit,*) per iustitiæ dispositionem. Nam spirituum ponderator est Dominus: (*Dicat tibi, da huic locum,*) propter dignitatis prælationem. 1. Reg. 15. *Quia scindit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo, meliori te.*

(*Et tunc incipias cum rubore, nouissimum locum tenere,*) per manifestam deiectionem, secundum illud Psalmi 87. *Exaltatus autem humiliatus sum, & conturbatus.* Et ideo Eccl. 13. *Attende, ne seductus in stultitia humilieris.* Ille autem seducitur stultitia, qui se reputat aliquid magnum. Gal. 6. *Si quis existimet se aliquid esse, cum nihil sit: ipse se seducit.* Et talis humiliaturà

tur à Deo, iusto Dei iudicio, secundum illud. Sap. 1. *Deposuit potentes de sede & exaltauit humiles.* De huiusmodi iudicio dicitur Eccl. 11. *Multi tyranni sederunt in throno, & insuspicabilis portauit diadema. Multi potentes oppressi sunt validè, & gloriosi traditi sunt in manus alienorum.* Ideo Eccl. 7. *Noli quærere ab homine ducatum: neque à rege cathedram honoris.* Quia Prou. 20. *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.*

PARS II.

De incitatione ad modestiam ac reuerentiam.

HOc facit tribus. *Primo*, suadendo humilitatem perfectam. *Secundo*, assignando vtilitatem. *Tertio*, Confirmando per æquitatem diuinam. De I. (*Cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco.*) Iuxta illud, Matt. 20. *Qui voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Et ipse nouissimum locum tenuit. Isa. 53. *Vidimus eum nouissimum virorum: virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius, & despectus.*

Ideo in choro sedes Prælatorum sunt ab altari remotiores: exemplo Christi. Ioan. 13. *Si ego pedes vestros laui, Dominus & magister vester: & vos debetis.* Ita Apostolus 1. Cor. 9. *Cum essem liber ex omnibus, omnium me seruum feci.* 1. Cor. 15. *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* Eph. 3.

Nihili factus es, non eris in perpetuum. 2. Rursus, quo se quis magis erigit super se; hoc magis euanescit; simul tanto longius à veritate recedit, id est, in nihilum recidit. Iob. 10. *Eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me valide*. 3. Item, quo se quis magis exaltat; hoc magis hominum gloriam amat: Et per hoc, eo plus subiect⁹ est humanis laudibus, ideoq; hominum seruus; id est, deiectus est. Psal. 72. *Propter dolos posuisti eos: deiecisti eos, dum alleuarentur*.

E contra. 1. Quo quis magis se humiliat, eo magis Deum honorat. Eccl. 3. *Magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur*. 2. Et quo magis quis Deũ honorat, hoc magis ad ipsum appropinquat, id est, ad sublimiora eleuatur. Hinc Ambrosius. *Quãto magis se humiliat homo; tanto redit ad interiora: Et quanto magis interius colligitur, tanto virtus eius, maior efficitur*. Quanto igitur quis magis humiliatur, tanto maior fit. Vnde 2. Cor. 12. *Virtus in infirmitate perficitur*. 3. Quo magis quis humiliatur, eo terrenam gloriam minus æstimat. Et per hoc magis calcat: Et quo calcat magis, hoc ad sublimiora surrigitur, id est, fit maior: Isa. 6. *Pro eo, quod fuisti derelicta, & odio habita; & non erat qui per te transiret; ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generatione & generationem*.

Itaque exaltans se elongat se à superioribus & interioribus: & sic subijcit se inferioribus: Fitque minor, se magnificando. E contra, qui humiliat se; ad superiora appropinquat, & ad interiora redit, & inferiora calcat. Fitque humiliando maior; Qui se humiliat sub Deo, exaltatur à Deo.

DOMI-

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum, &c. Matt. 22.

SCOPVS. Reſponderat Dominus quæſtioni factæ de ſolutione tributi: quæſtioni etiam de reſurrectione: Hic autem reſpondet quæſtioni de comparatione mandatorum Dei.

PARTITIO.

I. De interrogantium nequitia.
II. De quæſtione & reſponſione quoad primum mandatum.
III. De ſecundo mandato.
IV. De interrogatione Domini.

PARS I.

De interrogantium nequitia.

TRia. *Primo*, quantum ad impudentiam: *ſecundo*, quantum ad excogitatam malitiam: *tertio*, quantum ad fraudulentiam. De I. Quantum ad impudentiam, cum dicitur (*Audientes, &c.*) Iam cõfutauerat Phariſæorum diſcipulos, & Saducæos, vnde ex hoc ſatis poterant ei credere, & erubeſcere. Sed, Chryſ. *Liuor & ira impudentiam nutriunt, & cauſant:* Ideo iſti non propter hoc dimiſerunt, quin adhuc interrogarent eum. Eſa. 56. *Canes impudentiſſimi*

ſimi neſcierunt ſaturitatem. Aliquis ſeruat ſilentium ſponte, & hoc eſt prudentis. Item, Alius ſeruat: quia imponitur ei ſilentium: & hoc eſt imprudentis. Eccl. 20. *Eſt tacens, non habens ſenſum loquelæ. Eſt tacens, ſciens tempus apti temporis.* Eccl. 3. *Eſt tempus tacendi, eſt tempus loquendi.* De II. Tangitur excogitata malitia, quia vt melius conuincant eum, ſimul congregantur. Pſal. 2. *Principes conuenerunt in vnum aduerſus dominum.* (*Conuenerunt in vnum.*) Poteſt dici, quod Phariſæi, & Saducæi conuenerunt, quamuis in ſectis differrent: tamen in vnum ad tentandum Dominum. Vel Phariſæi conuenerunt in vnum aduerſus dominum. De III. Fraudulentia ſignificatur. Quia cum in multitudine eſſent congregati, noluerunt vt omnes interrogent: ſed vnus: vt, ſi ille vinceretur, alij non confutarentur. & ſi iſte vinceret, omnes in eo gloriarentur. Et interrogauit eum vnus ex eis legisdoctor tentans eum: quia non animo addiſcendi. Iob. 16. *Aperuerunt in me ora ſua, & exprobrantes percuſſerunt maxillam meam.*

Hic poteſt eſſe *obiectio* literalis: quia Marcus dicit, quod Dominus intuitus eum dixit: *Non longe es à regno Dei.* Et quomodo hic dicitur, quod tentat eum? *Soluit* Aug. Quia primo venit cauſa tentãdi: ſed cum Chriſtus ſatis faceret ei, cõſenſit ei. Et ideo, quod tentauit eum, debet referri ad principium: quod non longe eſt à regno Dei, debet retorqueri ad finem. Et ſic non fuit mirum ſi verba Domini animum eius mutauerunt. Sciendum autem quod aliqui tentant eo, quod non ſunt certi.

Quia

Quia secundum quod dicit Sapiens, Eccl. 19. *Qui cito credit, leuis est corde.* Ille cum multa audisset de Christo, voluit experiri si talis esset. Et hæc tentatio non esset mala, vnde dicit (Magister quod est mandatum magnum in lege, &c.)

PARS II.

De quæstione & responsione quoad primum mandatum.

HÆc *quæstio* videbatur calumniosa, & præsumptuosa. 1. *Calumniosa*: quia *omnia mandata De[i] sunt magna.* Prou. 6. Mandata, lucerna: & lex, lux. Item indeterminate quæsiuit: quia omnia sunt ma[-]gna, vt si responderet de vno, obijceret de alio. [2.] *Præsumptuosa* Quia non deberet de magno quære[-]re, qui minimum non impleuit. Iob. 15. *Quid eleuat cor tuum, & quasi magna cogitans, atton[i]tos habes oculos?* Et erat forte controuersia s[u]per hac quæstione inter eos: quia aliqui d[i]cebant salutem esse in aliquibus exterioribus. V[n]de Esa. 29. *Populus hic labijs me honorat, cor autem [eo]rum longe est à me.*

Sed *respondet* Dominus, quod solum est in[-]terioribus. Vnde (*Ait Iesus ei, Diliges domin[um] tuum, &c.*) Et non solum respondet ad q[uæ]stionem propositam: sed veritatem docet Quod sit mandatum, Istud scribitur, *Deut.* [...] tem, Dominus per Moysen dicit Deut. 10. [...]

quid dominus petit à te, nisi vt timeas, & diligas eum? Ergo duo præcipit timorem scilicet, & dilectionem. Et quare non respondet dominus de timore, sicut de dilectione? Dicendum, quod *quidam* timent Deum, qui timent pati ab eo: vt qui timent pœnam gehennæ: vel, qui timent amittere aliquid, quod habent à Deo. Et hic est timor seruilis, quia illud diligit in quo timet puniri. Alius est, qui ipsum Deum timet propter se; qui timet eum offendere. Et talis timor est ex amore, & ex hoc timet, quod amat. Ergo principium est amor. 1. Ioan. 4. *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Et ideo dicit, *Diliges Dominum*: non timeas, quia Deus diligendus est sicut primum diligibile, quia ipse finis primus est: sed quæcunque alia diliguntur propter finem. Qui ergo diligit Deum vt finem, diligit in toto corde. *Ioel. 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Et quantumcunque nitamini, non poteritis eum comprehendere; quia Deus maior est toto corde.

Sed quid est, quod dicit, (*ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & tota mente tua?*) 1. *Chrys.* exponit sic. Quia in dilectione sunt tria: Vnum quod est principium: secundum, quod est dilectionis effectus: tertium, sequela dilectionis. Principium dilectionis est duplex: Dilectio enim potest fieri ex passione: & ex iudicio rationis. Ex passione; cum nescit homo viuere sine eo, quod diligit. Ex ratione secũdum, cũ diligit, vt ratio dictat. Dicit ergo quod ille *ex toto corde diligit*; qui diligit carnaliter; ille ex anima, q ex iudicio rationis. Et nos Deũ vtroq; modo debe-

debemus diligere: Carnaliter: vt cor carnaliter afficiatur circa Deum. vnde in psal. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Tertium est sequela dilectionis. Quia illud quod diligo, libenter video, libenter de eo cogito, libenter facio, quod ei placet. Io. 14. *Qui diligit me, sermones meos seruabit*, & totum referet in ipsum. psal. 83. *Quam dilecta tabernacula tua domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria domini.* Et possumus addere illud quod Lucas addit, *& in omni fortitudine tua.* Quia, qui Deum diligit, totum se transfert in illum, & fortitudinem expendit in ipsum.

2. *Augusti.* distinguit inter cor, & animam, & mentem, secundum tria, quæ procedunt ex ipsis. *De corde exeunt cogitationes.* Matt. 15. Ex anima, vita procedit: Ex mente, scientia, & intelligentia. Vnde quod dicit (*ex toto corde*) intelligendum est, vt omnes cogitationes in ipsum referamus. Quod (*ex tota anima*) vt tota vita. Quod (*ex tota mente:*) vt tota scientia referatur in eum, id est, vt scientiam captiues in obsequium eius 2. Cor. 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*

3. *Magistralis* quædam gl. exponit, quod anima est imago Dei secundum suas potentias, memoriam, intelligentiam, & voluntatem: ita vt illud, *ex corde*, ad intelligentiam referatur: *ex anima*, ad voluntatem: *ex mente*, ad memoriam: ita vt perfecte Deo viuatur.

4. Origen. sic exponit. *Diliges Deum ex tota anima*: ita vt sis paratus animam tuam ponere pro eo, si necesse est. Ioan. 13. *Animam meam ponam pro te.*

Sed

Sed differentia est inter mentem, & cor. Cor sumitur pro simplicitate intellectus. Mens vero quoad prolationem dicitur à metiendo: quia per sermonem metitur intellectus, siue cogitatio. Vnde vult dicere, vt in locutionibus, & in meditationibus Deum totaliter diligamus.

III. Hoc posito subdit [*Hoc est primū & maximum mandatum.*) Maximum, capacitate. Istud enim est, in quo omnia continentur. Quia in isto dilectio proximi continetur. 1. Ioan. 4. *Qui diligit Deum, diligit & fratrem suum*: & ideo maximum. Item primum origine, maximum dignitate & capacitate. Non primum in scriptura, quia in scriptura primum mandatum fuit. *Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Deut. 6. Et quare? Quia omnis inclinatio appetitiuæ virtutis est in amore, ideo habemus mandatum vt colamus Deum in dilectione, Ad Rom. 13. *Plenitudo legis dilectio est.* Ad Eph. 3. *In charitate radicati & fundati.*

PARS III.

De secundo mandato.

S*Ecundum autem simile huic est. Diliges proximum tuum sicut teipsum.*) Voluit significare quod in mandatis est ordo. Et quæ est causa? Constat quod mādata sunt de actibus virtutum; virtutes autem habent ordinem. quia vna dependet ab alia, & sicut virtutes, sic & mandata. Sed quare dicit, quod est simile primo: quia quando diligitur homo, cum

homo sit ad similitudinem Dei, diligitur Deus in illo: ideo simile est primo mandato, quod est de dilectione Dei.

I. Sed quid intelligit nomine proximi, cum dicit, *diliges proximum*? Istud satis signatur in parabola, *Luc.* 10. Vbi quæritur, *quis tibi videtur quod fuerit eius proximus*, & respondetur: *Qui fecit misericordiam in eum.* Vnde qui debet facere misericordiam nobis, vel nos ipsi, sub nomine proximi continetur. Sed non est aliqua rationalis creatura, cuius non debeamus misereri; & è conuerso: & ideo sub nomine proximi continetur homo & Angelus.

2. Quod dicit, [*sicut teipsum*] 1. Non intelligitur quantum teipsum: quia hoc esset contra ordinem charitatis. Sed *sicut teipsum*, id est, eo fine quo teipsum; vel eo modo quo teipsum. Ideo fine; quia te non debes diligere propter te; sed propter Deum; sic etiam proximum. 1. Cor. 10. *Omnia in gloriam Dei facite.* 2. Itē, in eo quod teipsum diligis, diligis te in eo, in quo vis tibi bonū; & tale bonum quod sit secundum te & legē Dei: & hoc est bonum iustitiæ. Sic etiam & proximo debes optare bonā iustitiam. Vnde debes eū diligere, vel quia iustus est, vel quia iustus fit. 3. Debes eum diligere eo modo, quo teipsum. Quia cum dico, diligo istum, dico volo bonū ei. Vnde actus dilectionis cadit super duo; vel super ipsum, qui bonus est; vel super ipsum bonum quod volo ipsi: vnde diligo istum, quia volo ipsum esse bonum mihi. Hinc quis diligit bona teporalia; quia scit ea bona esse sibi. Alij vero diligūt ali-

aliquid: quia bonum est in se: sic debes diligere teipsum, & etiam proximum.

II. Assignat rationem, quare ista duo sint maxima mandata. (*In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ.*) 1. Tota doctrina legis & prophetarum dependet ab his. Finis in appetibilibus se habet sicut principiũ in speculatiuis. Procedit enim scientia à principijs ad conclusiones: & sic tota scientia ex principijs iudicatur: sicut & in omnibus operabilibus, totum dependet à fine. Quia ergo dilectio est finis: 1. Timo. 1. *Finis præcepti est charitas*: Ideo ab istis dependent omnia alia. & hæc est expositio Aug. 2. Orige. sic exponit. *In his*, id est, in obseruantia istorũ dependet intellectus legis & prophetarum. Quia qui hæc obseruat, meretur intelligentiam legis & prophetarum: Eccl. 2. *Qui timetis dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* Psal. 118. *A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis.* (*Congregatis autem, &c.*)

PARS IV.

De interrogatione Domini.

POstquam respõderat eis, ipse voluit obijcere & facit duo. *Primo* ponitur interrogatio: *secundo* eius effectus, Circa primũ. *Primo* proponit interrogationem: *secundo* responsionẽ: *tertio* obijcit cõtra. De I. (*Congregatis. a. Pharisæis, &c.*) Congregati autẽ erant ad tentandum. Vnde ponit interrogationẽ. (*Quid vobis videtur de Christo; cuius filius est?*) Hæc

quæſtio difficillima erat, & congrua. Difficillima; quia Eſa. 55. *Generationem eius quis enarrabit?* Congrua: quia habebant opinionem, quod eſſet purus homo, & non credebant ipſum eſſe Deum. Quia ſic non tentarent eum, quia ſcriptum eſt, Deut. 6. *Non tentabis dominum Deum tuum*: ideo vt oſtendat ſe Deum dicit, [*Quid vobis videtur, &c.*]

De II. Sequitur reſponſio (*Dicunt ei: Dauid*) Chriſti enim erat duplex generatio. Vna ſecundum carnem: alia ſecundum diuinitatem, ſecundum quam eſt filius Dei patris, de qua dicitur Pſal. 2. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, Dei. Ipſi reſpondent de generatione ſecundum carnem, cum dicunt, (*Dauid.*) Hier. 23. *Suſcitabo Dauid germen iuſtum.* Rom. 1. *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem.* Et iſti inſufficienter reſponderunt, quia inſufficienter cognoſcebant eum.

De III. Obijcit vt eis det intelligi aliam generationem. (*Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum dominum dicens,* (*Dixit dominus domino meo, &c.*) Pſal. 109. Habetur in lege, quod pater maior eſt filio. Non ergo filius Dominus eſt patris. ergo vel Chriſtus non eſt filius Dauid; vel in eo eſt aliquid maius Dauid: cum vocet eum dominum. Forte dicent, quod Dauid fuit deceptus. Hoc remouet; Quia *in ſpiritu* hoc dicit: vnde *ſpiritu ſancto Dei locuti ſunt homines.* 2. Petr. 1. Poſſumus autem tria videre in autoritate iſta pſalmi. 1. Præeminentiam ad Sanctos. 2. Æqualitatem ad patrem. 3. Dominium ſuper rebelles. I. Preeminentiam ad Sanctos, cum dicit: *Dixit Dominus,* &c. *Dominus* ſcilicet pater, *domino* ſci-

no ſcilicet filio: Ipſe enim filius habet dominium ſuper omnes Sanctos. Nullus enim ſanctus illuminatur, niſi à lumine vero. Ipſe enim eſt lumen verum, Io. 1. *Vita erat lux hominum.* Si ergo ipſe eſt, cuius participatione omnes ſancti lumen recipiunt; præeminentiam habet ad omnes ſanctos in eo, quod dicitur. *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus Sanctorum, &c.* Vnde ipſe originaliter eſt ſplẽdor omnium ſanctorum. II. Æqualitas patris, cum dicitur. [*Sede à dextris meis*] Non quod ſint ſedes locales, ſed metaphoricæ; quia honorabilior locus eſt ſedere à dextris. Dicere, eſt emittere verbum. Quod ergo dixit dominus, *Sede à dextris meis,* quid eſt aliud niſi generando Me Verbum, dedit mihi poteſtatem, æqualitatem, & autoritatem. Poteſt etiam exponi de temporalibus: id eſt, in potioribus bonis, ſed non eſt ad propoſitum. Dominus enim ſemper videtur à dextris. Mar. vlt. *Viderunt iuuenem ſedentem à dextris.* Et Stephanus, Act. 7. *vidit Ieſum ſedentem à dextris virtutis Dei.*

III. Quid fiet de inimicis eius? Et omnes ſubijcientur. [*Donec ponam inimicos,* &c.] Iſti vel ſunt penitus infideles, vel hi qui noluerunt obedire & ſubeſſe, vnde iſtos ponet [ſcabellum pedum tuorum] Scabellum enim eſt, quod ponitur ſub pedibus. Illud autem quod eſt ſub pedibus, totaliter ei ſubijcitur, non autem illud quod eſt in manu. Quidam ponuntur ſcabellum ad punitionem; quidam ad ſalutem. Ad punitionem, qui nolunt facere eius voluntatem: Ad ſalutem, qui faciunt eius voluntatem.

Sed *obijciunt* Arriani. Ergo non est æqualis patri. *Dico*, quod legitur vtrumq;, & quod subijcitur patri: & quod est æqualis patri. 1. Corin. 15. *Oportet autē illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus.* Item, Christus sibi omnia subijciet, Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Vnde illud dicit ad demonstrādum vnitatem potestatis. Et omnia quæ potest Pater, eadē potest & Filius: Sed quid est, q, dicit. *Donec ponam inimicos tuos*, &c. Ergo videtur, q, postquam supposuerit inimicos: vltra non sedebit à dextris. *Dicendum*, quod, *donec*, aliquando importat tempus determinatum: aliquando infinitum. Hic infinitum, Dicet aliquis. Nonne multi rebellant Christo? Ita, & ideo quando multi rebellarent, voluit Christus exprimere: [*Si ergo Dauid vocat eum dominum, quomodo filius eius est?*] Ergo Dominus est, & Filius, Filius, secundum carnem: quia ab ipso traxit originem: & Dominus secundum diuinitatem.

(*Et nemo poterat respondere ei verbum.*) Hic ponitur effectus, & est duplex. Quia Christus fuit respondens, & opponens. Quia opponens: nemo poterat respondere. Iob. 9. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Quia in respondendo confutauerat eos, ideo sequitur. (*Nec ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.*) ideo potestis videre, quod isti non interrogabant vt eos doceret: sed vt eum tentarent, Deut. 32. *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi.*

DOMI-

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

Et ascendens Iesus in nauiculam transfretauit. Matt. 9.

SCOPVS. Posuerat Dominus miracula contra pericula corporalia: hic ponit miraculum contra periculum spirituale.

PARTITIO.

I. Praecedentia miraculum.
II. Miraculum ipsum.
III. De confutatione malignantium.

PARS I.

Praeambula miraculi.

PRimo ponitur locus: *secundo* deuotio offerentium. De I. (*Ascendens Iesus. &c.*) Quia rogabant eum Geraseni, vt ab eis discederet; ideo ascendit nauim. Significat, quod si dicant aliqui, *Recede à nobis, viam mandatorum tuorum nolumus*; Iob. 21. statim recedit. Nauicula significat crucem, vel ecclesiam [*Et venit in ciuitatem suam*] scilicet in ciuitatem gentium; quae Ipsi datae sunt. Psal. 2. *Postula à me & dabo tibi gentes, &c.*

Sed est *quæstio*, quare Mat. & Lucas dicunt istud esse factum in Capharnaum? Hic vero habetur quod in Nazareth, quæ erat ciuitas sua. 1. *Di- dum*, Quædam erat ciuitas Christi ratione natiuitatis: Et hæc erat Bethleem. Quædam ratione educationis: Et hæc erat Nazareth: Quædam ratione conuersationis & operationis miraculorum: Et sic Capharnaum. Vnde dicitur Luc. 4. *Quanta audiuimus facta in Capharnaum; fac & hic in patria tua.* 2. Aug. aliter soluit: quia Capharnaum inter alias ciuitates Galilææ erat magis famosa, & erat quasi metropolis. Sicut si quis esset de aliqua villa iuxta Parrisios, diceretur esse de Parrisijs, propter notitiam loci: sic dominus, quia erat de finibus Capharnaum, dicebatur inde esse. Vel aliter; quia prętermittunt aliquid Euangelistæ, vnde aliquid potest addi; quod videlicet, transiuit per Nazareth, & venit in Capharnaum.

De II. Et tunc obtulerunt ei [*Ecce offerebant*, &c.] Hic tangitur deuotio offerentium, vnde in Marco tangitur, quod quia non poterant transire, posuerunt per tegulas. Iste paralyticus significat peccatorem in peccato iacentem. Vnde sicut non potest paralyticus se mouere, sic nec iste. Illi autem, qui portant eum, sunt, qui suis monitionibus portant eum ad Deum.

PARS

PARS II.

De miraculo ipso.

TRia. *Primo*, quid mouit Iesum. *Secundo*, quid sit quod requiritur. *Tertio*, disceptationem contra beneficium. De I. Curat aliquando dominus aliquem propter fidem suam, aliquando propter preces suas, & aliorum. (*Videns ergo fidem illorum dixit*) Vnde dicitur, Mar. 11. *Quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.*

De II. (*Confide fili*) quid ergo requiritur? fides. psal. 124. *Qui confidunt in domino sicut mons Sion, non commouebitur in aeternum qui habitat in Hierusalem.* Et Act. 15. *Fide purificans corda eorum.* (*Remittuntur tibi peccata, &c.*) Sed, quid est, quod iste petebat sanitatem corporis; & dominus dat sanitatem animae? Ratio est: quia peccatum erat causa aegritudinis. Psal. 15. *Propter iniquitates eorum multiplicata sunt infirmitates eorum.* Vnde fecit Deus, sicut bonus medicus, qui causam curat.

De III. Deinde ponit disceptationem contra beneficium (*Ecce quidam.*) Et quare mirabantur? quia videbant hominem, & non videbant Deum; solius autem Dei est dimittere peccata: ideo dicebant eum blasphemum: iuxta illud Iob. 34. *Qui dicit regi apostata, qui vocat duces impios, &c.*

PARS III.

De confutatione malignantium.

ET *cum vidisset, &c.* [Hic confutat eos tripliciter. Sua cognitione, Verbo, & Facto. Cognitione: Quia ſicut ſolius Dei eſt, dimittere peccata; ſic cognoſcere ſecreta cordis. Pſal. 25. *Scrutans corda, & renes Deus.* Et primo reprehendit eorum nequitiam (*Vt quid cogitatis, &c.*) quia blaſphemum eum dicebant. Eſ. 1. *Auferte mala de cogitationibus veſtris.*

II. (*Quid eſt facilius, &c.* Hic verbo confutat. Sed videtur male arguere Dominus: quia arguit à minori affirmando. Facilius enim videtur ſanare corpus, quam ſanare animam. Sed exponit ſic Hiero. *Facilius eſt* dicere quam facere. Verum quantum ad factum, fortius eſt animam, quam corpus ſanare; ſed quantum ad poteſtatem; eadem eſt poteſtas vtrobiq;. Sed ſi ad dictum referatur, videmus quod mendaces cito mentiuntur; vbi nõ poſſunt deprehendi. In his enim quæ apparent, deprehendi poſſunt; ſed non in his, quæ latent. Vnde in his audacter loquuntur, vbi deprehendi non poſſunt. Facilius eſt ergo dicere; ſi non poſſetis cognoſcere, Ideo, (*Vt autem ſciatis, &c*)

III. Oſtendit facto. Et *Primo* ponitur finis operationis. *Secundo* modus. *Tertio* efficientia. *Vt ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem, &c.* Per hoc manifeſtat ſe Deum. Matt. 1. *Ipſe enim eſt qui ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Dicit (*quod filius hominis*) & dicit (in terra) vt elidat duplicem errorem, ſ. Neſto-

ſcilicet Neſtorij, & Photini. Dicebat Neſtorius, q̄ filius hominis, & filius Dei eſſent duo ſuppoſita, nec poſsit dici de vno, q̄ dicitur de altero. Vt Iſte puer creauit ſtellas. Ideo dicit *hominis*: quia Dei eſt dimittere peccata. Item contra Photinum: qui dicebat, Chriſtum accepiſſe initiū de Virgine Maria: Et merito acquiſiuit Diuinitatem. Nitebatur illo Mat. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Ideo dicit. *In terra.* Baruch. 3. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cū hominib. conuerſatus eſt.* (*Habet poteſtatem.*) Videtur q̄ per hoc non oſtendatur; quia etiam ipſi Apoſtoli habebant poteſtatē. Sed dicendum q̄ ipſi habebant per viam adminiſtrationis, nō autoritatis. hoc. a. (Vt autem ſciatis, &c.) Dupliciter pōt legi. Vel vt ſint verba Euangeliſtæ: & ita ſunt narratoria. Vel ſint verba Chriſti dicētis, *vt ſciatis, &c.* Et ſic oratio eſt imperfecta; quia ipſi dubitabant: Ideo, *vt ſciatis*, q̄ ego habeo, &c. (*Ait paralytico, Surge, &c.*) Verbo curauit; quod ꝓprium eſt Dei. pſal. 32. *Dixit, & facta ſunt.* Tria habebat infirmus, Iacebat in lecto: portabatur ab alijs: ire non poterat. Quia ergo iacebat, dixit, (*Surge*) Quia portabatur; præcepit (*Tolle lectum tuum*, ,) Quia ire non poterat, dixit (*Et ambula.*) *Dei* enim *perfecta ſunt opera.* Deut. 32. Similiter peccatori in peccato iacēti dicitur (*Surge*) à peccato per contritionem (*Tolle lectum*) per ſatisfactionem. Michææ 7. *Iram domini portabo, quia peccaui ei.* (*Et vade in domū tuā*) In domum ęternitatis, vel in conſcientiam ꝓpriam. Sap. 8. *Intrans in domum mēā conquieſcā in illa.* Sequitur executio (*Surrexit & abijt. Videntes. a. turbæ*) non ſcribę; quia iſti dedignabātur: (*timue-*

(*timuerunt*) Abacuch. 3. *Domine audiui auditum tuum & timui.* Sed quo timore? (*glorificauerũt Deum.*) Quia omnia in Deum retulerunt. Psal. 113. *Non nobis domine, non nobis*, &c. (*Qui dedit potestatem talem hominibus*) Vnde isti non contemnunt, sicut scribæ: sed quia dicitur *hominibus*, ideo Hilarius exponit: *Qui dedit talem potestatem hominibus vt fiant filij Dei*, vt in Io. 1. *Dedit eis potestat. in filios Dei fieri.*

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Simile est R. C. H. R qui fecit nuptias. Matth. 22.

SCOPVS. Docuerat Dominus, quod Christi persecutores prouocati sunt ad occidendum eum tribus de causis: Ex eius gloria: Ex eius sapientia qua confutabat eos: Ex eius iustitia, qua arguebat eos. De prouocatione ex gloria Christi, dictum est. Nunc autem dicendum qualiter ex sapientia. in quantum eorum damnationem præmonstrat.

PARTITIO.

In ista parabola, in qua determinatur de reprobatione Iudæorum, & vocatione gentium:

I. Ponitur instructio nuptiarum.

II. De vocatione Iudæorum, & recusatione.

III. De vocatione gentium.

IV. De

IV. De examinatione congregatorum.

PARS I.

De apparatu nuptiali.

DIcit ergo. [*Et respondens Iesus, &c.*] Cui respondit? Non est dictum quod alicui loqueretur. Quia eum tenere volebant, ideo non verbis, sed malitiæ eorum respondit, (*in parabolis dicit eis. Simile est regnum cælorum homini regi*, *&c.*) Similis parabola ponitur, *Luc.14.1.* Et non videtur eadem secundum Gregorium.1. Quia ibi fit mentio de cœna: hic de nuptijs. 2. Nullus exclusus est ab illa cœna: hic autem est aliquis exclusus. vnde alia est parabola. 3. Per illam, conuiuium cæleste intelligitur: per istam conuiuium quod fit in terra. Et ideo illud dicitur cœna.

Potest dici secundum aliquos, quod eadem est parabola. Quia antiquitus prandium & cœna idem appellabatur: quia non solebant comedere, nisi ad nonam.

Vel potest dici, Lucam dicere, quod Matt. tacuit. Sed credo quod alia est. 1. Videamus, *quis est iste homo Rex*? Est Deus, & intelligitur persona Patris: quia dicit *filio suo*. Sed *quare dicit homini regi?* Ratio est, vt dicit Origenes, quia Rex dicitur à regendo. Nos autem non possumus, nec sumus capaces regni eius, secundum quod est: sed regit nos secundum modum nostrum, Deuter, 32. *Sicut aquila prouocans pullos ad volandum*. Et ideo dicitur homini regi: quia

gi;quia regit nos humano modo. Sed cum videbitur ſicuti eſt, tunc erit Rex; quia tunc ſecundum ſe reget. Vnde Apoſtolus 1. Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Dicit, (*Simile eſt regnum*, &c.) Sicut enim in regno ſunt multa: eſt enim rex, regnum, & qui ſeruiunt: ſic in illo regno: ideo ſimile eſt homini regi [*qui fecit nuptias filio ſuo.*] Filius eſt Chriſtus, de quo dicitur, 1. Ioan. vlt. *Vt ſimus in vero filio eius. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.*

II. Quæ ſint iſtæ nuptiæ, quadrupliciter poteſt exponi. *Primo* per vnitatem naturæ humanæ ad diuinam: Vt humana natura ſit ſponſa. Thalamus fuit vterus virginis, Pſalm. 18. *Ipſe enim tanquam ſpōſus de thalamo ſuo.* Et hæc expoſitio habet aliquid dubietatis: quia poſſet credi quod alia eſſet perſona patris, alia filij. 2. Vnde poteſt dici quod iſte ſponſus eſt Verbum incarnatum: ſponſa Eccleſia. Eph. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* 3. Ipſius Verbi ad animam noſtrā. Fit enim anima particeps gloriæ Dei per fidem: & ſic fiunt nuptiæ noſtræ, Oſee 2. *Sponſabo te in fide.* 4. Nuptiæ erunt in communi reſurrectione, huius a. reſurrectionis Chriſtus eſt via, Ioan. 14. *Ego ſum via.* Tunc erunt nuptiæ, quando mortale noſtrum abſorbetur à vita, vt habetur, 1. Cor. 13. Sed ſi loquamur ſecundum Gregorium, oportet exponere de præſentibus ſecundum quod eccleſia Chriſto, & anima noſtra Deo per fidem deſponſatur.

PARS

Pars II.

De vocatione Iudæorum.

PRimo ponitur duplex vocatio: *secundo* excusatio. De 1. (*Et misit seruos suos, &c.* Dicit Origenes, duplex est ibi litera, quia quædam habet, *misit seruum suum*; quædam, *seruos suos.* Si sit litera, seruum, sic tria sunt consideranda. *Primo* Inuitatio, *secundo* Vocatio. Et *tertio* alia inuitatio. *Prior inuitatio.* Fuerunt ergo Iudæi inuitati in Patriarchis. Vnde dictum est Abrahæ, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, Genes. 12. Galat. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius*, &c. Primum fuit missus Moyses, Num. 12. *Non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est.* Et sequitur: *Quare non timuistis eum?* (*Et nolebant venire.*) Deuter. 31. *Adhuc viuente me & egrediente vobiscum, semper contentiose egistis erga dominum.*

Secunda vocatio est per Prophetas, de quibus Amos 3. *Non faciet dominus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas.*

Vel potest esse litera, *seruos*: & tunc per primos significantur prophetæ: quibus semper Iudæi rebelles fuerunt. Act. 7. *Vos semper spiritui sancto restitistis.* Per secundos Apostoli, quibus dictum est Mat. 10. *In viam gentium ne abieritis.* Vel per primos prophetas, primos Apostolos; per secundos, successores Apostolorum.

(*Iterum misit alios seruos.*) Hic ponitur *alia inuitatio.* Et ponitur augmentū benignitatis ex parte inuitātis; & augmētū malitiæ ex parte excusantis. In prima vocatione nihil ꝓmisit: in ista vero promittit, quia

quia dicit, (*Dicite inuitatis. Ecce prandium meum, &c.*) Istud prandium est spiritualis refectio, Prou. 19. *Sapientia immolauit victimas, miscuit vinum, & posuit mensam suam, misit ancillas, vt vocarent ad arcem.* (*Tauri mei, & altilia mea*, &c.) Secundum Origenem, hæc est dispositio sapientiæ Dei. *Tauri* dicuntur rationes fortes, Esa. 8. *In forti manu sua erudiuit me. Altilia* dicuntur quasi alita bene. Altilia dicuntur proprie aues saginatæ, quæ nutriuntur & impinguantur: & significant subtiles sensus, & fiunt saginatæ quando sacris sensibus multiplicantur, quibus anima saginatur, Psalm. 62. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*, &c. Quicquid enim necessarium est, inuenitur in sacra scriptura.

Ideo [*omnia sunt parata.*] Psal. 18. *Lex domini immaculata conuertens animas*, &c. Hæc est inuitatio sapientiæ, Prouerb. 9. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Vel significat refectionem spiritualem. 1 *Per tauros* significantur exempla Sanctorum, quæ Dominus præparauit in exemplum, Iac. 5. *Accipite exemplum exitus mali, & longanimitatis, & laboris, & patientiæ Prophetas, &c.* Vnde tribulationes sanctorum ponit in exemplum. 2. Secundum Gregor. Per tauros significantur Patres veteris testamenti. Quia vt taurus ferit cornibus: sic in tempore Patrum semper quærebatur vindicta, præcipiebat oculum dari pro oculo. *Per altilia*, Patres noui testamenti notantur: quia omnia dimiserunt pro Christo; & impinguantur sapientia Dei, occisi propter Deum. *Omnia parata sunt, venite ad nuptias.* Passus est Christus; aperuit

cœlos;

cœlos,misit Apostolos.3. Vel *per tauros* intelliguntur Sacerdotes veteris testamenti. Quia taurus est animal immolatitium: *per altilia* prophetæ, qui impinguati sunt sapientia Dei.

De II. (*Sed illi*). sc. indurati in malitia, (*neglexerunt.*) quidam dimittunt ex negligentia; quidam autem ex malitia, qui persequuntur prædicatores. vnde dicit. (*Illi autem neglexerunt.*) Et quæ fuit causa? Quia (*abierunt vnus in villam suam, alius ad negotiationem suam.*) Videbantur habere iustam caussam exterius: sed Dominus non recipit. quia nulla temporalia debent detinere ab accessu ad Deum.

Secundum Hilar. per hoc quod dicit, *in vineam suam*, significat appetitum humanæ gloriæ, Ioan. 12. *Dilexerunt magis gloriam hominum, quam gloriam Dei*, Hierem. 5. *Ego autem dixi, forsitan pauperes sunt & stulti, ignorantes viam Domini & iudicium Dei sui*: per hoc quod dicit, [Alius in negotiationem suam,] signatur appetitus auaritiæ, Hierem. 6. *A maiori vsque ad minorem omnes auaritiæ student*. Secundum Chrysostom. quidam habent occupationem laborando proprijs manibus: alij in negotiationem, id est, in proprium officium suum.

[*Reliqui vero tenuerunt seruos suos,*] id est Apostolos: [*Et contumelijs affectos occiderunt.*] Quia multos occiderunt ex Veteri & Nouo Testamento. Mat. 23. *Mitto ad vos sapientes & scribas, & ex illis occidetis, &c.* Et non facit hic mentionem de morte sua; sed solum discipulorum, quia satis superius meminerat.

De III. Sequitur punitio eorum. [*Rex vero cum*

audisset iratus est, &c.) Supra posuit pœnam spiritualem, hic autem ponit temporalem. vnde supra dicebatur homini Regi; hic autem dicitur Rex, quia nomen hominis ad pietatem pertinere videtur, Rex vero ad punitionem, Sap. 14. *Hos quos in palam homines honorare non poterant propter hoc quod longe essent, à longinquo figura eorum allata: euidentem imaginem regis quem honorare volebant fecerunt,* &c. *(Rex autem iratus.]* Nota, quod quádo ira attribuitur Deo, nō commotionem significat; sed vindictam, quia irati punire solent, vnde ira punitio vocabatur. Quod est notandum contra hæreticos: qui solent obijcere Deum veteris testamenti non esse bonū; quia præcepit punitiones, &c. Vnde *(missis exercitibus suis perdidit homicidas illos.)* Exercitus sunt spiritus angelici. Vel ciues Romani qui sub Tito, & Vespasiano occiderunt multos, Psal. 23. *Domini est terra & plenitudo eius (Et ciuitates illorum succendit,)* quia combustæ sunt, Esa. 1. *Ciuitates vestras ignis comburet.* Vel potest mystice intelligi, scilicet corpora eorum, vel congregationes hæreticorum.

PARS III.

De vocatione gentium.

ET tria facit. *Primo* ponitur mandatum: *secundo* executio: *tertio* effectus. Circa primum duo facit. *Primo* assignat rationem præcepti: *secundo* ponit præceptum. De I. Dicit ergo. 1. *(Tunc ait seruis suis, Nuptiæ quidem parata sunt,* id est, filius incarnatus est.

tus est. Esa. 5 *Quid vltra potui facere tibi vinea mea?*) *Sed qui fuer..nt inuitati, indigni fuerunt,*) id est, indignos se reddiderunt. Et quomodo? Sicut dicitur Roman. 10. *Ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Et Actor. 13. *Sed quoniam repellitis illud, & indi nos vos iudicastis vitæ æternæ; ideo conuertimur ad gentes.* Vnde per delictum Iudæorum salus facta est gentibus. Apoc. 3. *Tene quod habes, ne alter accipiat coronam tuam.*

2. Sequitur mandatum. [*Ite ergo ad exitus viarum,* &c.] Per vias intelliguntur diuersa dogmata, quia ista sunt viæ quædam, quæ ducunt nos ad veritatem. Gentiles sunt in exitibus dogmatum. Vnde (*ite ad exitus viarum,*) id est, ad illos, qui hærent in erroneis dogmatibus. Vel aliter: *Populus qui ambulabat in tenebris vid t lucem.* Esa. 9. Vnde per vias intelliguntur actiones bonæ: de quibus, Prouerb. 4. *Vias quæ à dextris sunt, nouit Dominus.* Per exitus, quęcunque possunt concurrere ad actiones. (*Et quoscumque inueneritis vocate ad nuptias.*) Vnde Matt. vlt. *Ite, docete omnes gentes, &c.*

De II. Sequitur executio. (*Et egreßi serui eius in vias congregauerunt omnes.*) Marci vlt. *Illi autem profecti prædicau..runt vbique Domino cooperante.* Sed quid est quod dicit, *bonos & malos*? 1. potest dici, quod illos, qui primo mali, & post boni. 2. Vel potest dici, loqui comparatiue, quod inter illos aliqui sunt boni, secundum virtutes ciuiles. 3. Vel quia postquam congregati fuerint, commiscentur boni & mali. De III. Effectu sc.

 inui-

inuitationis. (*Et impleta sunt nuptiæ discumbentium*,) id est, fidelibus, Matt. 13. Simile ponitur: *Quam cum impleta esset, educentes, & secus litus sedentes elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt.*

PARS IV.

De examinatione congregatorum.

INtrauit autem Rex, &c. *Primo* ponitur examinans: *secundo* examinatio: *tertio* condemnatio. I. *Examinans* intrauit. intrat enim quando exercet iudicium super eos. Genes. 19. *Intrabo & videbo, &c.* 1. Et hoc in finali iudicio. 2. Item, in morte. 3. Item, quando imminent tribulationes ecclesiæ. Quis est examinatus? (*Vidit hominem non habentem vestem nuptialem.*) Quæ est ista vestis? Christus. Nam *qui sumus Christi, Christum induimus.* Rom. 13. *Induimini Dominum Iesum Christum.* 1. Quidam enim induunt Christum per sacramentum, Galat. 3. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* 2. Quidam sunt in Christo per charitatem, & amorem, Col. 3. *Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore.* 3. Item, per mortis rememorationem. 4. Item, per operum conformitatem Rom. 13 *Induimini dominum Iesum Christum.* Habere ergo vestem nuptialem, est induere Christum per operationem bonam, per conuersionem sanctam, per charitatem veram: & si vnum deficiat: malum.

II. Se-

II. Sequitur examinatio. (*Amice.*) Amicum vocat per fidem. Vel quia ipse amauit eum: Vel potest dici, quod vbicunq; vocat aliquem amicum, improperando dicit. Vnde improperat amorem quo amauit eum. [*Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?*] Posset dicere aliquis. Qua occasione puniuit illum; quia vocauit bonos & malos? Sed noluit, vt mali venirent; nisi pararent se, & disponerent, vt essent boni. (*At ille obmutuit:*) quia non potest habere sufficientem rationem peccator, quare vestem nuptialem contemsit, Iob. 9. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei.*

Concluditur sententia parabolæ; ponitur pœna duplex, pœna damni, & pœna sensus. Nam homo in mundo tripliciter perficitur, per intellectum cogitando, per affectum tendendo in summum bonum, & per actum: Ideo & tripliciter punitur. 1. Vnde [*dicit rex ministris: Ligatis manibus & pedibus, &c.*] Per pedes intelliguntur affectus mali. In mundo isto pedes habent peccatores; sed non ligatos, quia possunt fieri boni: sed post damnationem ligabuntur: quia redire non poterunt. Eccles. 9. *Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* 2. Item, modo potest homo proficere in cogitando veritates: sed tunc non: ideo dicitur, [*Mittite eum in tenebras exteriores.*] 1. Modo enim aliqui peccatores non sunt tenebrosi, quantum ad cognitionem exteriorem: licet quo ad cognitionem interiorem. Sed tunc habebunt tenebras exteriores. 2. Vel ad literam, quia

non ſolum quo ad animam, ſed quo ad corpus: quia ſeparabuntur à ſocietate Sanctorum.

Sequitur pœna ſenſus. [*Ibi erit fletus & ſtridor dentium.*] 1. Fletus procedit ex triſtitia; ſtridor ex ira. Actor. 7. *Stridebant dentibus in eum.* Aliqui flent pro peccatis & humiliantur, & mundantur: illis erit triſtitia, at non ad humilitatem; ſed vertetur in iram. Item, ſtridor propter impatientiam; *quia ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper*, Pſal. 73. 2. Vel poteſt dici in reſurrectione; quia non ſolum in anima, ſed etiam in corpore punientur: Vel quia calorem & frigora patientur, Iob. 24. *Tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.*

Deinde concludit. [*Multi ſunt vocati; pauci vero electi.*] quia quidam nolunt venire; quidam non habent veſtem nuptialem. Vnde Matt. 7. *Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam.*

DOMI-

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

Erat quidam Regulus, &c. Ioan. 4.

SCOPVS. Docuerat, quemadmodum gratia ad gentes esset deriuata, per viam doctrinæ: Hic docet, quod eadem per viam miraculi processerit.

PARTITIO.

I. De infirmo.
II. De interpellante.
III. De sanante.
IV. De annunciatione sanitatis.
V. De miraculo ipso.

PARS I.

De persona infirmata.

HIc tria. *Primo* Conditio infirmi. *Secundo* Locus infirmitatis. *Tertio* conditio morbi. De I. [*Erat quidam regulus: cuius filius infirmabatur.*] Dicitur autem regulus multipliciter. *Vno modo*: qui præest paruo regno, & sic non accipitur hic: Quia tunc temporis nullus erat Rex in Iudæa. Matt. 18. Non habemus Regem nisi Cæsarem. *Alio modo* secundum Chrysostom. Aliquis de stirpe Regia. Nec sic accipitur hic. Sed

tertio modo regulus dicitur aliquis officialis Regis. Vnde, ſecundum quod Chryſoſto. dicit, quidam eundem ipſum exiſtimant Centurionem: de quo Matth. 8. Sed hoc non eſt verum. Nam quantum ad quatuor differunt. *Primo* quidem quantum ad genus infirmitatis: nam ille Centurionis erat paralyticus. Vnde dicebat; *Puer meus iacet paralyticus in domo.* Filius autem reguli erat febricitans. Vnde dicit: *Heri hora ſeptima reliquit eum febris. Secundo,* quantum ad perſonam infirmatam, quia ille erat ſeruus: *Puer meus* Iſte vero erat filius, [*Cuius filius.*] *Tertio,* quantum ad petitionem: nam centurio Chriſtum volentem ad domum ſuam ire, rogabat remanere dicens: *Domine non ſum dignus, &c.* Regulus vero eum rogabat deſcẽdere in domum ſuam, dicens: *Domine deſcende prius quam moriatur. Quarto,* quantum ad locum, quia illud fuit in Capharnaum; iſtud vero in Cana Galilææ: Ergo iſte regulus non eſt idem, quod Centurio: ſed erat quidam de familia Herodis Tetrarchæ, ſiue nuncius, ſiue officialis Imperatoris.

Allegorice 1. Regulus iſte, Abraham vel aliquis ex Patribus veteris Teſtamenti dicitur: ex eo quod adhæret magno Regi per fidem, ſcilicet Chriſto, de quo Pſal. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo.* Huic autem Abraham adhæſit, ſecundum illud Matt. 8. *Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum.* 2. Filius eius eſt populus Iudæorum, Mat. 8. *Semen Abrahæ ſumus,* &c. Qui infirmatur prauis voluptatibus, & dogmatibus.

De II. *In Capharnaum,* id eſt, in abundantia: quæ fuit

fuit Iudæis causa recedendi à Deo: secundum illud, Deut. 31. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit*, & sequitur, *Dereliquit Deum*, &c.

Moraliter In regno animæ, Rex est ipsa Ratio. secundum illud, Prou. 20. *Rex qui sedet in solio suo, dissipat omne malum intuitu suo.* Quare dicitur Rex: Quia totum corpus hominis per eam regitur: & affectus hominis ab ea dirigitur & informatur: nec non & aliæ vires animæ eam sequuntur. Sed quandoque dicitur regulus, quando scilicet diminuitur in cognitione, & obscurata, sequitur inordinatas passiones, & non resistit eis: secundum illud Eph. 3. *Ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum.*

De III. Et ideo *filius eius*, id est, affectus *infirmatur*, id est, deuiat à bono, & declinat ad malum. Si enim ratio fuisset Rex, id est, fortis, filius eius non infirmaretur: sed quia regulus est: ideo filius eius infirmatur, [*Et hoc Capharnaum*:) quia abundantia temporalium est causa spiritualis infirmitatis, Eccl. 16. *Hac fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ, abundantia, &c.*

PARS II.

De persona interpellante.

PRimo ponitur motiuum ad interpellandum *Secundo* ipsa interpellatio. *Tertio* necessitas interpellandi. I. Motiuum ad interpellandum fuit aduentus Christi. Vnde dicit, [*Hic,*] scilicet regulus,

[*cum audiuiſſet quod Ieſus a* 'ueniret,&c.]Nam quamdiu aduentus Chriſti differebatur, ſpes hominum inualidior erat de ſanatione à peccatis: ſed cum auditur aduentus Chriſti appropinquare, ſpes ſanitatis confortatur in nobis. Et nunc imus ad eum. Nam ad hoc ipſe venit in mundum, vt *peccatores ſaluos faceret*, Luc.19. *Venit filius hominis quærere*, &c. Sed ſicut dicit Eccl 8. *Ante orationem animã parare debemus:* quod fit occurrendo Deo per deſiderium. Et hoc fecit iſte. Vnde dicitur quod[*abijt ad eum*] Amos 4. *Præparare in occurſum Dei tui Iſrael.*

II. Petitio autem fit de ſanatione filij ſui: [*Rogabat eum vt deſcenderet*,] ſcilicet per miſericordiam, Iſa.46. *Vtinam dirumperes cælos, & deſcenderes.* [*Et ſanaret filium eius.*] Sic & nos debemus rogare, vt ſanemur à peccatis: Pſal.40. *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* Nam nullus per ſe poteſt ad ſtatum iuſtitiæ redire, niſi à Deo ſanetur. Iob.6. *Non eſt auxilium mihi ex me.* Sic & patres veteris Teſtamenti rogabant pro populo Iſrael. Vnde de vno eorum dicitur 2.Mach. vlt. *Hic eſt fratrum amator, qui multum orat pro ſancta ciuitate, & pro populo Iſrael, Hieremias propheta Dei.*

III. Neceſsitas interpellandi eſt vrgens. [*Incipiebat enim mori.*] Quando enim homo tentatur, incipit infirmari: ſed quando tentatio præualet, ita vt inclinet ad conſenſum, tum eſt prope mortem: quando iam conſentit, incipit mori. Cum ergo conſummat peccatum moritur. Quia Iac.1. *Peccatum cum conſummatum fuerit, generat mortem.* De qua

Pſalm.

Psalm. 33. *Mors peccatorum pessima.* Quia hic incipit & in futuro absque fine moritur.

PARS III.

De Sanante.

PRimo ponitur reprehensio Domini. *Secundo* petitio reguli. *Tertio* impetratio petitionis, I. Reprehendit autẽ eum dominus de infidelitate. Vnde dicit ad eum *(Nisi signa & prodigia videritis, nõ creditis:)* Sed hoc habet quæstionem: *Primo* quidem id videtur inconuenienter dictum de Regulo. Nisi enim eum Saluatorem credidisset, non petiuisset ab eo sanitatem. *Dicendum*: quod regulus iste adhuc non credebat perfecte. Erat enim in eo duplex defectus fidei. Vnus, quia licet crederet Christum esse verum hominem; non tamen credebat eum habere virtutem diuinam: alias credidisset eum absentem posse sanare; cum Deus vbique sit pręsens. Secundum illud Hier. 23. *Cœlum & terram ego impleo.* Et sic non rogasset eum, vt descenderet in domum suã; sed vt mandaret tantum. Secundus defectus; quia secundum Chrys. dubitabat, vtrum Christus sanare posset filium suum: Nam si certo hoc credidisset; nõ expectasset aduentum Christi ad terram suam: sed ipse potius iuisset in Iudæam. Sed modo quasi desperatus de salute filij, nolẽs negligere quicquid circa hoc facere posset; abiit ad eum more parentum, qui desperantes de salute filiorum, etiam imperitos medicos consulunt.

Secun-

Secundo. Non videtur reprehendendus de hoc, quod ſigna quærebat. Nam fides per ſigna probatur. Dicendum eſt, quod aliter trahuntur ad fidem Chriſti infideles, & aliter fideles. Infideles non poſſunt trahi nec adduci autoritate ſacræ ſcripturæ: quia ei non credunt. Nec per rationem naturalem: quia fides eſt ſupra rationem, & ideo ducendi ſunt per miracula, 1. Cor. 14. *Signa data ſunt infidelibus*, &c. Fideles autem ducendi ſunt & dirigendi in fidem autoritate ſcripturæ, cui acquieſcere tenentur. In hoc ergo Regulus redarguitur: quia, cum eſſet nutritus inter Iudæos, & de lege inſtructus: non per ſcripturę auctoritatem, ſed per ſigna credere volebat, & ideo Dominus eũ reprehendens dicit [*Niſi ſigna & prodigia,*] id eſt, miracula, quæ ſunt aliquando ſigna, inquantum ſunt demonſtratiua dominicæ veritatis. *Prodigia* vero: vel quia certiſsime indicent: vt ſic dicatur prodigium, quaſi porrodicium: vel quia aliquid futurum protendit, vt ſic dicatur prodigium, quaſi procul oſtendens aliquem effectum futurum.

II. Ponitur inſtantia Reguli. Non enim ad reprehenſionem domini conſiſtit: ſed cum inſtantia dicit ad eum: [*Domine aſcende* , &c.] Lucæ 18. *Oportet ſemper orare*, &c. Oſtenditur in hoc profectus fidei eius quantum ad aliquid: quia ſcilicet vocat eum dominum, licet non totaliter in fide profecerit. Adhuc enim corporalem præſentiam Chriſti ad ſalutem filij ſui neceſſariam credens, rogabat eum, vt deſcenderet.

III. Sed quia oratio perſeuerans impetrat, ideo quod

quod petit, conceditur ei à domino. Vnde (*Dicit ei Iesus. Vade: filius tuus viuit.*) Hæc annunciatio sanitatis per Christum, qui eam fecit. Circa primam, Dominus duo facit. Primo præcipit, secundo annũciat. I. *Præcipit*, vt vadat; (*Vade,*) i. dispone te præparando ad gratiã per motũ liberi arbitrij in Deũ. Isa. 45. *Conuertimini ad me & saluieritis*: Et per motum liberi arbitrij in peccatum. Nam in iustificatione impij quatuor exigũtur, specialiter in adultis: f. infusio gratiæ, & remissio culpæ, motus liberi arbitrij in Deum, qui est fides; & in peccatũ, qui est contritio. II. *Annunciat* autem ad salutem filij, quam petierat, dicens. [*Filius tuus viuit.*] Sed *quaeritur*, cur Christus rogatus à regulo, vt descenderet in domum suam corporaliter ire recusat; ad seruum vero Centurionis corporaliter ire pollicetur? Huius *duplex ratio* assignatur. *Vna* secundum Grego. Vt in hoc superbiam nostram retundat; qui magnis hominibus nos ad seruitium offerimus: Paruis autem seruire recusare recusamus: cum ipse, qui est Dominus omnium, ad seruum Centurionis se iturum obtulit, ire vero ad filium reguli recusauit. Eccl. 4. *Congregationi pauperum affabilem te facito. Alia ratio* secundum Chrysost. Quia Centurio iam confirmatus erat in fide Christi: credens, quod etiam absens saluare posset: & ideo ad fidem & deuotionem eius ostendendam, Dominus ire promisit. Iste vero adhuc imperfectus erat, nondum nouerat manifeste, quod absens curare poterat. Et ideo non accedit, vt eum imperfectionem suam cognoscere faciat.

Obe-

Obediëntia reguli ponitur quantum ad duo, Primo quia annuncianti credidit: Vnde dicit: (*credidit homo*,) scilicet (*filius tuus viuit*.) Secundo vero, quia mandato obediuit: vnde (*Et ibat*,) proficiendo in fide. Licet adhuc neque integre, neque sane (vt Orig. dicit.) In quo signatur, quod ex fide iustificari oportet. Rom. 5 *Iustificati ex fide*, &c. Oportet nos proficiēdo ire: quia qui stat, exponit se periculo vt vitam gratiæ conseruare non possit. ***In via enim Dei non proficere, deficere est.***

PARS IV.

De annunciatione sanitatis.

IAm *autem eo descendente*,) à Cana Galilææ in domum suam; (*serui occurrerunt ei*.) Ex quo patet, quod regulus iste, diues erat habens multos seruos. (*Et annunciauerunt dicentes: Quia filius tuus viuit*.) Hoc ideo quia credebant Christum personaliter accedere; cuius præsentia iam curato filio superflua videbatur. *Mystice* serui reguli, scilicet rationis, sunt opera hominis, quia homo est dominus suorum actuum, & affectuū sensitiuæ partis: quia obediunt rationi imperanti. Isti autem serui annūciant quidem, quod filius reguli scilicet rationis, viuit; quando relucent in homine bona opera, & vires inferiores magis obediunt rationi, secundū illud Eccl. 10. *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis annunciant de illo.*

Sed quia regulus neque integre, neque sane adhuc

huic cred bat: volebat scire, vtrum casu, an præcepto Christi filius curatus esset. Et ideo tempus curationis inquirit: *(Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerat,)* scilicet filius tuus: & inuenit, quod illa hora curatus fuit statim, quando Dominus dixit ei: *(Vade filius tuus viuit.)* Nec mirum, quia ipse Christus est verbum, quo factum est cœlum & terra. Psalm. 148. *Ipse dixit & facta sunt,* &c. Eccles. 10. *Facile est in conspectu Domini,* &c. Et ideo *(dixerunt ei, quod heri hora septima reliquit eum febris.*

Mystice autem per horam septimam, in qua puer à febre dimittitur: significantur septem dona Spiritus sancti, per quem fit remissio peccatorum, secundum illud Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Per quem etiam vita spiritualis causatur in anima, Matt. 6. *Spiritus est qui viuificat.* 2. Etiam per horam septimã signatur tempus quieti conueniens. Nam Dominus *septimo die requieuit ab omni opere, quod patrarat.* In quo significatur, quod vita spiritualis hominis in quiete spirituali consistit, secundum illud Isa. 30. *Si quieueritis salui eritis.* De malis dicit Esa. 57. *Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest.*

PARS V.

De miraculo ipso.

PRimo ponitur miraculi fruct⁹. *Secũdo* ipsũ miraculũ altero miraculo cõtinuat: ibi *(Hoc iterũ signũ, &c.* 1. *(Cogno-*

I. [*Cognouit ergo pater,*] comparans horam nuncia[ntium] seruorum, horæ Christi prænunciantis, [*quia illa hora erat in qua dixit ei Iesus* [*Vade, filius tuus viuit.*] Ex hoc conuersus est ad Christum, cognoscens miraculum eius virtute factum. [*Credit ipse, & domus eius tota,*] scilicet serui & ministri, quia secundum conditionem Dominorum siue bonam, siue malam, serui disponuntur: Prou. 10. *Secundum iudicem populi sic & ministri eius,* Gen. 18. *Scio enim, quod præcepturus sicut filijs suis* Patet autem ex hoc, quod fides istius semper profecit: nam à principio, quando interpellauit pro filio infirmo, debilis erat: Postea plus firmitatis habere cœpit, quando vocauit eum Dominum: Deinde quando credidit homo sermoni, & *ibat;* magis perfecta erat: tamen non integre, quia adhuc dubitauit. Hic cognita manifeste Dei virtute in Christo, perficitur in eius fide. Quia, vt dicitur Prou. 14. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.*

II. Continuatur autem miraculum istud præcedenti miraculo cum dicitur: [*Hoc iterum secundum.*] Quod potest dupliciter intelligi. *Vno modo,* quod in isto eodem aduentu de Iudæa in Galilæam fecerit Dominus duo miracula, quorum primo non scripto, istud ponitur secundum. *Alio modo,* quod Iesus duo signa fecit in Galilæa diuersis temporibus: Vnum scilicet de vino: & istud secundum quod fecit circa filium reguli, veniens iterum à Iudæa in Galileam. Ostenditur autem per hoc, quod Galilæi peiores erant Samaritanis: qui nullum signum à domino expectantes, verbo tantum eius credi-

crediderunt multi ex eis; sed ad istud miraculum non credidit Christo, nisi regulus, & domus eius tota. Nam Iudæi propter eorum duritiam, paulatim conuertebantur ad fidem; secundum illud Mich. 7. *Factus sum sicut qui colligit racemos in autumno.*

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Assimilatum est reg. cæl. ho. Regi, qui voluit, &c. Matt. 18.

Antecedentia in Feria 3. post Dom. 3. Quadrag.

SCOPVS. Docuerat cap. 17. in se ipso transfigurato: hic docet, qua via ad eam pertingatur; & inter alias, etiam hac, remittendo alteri.

PARTITIO.

I. De misericordia in obæratum.
II. De eiusdem ingratitudine.
III. De pœna ingrati.

PARS I.

De misericordia in seruum obæratum.

TRia hic. *Primo* ponitur examinatio debitorum. *Secundo* magnitudo debiti. *Tertio* iustitia

eum patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas suas, Ezech. 9. *A sanctuario meo incipite.* Thren. 3. *Scrutemur vias nostras*, per quod intelligitur examinatio conscientiarum. Et in ista examinatione (*oblatus est ei seruus, qui debebat decem millia talenta*) 1. Si ad prælatos referimus hæc talenta, peccata subditorum intelligimus. Quia quoties peccat subditus, per negligentiam suam efficitur debitor talentorum. Vnde dicitur 3. Reg. 20. *Erit anima tua pro anima sua.* 2. Vel potest dici, quod mille est numerus perfectus: quia est cubicus. Per decem, intelligitur numerus decalogi. Per talentum, grauitas peccati. Zachar. 5. *Et ecce talentum plũbi portabatur*, &c. Vnde significatur homo habens multitudinem maximorum criminum. Qui quando vult ponere rationem, & examinare conscientiam suam; inuenit massam criminum. 1. Paral. vlt. *Peccaui super arenam maris.*

De III. Cum. a. fit hæc examinatio debiti, petuntur tria. *Primo* significatur causa examinationis, vel causa pœnæ: *Secundo* describitur pœna. *Tertio* fructus pœnæ. 1. Punitur, qui ex seipso non habet vnde satisfaciat, vnde dicit, (*Cum autem non haberet vnde redderet*,) quia totum quod habet, non sufficit, vnde Michææ 6. *Quid dignum offeram Domino*, &c. 2. Ideo (*cum non haberet*, &c. *iussit eum Dominus eius venundari*, &c.) quia cum Dominus facit rationem cum homine, & non habet homo vnde soluat, & considerat iustitiam Dei, quæ est pœna, iubet, vt venundetur. Quando venundatur, pretium peccati est pœna, quia

pretium est, q. quis accipit pro eo, & sic venundatur, quando pœna infligitur. Esa. 50. *In iniquitatibus vestris venundati estis.* (*Et vxorẽ & filios.*) De vxore generat filios. Filij autem sunt opera; vxor concupiscentia, vel radix peccati. (*Et omnia quæ habebat,*) quæ sunt Dei dona. Oseæ 7. *Dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & vnguentum multiplicaui ei, & aurum,* &c. Punitur ergo pro vxore, & filijs, & donis sibi datis. Sap. 14. *Similiter odio sunt Deo impius, & impietas eius.* Psal. 108. *Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.*

3. Fructus pœnæ erat: (*Procidens autem seruus ille, rogabat eum, dicens:*) Hic ponitur prouocatiuum misericordiæ: Quod enim multum prouocat misericordiam, est oratio. Vnde quando homo sentit se in periculo, debet recurrere ad orationem. Eccl. 21. *Fili peccasti? non adijcias vltra: sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur: & deprecanti tibi,* &c. Commendatur autem huius humilitas, discretio, & iustitia. 1. Humilitas, qui. (*procidens.*) Psal. 101. *Respexit Dominus in orationem humilium.* (*Rogabat eum.*) Origenes scribit, *orabat eum.* Discretio eius. Quia non petijt totum sibi dimitti debitum; sed tantum petijt tempus, vnde dicit, (*Patientiam habe in me,*) id est, da mihi tempus, vt possim satisfacere. Sic petebat Iob 10. *Dimitte me paululum, vt plangam dolorem meum,* 3. Iustitia. (*Et omnia reddam tibi.*) Psal. 50. *Tunc imponent super altare tuum vitulos.*

De IV. Miseratio Domini relaxantis debitum. (*Misertus est Dominus,* &c.) Vnde dolor pœnitentis non causat remissionem: sed misericordia Domini, Rom.

ni, Rom. 9. *Non est currentis, sed miserentis Dei.* (*Misertus autem Dominus*, &c.) Notate, quod Dominus plura dat, quam homo audeat petere, inde in oratione quadam dicitur, *Qui merita supplicum excedis, & vota.* Vnde (*dimisit eum,*) id est, absoluit (*& debitum*) peccati (*dimisit.*) Potest enim esse tanta contritio, vt totum dimittat.

PARS II.

De ingratitudine serui.

E*Gressus autem seruus ille* &c.] Hic ponuntur quinque, quæ aggrauant ingratitudinem eius. *Primo* aggrauatur ex timore: quia si post nouem vel decem annos accidisset, non esset mirum: sed quia eodem die deliquit; ingratus efficitur. Sicut de peccatore, qui, quando sunt dimissa eius peccata, eodem die ad peccata regreditur, vnde dicitur, (*Egressus.*) Iac. 1. *Considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit. Secundo* crescit peccatum ex simulatione, quoniam in consideratione Domini humilis fuit, sed egressus statim ostendit qualis esset. 3. Reg. 22. *Egrediar & ero in eius spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Tertio* ex cognatione: quoniam (*inuenit vnum de conseruis suis.*) Eccl. 28. *Homo homini seruat iram, & à Deo petit medelam, &c. Quarto* ex paruitate debiti, quia (*debebat centum denarios,*) vnde in numero erat differentia, quia ipse decem millia. In põdere, quia ille denarios, & ipse talenta. Adeo peccata quę in Deum comittuntur,

sunt plura, & grauiora, quam quæ in hominem. Grauius enim esset Regem percutere, quam vnum famulum. *Quia* designatur crudelitas in exigendo. (*tenebat eum,*) quia trahebat in causam, & vexabat eum, (*& suffocabat*) & respirare non sinebat.

Hic *primo* ponitur supplicatio debitoris : *secundo* crudelitas ipsius. 1. Nota , quod omnia , quæ ille seruus fecit Domino , iste fecit ei. vnde (*procidens rogabat :*) supra dicitur, *orabat*, hic *rogabat* : quia supra reddebat honorem , qui debetur Deo : hic autem tangit honorem , qui debetur homini, ideo (*rogabat.*) 2. Sed nihil valuit ei. vnde [*Ille autem noluit* ,] Prou. 20. *Viscera impiorum crudelia*, [*Et misit eum in carcerem* ,] id est , in tribulationem, [*donec redderet debitum* ,] id est , ad hoc, vt redderet debitum. Prou. 6. *Ira & furor viri non parcent in die vindictæ.*

PARS III.

De pœna ingrati.

HIc quatuor. *Primo* ponitur reprobatio istius peccati. *Secundo* obiurgatio peccati ex parte Dei. *Tertio* pœna. *Quarto* applicatur similitudo. De I. [*Videntes autem* , &c.] Videmus enim , quod si patiatur vnum membrum, compatiuntur alia. Videntes hominem affligi , compatiuntur ei naturaliter. Psal. 118. *Vidi prauaricantes , & tabescebam.*

scebam. Ideo [*contristati sunt.*] *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.* Rom 12. [*Et venerunt, & nunciauerunt Domino suo,*] id est, diuinam iustitiam implorauerunt. *Et desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationes cordis eorum audiuit auris tua.* Psal. 9.

De II. Ponitur obiurgatio. [*Tunc vocauit eum Dominus suus*, &c.] Vocat Dominus per mortem. Iob 19. *Vocabis me, & ego respondebo tibi.* [*Et ait illi:*] *Primo* exprobrat malitiam: *secundo* beneficium collatum: *tertio* commemorat quod debuit facere. 1. Dicit ergo, [*Serue nequam.*] Superius cum deberet ei, non dixit ei opprobrium: sed nunc cum facere debuit, quod non fecit, dixit, [*serue nequam.*] Quia quod homo peccet, hoc humanum est; sed si perseueret, hoc diabolicum est. 2. [*Omne debitum*, &c.] Hic exprobrat beneficium datum, quod supra non fecerat. 3. [*Nunquid non oportuit*, &c.] quasi dicat: Tu recepisti magna, & non vis impendere parua?

De III. [*Et iratus Dominus*, &c] Et *primo* agit de pœna, per quam fit separatio à Deo, quando supra Dominus iussit venundari, non dixit, quod esset iratus; quia monitiones nō sunt ex diuina iustitia, sed ex misericordia: sed obiurgatio est ex ira Dei. Prou. 19. *Sicut fremitus leonis ita & ira Regis: Secundo,* quia subijcitur dæmonibus, vnde [*tradidit eum tortoribus.*] Eccl. 33. *Reddet illis secundum iudicium suum.* Tertio tangitur pœnæ perpetuitas. (*Quoad vsque redderet vniuersum debitum.*) Et hoc erit in infinitum. Si enim pœna cessare non debet, donec

fiat satisfactio debiti, & nullus sine gratia potest satisfacere, qui decedit sine charitate; non poterit satisfacere.

(*Sic & Pater meus &c.*) Hic adaptat similitudinē. Pater est Deus. Mat. 6. *Pater noster qui es in cœlis*, (*faciet vobis*,) i. non remittit peccata vestra, (*nisi remiseritis*, &c.) Hic videtur innuere, q. peccata dimissa redeant; sicut vult Origenes, in aliquibus: sicut in apostasia: Item si dolet pœnituisse. Sed hoc non videtur; eo quod remissio efficaciam habet à Sacramentis, ideo peccata & manifesta & occulta remittuntur: Dicuntur autem redire per ingratitudinem.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

Pharisæi consilium inierunt, &c. Matt. 22.

SCOPVS. Iam ante confutauerat Pharisæos Dominus per parabolam de nuptijs factis, deque inuitatis, simul eorum damnationem præmonstrarat. Nunc idem hic manifestat disputando, respondens ad interrogatum.

PARTITIO.

I. Qui interrogantes.
II. Interrogatio ipsa cum responso.
III. Conclusio veritatis.

PARS

PARS I.

De interrogantibus.

HIc tria. *Primo* interrogantium intentio: *Secundo* ministri interrogantes: *Tertio* adulatio. De I. Intentio interrogantium aperitur, cum dicitur. (*Abeuntes, inierunt,*) id est, inter se (*consilium,*) scilicet stultum fecerunt, vt Iesum caperent in sermone. Et hoc erat stultum; quia ipse erat Verbum Dei, & Verbum Dei non est comprehensibile, Eccl. 43. *Multa loquimur, & deficimus in verbis.* Fuit autem consilium impium, Psal. 1. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit,* &c. Et Genes. penult. *In consilium eorum non venit anima mea.*

De II. Ministri describuntur, cum dicit, (*Et mittunt discipulos suos cum herodianis.*) Sed quare non iuerunt? Ratio est, quia dolose interrogare voluerunt: vnde si iuissent, non haberet locum dolus. sed ipsi etiam discipuli dolosi erant, Eccl. 10, *Secundum iudicem populi, sic & ministri eius.* (*Cum herodianis.*) Qui sunt isti? Secundum Lucam, sub Herode facta est Iudæa tributaria Romanis. Iste filius Antipatris alienigenæ constitutus est rex à Romanis: ideo voluit compellere Iudæos reddere censum Romanis. Vnde Herodiani, id est, famuli deputati sunt ad colligendum institutionem Herodis. Sed iste iam mortuus erat, & dimisit tres filios. Vnus fuit Herodes, & iste erat tunc præsens; vt dicitur Luc. 23. Qui fuit etiam in morte Domini: ideo fa-

cile & hi ibant cum alijs. Sed quare iuerunt cum Herodianis? Vna ratio. Quia Herodiani zelabant pro Imperatore. Ideo secum duxerunt eos: vt, si diceret, esse soluendum tributum, accusarent eum ad pharisæos: Si negaret, tūc Herodiani caperent eum. 2. Isti non cognoscebantur, ideo credebant quod non perciperet. vnde faciebant contra illud, Psalm. 25. *Non sedi in consilio vanitatis, & cum iniqua agentibus non introibo*. 3. Vel aliter, Quia, cum Iudæa facta esset tributaria Romanis, diuisi sunt. Quidam dicebant, quod plebs Deo dedicata non debeat esse homini tributaria. Alij, quod, quia pro pace militabant omnium, omnes debeant Cæsari dare tributum. Ideo hi dicebantur Herodiani.

De III. *Primo* ponitur adulatio: *secundo* interrogatio. Homines mali ab adulatione incipiunt: *Loquuntur bona, mala autem in cordibus suis*. Psal. 28. Et *primo* commendant personam: *secundo* doctrinam: *tertio* constantiam. *Personam commendant* ex auctoritate & veritate. 1. Ex auctoritate, cum dicunt (*Magister.*) Et licet mentirentur secundum cor suum; quia non eum magistrum putabant, sed seductorem; Mat. vlt. *Recordati sumus, quod seductor ille dixit, quia die tertia resurgam*, &c. Tamen in veritate erat magister, Matt. 22. *Vnus est Magister vester*, &c. (*Scimus quia verax es*,) Verax est, qui veritatem loquitur, & hoc est proprium Dei, & eius qui Deo coniunctus est, Psal. 115. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax*. Rom. 3. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax*. Christus autem

est

est Deo coniunctus per vnionem , & ideo verax est.

2. Commendat doctrinam à veritate. (*Et viam Dei in veritate doces.*) Primo oportet, vt sciat, quæ doceat, Sap. 7. *Quam sine fictione didici, & sine inuidia communico.* Item, aliqui docent, sed non vtilia: At Iste docet vtilia, scilicet viam Dei. Es. 48. *Ego sum Deus tuus docens te vtilia.* Item, aliqui docent quæ Dei sunt; sed non in veritate, vt hæretici: Iste autem docet in veritate. De istis in Psal. 24. *Vias tuas domine demonstra mihi; & semitas tuas edoce me: Dirige me in veritate tua*, &c.

3. Commendant constantiam. (*Non est tibi cura de aliquo:*) non prætermittis timore alicuius, quod debes dicere, vel facere, Esa. 51. *Quis tu vt timeas ab homine mortali?* Et quare? [*Non enim respicis personam hominum*] scilicet contra Deum. Ille enim accipit personam; qui ratione hominis dimittit dicere veritatem, quam debet dicere. Deut. 1. *Non accipietis personam cuiusquam.* Et videte quam malitiosi erant. Quomodo habebat duo membra, scilicet quod non soluerent, ad honorem Dei pertinebat: Quod soluerent, ad fauorem hominum. Vnde voluerunt vt fauorem Dei quæreret, & viam Dei doceret: & sic si diceret, quod non, quod magis optabant; statim caperetur ab Herodianis.

PARS II.

Interrogatio cum responso.

DIc ergo nobis. *Licet ne censum dari Cæsari, aut non?*)
Census

Census erat tributum , quod pro capite dabatur.

I. Responsio (*Cognita autem Iesus malitia eorum*, &c.) Et *primo* respondet ad mentem eorum: *secundo* ad verba, Quia hominis est respondere ad verba; Dei autem respondere ad mentem : & quia Christus erat Deus & homo, ideo ad vtrumque respondet. *Scrutans corda & renes Deus*, Psal. (*Hypocritæ.*) Bene: quia hypocritæ sunt proprie qui aliud in ore habent, aliud in corde. (*Quid me tentatis?*) Hoc enim erat prohibitum, Deut. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* 2. Isti blande allocuti sunt Christum; Christus autem aspere respondit: quia respondet ad cor eorum, non ad verba. 3. Datur nobis exemplum , ne credamus adulatoribus. Prou. 29. *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros suos habet impios.* Item, quando vult quid respondere, non potest melius confutare opponentem, quam secundum verba ipsius. Vnde primo ponit quæstionem: secundo ex responsione elicit veritatem. Et primo quęrit de numismate: secundo de forma. 4. Sensibiliter enim volebat ostendere intentum, Prou. 14. *Doctrina prudentiũ facilis.* Dicit. (*Ostendite mihi numisma census*) id est, denarium, qui pro censu datur. Iste denarius valet 10. vsuales, & quilibet soluit vnum denarium.

Deinde quærit de forma (*Cuius est imago hac & superscriptio*, &c.) In quolibet enim denario publici forma ponitur inscriptio; sic erat in isto. Dicunt (*Cæsaris.*] Non Augusti, sed Tiberij Cæsaris. Nec Domi-

Dominus interrogabat ex ignorantia; ſed potius ex diſpenſatione Bene nouerat formam denarij: ſed petijt ad ſignificationem.

PARS III.

Concluſio veritatis.

R*Eddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo*] quaſi dicat. Vos eſtis Dei & Cæſaris, & habetis in vſu veſtro & quæ Dei ſunt, & quæ Cæſaris: diuitias naturales à Deo, ſcilicet panem & vinum, & de his date Deo. Habetis iſta artificialia, vt denarios à Cæſare; & hæc Cæſari reddite. *Myſtice.* Sic nos Debemus animam, quæ eſt ad imaginem Dei; Deo reddere: & ſecundum ea, quæ à mundo habemus, pacem cum mundo habere; etiam Sancti viri, hic eleuati à mundo, quia in mundo cum alijs conuerſantur: debent pacem requirere Babylonis, vt habetur Baruch. 1. Et hoc eſt, quod omnia quæ ſunt carnis, quæ ſunt mundi, vel hominum, cum quibus conuerſantur, reddant Deo.

Sequitur effectus. [*Et audientes mirati ſunt, & relicto eo abierunt.* Mirum fuit, quia ſtatim ſapientia eius viſa debuiſſent eſſe conuerſi: ſed non potuerunt capere, & receſſerunt. Pſ. 134. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam.*

DOMI-

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

Loquente Iesu ad turbas, Matt. 9.

SCOPVS. Posuit antea miracula, quibus adhibentur remedia contra pericula peccati. Hic ponit illa, quibus fiunt remedia contra pericula mortis. Et primo narrat, quomodo vitam restituit.

PARTITIO.

I. De accessu ad miraculum.
II. De Syrophænissa.
III. De excitata defuncta.

PARS I.

De accessu ad miraculum.

1. DEscribitur tempus inuitationis. *Secundo*, persona inuitans. *Tertio*, inuitatio. *Quarto*, admissio inuitationis. De I. (*Hæc illo loquente*,) scilicet in domo Matthæi. Sed est *obiectio*: Marcus & Lucas alio ordine recitant, scilicet quod iste accessit ad Iesum, postquam transfretauerat. 1. Aug. soluit. Cum ponitur in Euangelistis aliquid ad tempus pertinens; si statim ponitur, repræsentatur tunc ordo historiæ, & ideo cum dicitur hic: (*Hæc eo loquente*,) significatur ordo historiæ: sed in Mar sc

I L

Luc.refertur ad ordinem memorię suæ. 2. Vel potest dici, quod fuit aliquis locus medius, vbi istud accidit. Aliquando enim non dicunt, vtrum statim, post, vel quando factum quid sit.

De II. (*Ecce princeps.*) Hic ponitur persona inuitans, & dicitur Iairus, illuminans vel illuminatus. Genes. 23. *Princeps Dei est apud nos.* De III. & duo facit. *Primo* exhibuit reuerentiam, quia personaliter (*accessit.*) Item, (*adorauit.*) Item potestatem confitetur; (*Domine,*) Iste princeps significat antiquos Patres: quia isti accesserunt per desiderium, & credentes Christum venturum adorauerunt. Psalm. 134. *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius.* Item confitebantur. *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus.* Psal. 99. Sequitur periculum, (*Filia mea,* &c.]

Contra in Luca & in Marco: quia ibi dicitur, *filia mea in extremis est.* [*Et cum esset in via, occurrerunt ei famuli,* &c. *Soluit* Aug. Quia quando iste Iairus recessit, iam erat in extremis; & credebat, quod eã non inueniret viuam. ideo magis petebat, vt veniret & resuscitaret eã, quam vt curaret. Vnde dicit, [*Filia mea modo defuncta est,* &c.] q.d. Credo quod iã mortua sit. Alij igitur dixerunt, secundum quod fuit: Sed Matt. ad intentionẽ retulit. Ideo Aug. dat bonum documentum, q̃ non est necessarium, eadem verba referri; sed sufficit, quod solum intentio dicatur. Sed quare dixerunt famuli: [*Noli vexare magistrũ*] Videtur hoc fuisse incredulitatis. 1. [illegible]tendũ. Verum esset; si hoc dicerẽt ex intẽtione [illegible]ni: sed ipsi nesciebant eius intentionem. 2.

Chrysost.

Chrysost. sic exponit. Consuetudo est aliquorum, quando volunt mouere ad pietatem, exaggerant malum: ideo, vt magis moueret eum, dixit:

[*D functa est*] Ista filia est synagoga, quæ filia est principis, scilicet Moysi: mortua est per infidelitatem. Luc. 19. *Nunc autem abscondita est ab oculis tuis*, &c. Sed videtur esse in isto fides infidelitati coniuncta: quia credebat quod resuscitaret. Sed quod credebat, non absentem posse, hoc erat infidelitatis. Vnde iste videtur similis Naaman, qui dixit: *Putabam quod egrederetur ad me & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum l pra, & curaret me*, &c. 4. Reg. 5. [*Sed veni*, &c.] *Mystice* hic significatur appetitus Patrum de venturo Christo, vnde dicebant; *Veni impone manum tuam*, id est, Christum, vt in Psal. 143. *Emitte manum tuam de alto.*

(*Et surgens Iesus secutus est eum,*) Surgens scilicet à prandio. 1. Hic habetur documentum misericordiæ Christi, quia ad petitionem illius statim iuit. vt habetur Esa. 30. *Statim vt audierit, respondebit tibi Dominus.* 2. Dat exemplum prælatis de solicitudine: & statim soliciti sint ad subueniendum peccatis. 3. Dat documentum obediendi: quia discipulos secum duxit. Heb. vlt. *Obedite præpositis vestris*: sed non duxit Matt. quia adhuc infirmus erat.

* * *

PARS

PARS II.

De Syrophanissa.

Ecce *mulier.*) Tria facit. *Primo* describitur eius infirmitas. *Secundo*, commendatio mulieris. *Tertio* benignitas Christi sanantis. De I. (*Et ecce mulier*,) Leu. 12. *Mulier quæ patitur fluxum sanguinis, immunda erit, & non habitabit cum hominibus.* Ideo non accessit in domo, sed in via. 1. Significat gentilitatem, quæ ingressa est in plenitudinem Iudæorum, vt habetur Rom. 11. *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret.* Hæc scilicet synagoga habet fluxum sanguinis, scilicet errorem immolaticij sanguinis. 2. Vel potest retorqueri ad peccata carnalia. Vnde *caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, 1. Cor. 15. Hæc mulier patiebatur duodecim annis; & filia principis erat duodecim annorum: vnde hæc incepit pati, quando filia principis nata fuit.

De II. (*Accessit retro*, &c.) Hic ponitur commendatio mulieris, ex ipsius humilitate & ex fide, quæ maxima est ad imperandum. (*Accessit & tetigit fimbriam,*) retro, quare retro? Quia immunda reputabatur: vnde quicquid tangebat, immundum erat secundum legem, ideo timebat ne repudiaret eam. Item non est ausa tangere nisi fimbriã. Præcipiebatur in lege, quod in quatuor angulis vestis portarent fimbrias, & ibi habebant tympana ad memoriam mandatorum Dei; & vt sic ab a-

lijs dignoſcerentur, & hanc veſtem Chriſtus habebat.

Myſtice hoc ſignificat gentilitatem, quæ acceſſit per fidem. Sed *retro*: quia non ipſo viuente. Item tetigit veſtimentum ſcilicet humanitatem, & ſolum fimbriam, quia per Apoſtolos tantum (*Dicebat enim intra ſe, Si tetigero*, &c.) Hilarius dicit: Multa eſt virtus Chriſti, quia non ſolum in anima, ſed ex anima in corpus; & ex corpore in veſtes redundat. Vnde omnia quæ tetigerunt Chriſti Corpus, habere debemus in reuerentia. Pſal. 132. *Sicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius*, &c. id eſt, Diuinitas in carne. *quod deſcendit in barbam*, id eſt, in Apoſtolos. (*Salua ero*) ſic ſi fecerimus, & ei adhæſerimus, ſalui erimus *Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.*

(*At Ieſus conuerſus & videns, &c.*) Hic ponitur Chriſti benignitas. Et *primo* oſtenditur facto, quia conuerſus eſt ad eam. Et quare? 1. Ne diffideret; quia enim furtiue acceſſerat, non credebat, quod conuerteretur ad eam. 2. Vt traheretur ad exemplum fides illius. 3. Vt ſe Deum oſtenderet, Vnde conuerſus eſt conuerſione miſericordię, & vidit eam oculo pietatis. Zach. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Secundo* oſtenditur eius benignitas verbo, cum dicit (*Confide*) Quia timens acceſsit: ideo blande eam alloquitur. Eſa. 30. *Si reuertimini & quieſcatis, ſalui eritis. Tertio* Vocat eam filiam, ne diffidat. Io. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Quarto*

dat

dat ſpem (*Fides tua*, &c.) vnde. Noſtra ſalus ex fide eſt: vt habetur Rom. 3. *Quinto* Et ſequitur effectus, (*Et ſalua facta eſt*, &c.) Et non ex hora, qua Chriſtus dixit: ſed ex hora qua tetigit.

PARS III.

De excitata mortua.

ET *cum veniſſet & vidiſſet*, &c.) Quatuor facit. *Primo*, mortis indicia deſcribuntur. *Secundo*, datur ſpes. *Tertio*, ponitur reſuſcitatio. *Quarto* ponitur effectus. De I. (*Cum veniſſet & vidiſſet, &c.*) Et quare venerunt tibicines? Turba venit ſicut ſolet fieri etiam de mortuis modo; ſed tibicines, quia conſuetudo, vt cantarent lugubria, & alios excitarent ad fletum, Hier. 9. *Contemplamini & vocate lamentatrices, & veniant ad eos*. Hi tibicines ſunt falſi doctores: lingua enim eorum adinuentiones eorum contra Dominum. Eſa. 3. *vt prouocarent oculos maieſtatis eius*. Turba autem populus Iudaicus. Exod. 23. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum*.

Hanc ſuſcitauit Dominus in domo. Tres enim mortuos ſuſcitauit Dominus. Puellam in domo. Iuuenem in porta. Lazarum in ſepulchro 1. Quidã enim peccato moriuntur: ſed non extra feruntur: & hoc eſt per conſenſum in peccatum, ſed non exeunt ad extra per opera. 2. Quidam autem extra feruntur ad actum; & ſignificantur per eum, quem ſuſcitat in porta. 3. Quidam vero ex conſuetudine iacent in ſepulchro; qui ſignifi-

DOMINICA XXV. POST PENTECOSTEN.

Cum venerit filius hominis, &c. Matt. 25.

SCOPVS. Dominus præmisit hoc ipso capite, diuersas parabolas, pertinentes ad iudicium: hic autem manifeste de suo agit iudicio.

PARTITIO.

I. De aduentu Iudicis.
II. De congregatione iudicandorum.
III. De separatione eorundem.

PARS I.

De aduentu iudicis.

PRimo Conditio iudicis venientis: *Secundo* dignitas; *Tertio* ministri: *Quarto* iudiciaria authoritas. De I. [*Cum venerit filius hominis.*] non est dubium, quin idem sit filius Dei. Sed *quæritur*; Quare potius nominat filium hominis, quam filium Dei? *Ratio* est: Quia inquantum filius hominis iudicabit, Ioan. 5 *Potestatem dedit ei iudicium facere: quia filius hominis est.* Et hoc propter quatuor. *Primo* vt ab omnibus videatur. In forma enim diuinitatis non poterit videri, nisi a bonis. Vnde, si ab omnibus vi-

bus videri debeat, debet videri in forma hominis, Apoc.1. *Videbit eum omnis oculus*. *Secundo*, Propter meritum Christi. Hoc enim ipse meruit per suam passionem. Phil p. 7. *Humiliauit se metipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis*: *Propter quod & Deus exaltauit illum*. &c. *Tertio*, Vt appareat iudicaturus in forma in qua iudicatus fuit. Iob 16. *Vtinam sic iudicaretur vir cum Deo, quomodo iudicaretur filius hominis cum collega suo*. *Quarto*, ex Dei clementia vt homines ab homine iudicentur. Hebr. 4. *Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris*. Iste ergo erit filius hominis.

De II. Et cuius erit dignitatis? (*Veniet in maiestate sua.*) Luc. 21. *Videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate*. Sed quid per maiestatem potest intelligi? 1. Dicendum quod Diuinitas. Quia licet appareat in forma hominis; tamen apparebit cum Diuinitate. Vnde 1. Thess. 4. *Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo*, &c. Et de hoc dicitur etiam, Act. 9. *Hoc est*, &c. 2. Vel in maiestate, id est, in gloria. Quia ipsius corpus erit gloriosum.

De III. Et veniet cum societate gloriosa. Vnde Matt. 16. *Filius hominis venturus est cum gloria*. Et ideo subdit, (*Et omnes angeli*.) Hic agit de ministris. 1. Et potest intelligi de cælestibus spiritibus psal. 103. *Qui facit angelos suos spiritus*. Et quare veniet cum istis? Quia custodes sunt hominum. psal. 90. *Angelis suis Deus mandauit de te*. Ideo aderunt

tamqua

tamquam testes : quia boni custodiam eorum receperunt, mali a t m non, sed repulerunt, Esa. 50. *Curauimus Babyl nem, & non est curata.* 2. Vel omnes angeli, id est, prædicatores vel doctores veritatis, Malach. 2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius.* Istis competit iudiciaria potestas, vt dicit Augustinus, Esa.3. *Dom nus ad iudicium veniet, & omnes Sancti eius cum eo.* Prou. vlti. *Nobilis in portu vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ.*

De IV. Sequitur iudiciaria potestas. (*Tunc sedebit*, &c.) Non intellige sedem corporalem : sed sedes eius homines sancti sunt, & angeli; in eis sedebit; quia per eos iudicium exercebit. 1. De hominibus dicitur Matt. 19. *Sedebunt super sedes duodecim*, &c. 2. De angelis dicitur, Col. 1. *Siue throni, siue dominationes*, &c. Et psal. 79. *Sedes super Cherubin.* Et psal. 9. *Sedes super thronum qui iudicas iustitiam.*

PARS II.

De congregatione iudicandorum.

ET *congregabuntur omnes gentes.*) 1. Non solum gentiles, sed omnes homines, qui nati sunt ab Adam vsque ad finem mundi 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Chr sti, vt referat vnusqu sque quod gessit in corpore, siue bonum, siue malum.* 2. Inter istos etiam paruuli nati. Quia,

& si nihil habeant proprio merito: habent tamen aliquid; scilicet vel culpam ex peccato primi hominis, vel gratiam ex Sacramento Christi.

Nota, quod non omnes isti congregabuntur: Sed erit quadruplex genus eorum, qui comparebunt in iudicio. 1. Quidam enim comparebunt, vt iudicentur per discussionem meritorum. Sed istorum quidam damnabuntur, quidam saluabuntur. 2. Quidam vero vt sine discussione sententiam recipiant. Iudicari enim dupliciter dicit: scilicet Vel sententiam recipere: quia omnes vel præmiabuntur, vel punientur: Vel dicitur iudicari, per discussionem meritorum reddere rationem. Et hæc discussio non erit necessaria omnibus. Quia peccata, & merita illorum præcipue discutientur, qui fuerunt coniuncti cum Christo per fidem. Illi enim qui totaliter alieni sunt à Christo, non indigent discussione, quia Io. 3. *Qui non credit iam iudicatus est.* Gregorius ponit exemplum. Qui inimicum suum accipit in bello, non expectat iudicium; sed iam iudicatus est, sic, &c. 3. Aliqui sunt qui nihil habent commune cum mundo: quia omnia dimiserunt propter Christum, & isti apparebunt vt iudices. Vnde Matt. 19. *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes 12. iudicantes 12. tribus Israel.* Qui sunt ergo qui iudicabuntur? Fideles qui implicati sunt secularibus, quorum quidam sunt eis bene vtentes, vt habetur 1. Timoth. 6. *Diuitibus præcipe bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare*, &c. Qui autem detinentur, & eis inuoluuntur; damnabuntur.

Sed

Sed quæ eſt neceſsitas? Nonne omnes in morte recipiunt, quod meruerunt? Ad quid ergo iudicabuntur? *Nota* Præmium, quod iuſto Dei iudicio datur hominibus, eſt duplex: Primum eſt ſtola animæ, & ſecundum, ſtola corporis. Quantum ad ſtolam animæ in morte recipitur; ſed tunc gloriam corporis ſimul recipient. Vnde quantum ad animam, omnes ſimul recipiunt corpora: ſed quãtum ad pœnam, omnes ſimul damnabuntur. Vnde in Eſa. 24. *Congregabuntur congregatione vnius faſcis*: quia vnum ſunt in peccato.

Iſtam congregationem poſſumus intelligere congregationem localem, quia omnes congregabuntur in vno loco. Ioël 3. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in valle Ioſaphat*. Quia qui ſaluantur, per paſsionem Chriſti ſaluantur: & qui damnantur, per contemtum paſsionis eius damnantur: Ideo vbi facta fuit paſsio Chriſti, ibi fiet iudicium.

Et ſciendum eſt, quod boni in aere occurrent ei obuiam: aliqui vero in terra manebunt ſecundum Orige. Iſta congregatio non erit localis, ſed diſperſi erunt, & in locis ſingulis congregabuntur. Et hoc vult illud, quod eſt dictum Matt. 24. *Sicut fulgur exijt ab oriente, & paret vſque in occidentem, ita erit & aduentus Filij hominis*. Quia vbicumque erant, erunt ibi præſentes. Vnde vult quod erit congregatio ſpiritualis, quia modo quidam diſperguntur ab eo, quidam ſunt iam cum eo; ſed tunc omnes congregabuntur, Eſa. 40. *Videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri.*

PARS III.

De separatione.

ET *separabit eos adinu cem sicut pastor segregat oues ab hœdis.*) Et *primo* quoad nomen: *S cundo* secundum situm. De I (*Et separabit*) Nota. Quamdiu mundus durat, mali sunt bonis permisti. Vix autem est aliqua soc etas, quin aliqui sint mali, Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas sic ami a mea inter filias.* Sed in illo iudicio mali erunt ad vnam partem; boni ad aliam, Eccles. 34. *Iudicabo inter oues & hœdos.*

Sed quare bonos vocat oues? Hoc est propter quatuor. Inuenimus enim in ou bus innocentiam. 2. Reg. 24. *Isti qui oues sunt, quid fecerunt?* 2. Patientiam, Esa. 53. *Tamquam ouis ad occisionem ducetur, quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Item *Æstimati sumus sicut oues occisionis.* Psal. 43. 3. Obedientiam. Quia ad vocem pastoris congregantur, Io. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt.* 4. Affluentiam fructuum. Sicut ex oue plures fructus percipimus: sic multi sunt fructus bonorum, Ezech. 34. *Lac comedebatis, & lanis cooperiebamini.*

Per hœdos intelligit peccatores. Quia est animal per præcipitia vadens. 2. ad coitum feruidum, & contrarias habet proprietates 3. Pro peccato offerebatur.

De II. Diuisio quo ad situm. (*Et statuet oues quidem à dextris, hœdos autem à sinistris, &c.*) Quid intel-

intelligitur per dexteram; & quid per sinistram? 1. Potest dici, quod ad literam ita fiet, vt boni ad partem vnam, & mali ad aliam constituantur. 2. Vel quia dextera pars nobilior est, ideo qui sunt boni, situm habebunt nobiliorem, quia occurrent Christo in aere. 3. Origenes refert istud ad finalem remunerationem. Quia qui intentionem suam direxerunt ad Deum, erunt à dextris, id est, in remuneratione æterna. Eccles. 10. *Cor sapientis in dextera eius; & cor stulti in sinistra illius.* Prou 4. *Vias, quæ à dextris sunt, nouit dominus: peruersæ vero sunt quæ sunt à sinistris.*

II. CONCIONIS DISPOSITIO.

Tunc dicet Rex his, qui, &c. Matt. 25.

SCOPVS. Descripserat aduentum: Nunc Iudicium, quod excipit illum.

PARTITIO.

I. De inuitatione ad præmium.
II. De merito beatitudinis.
III. De responsione Domini ad Beatos.
IV. De condemnatione reproborum.

PARS I.

De inuitatione ad præmium.

T*Vnc dicet Rex.*] Quia Regis est iudicare. Prou. 20. *Rex qui sedet in solio, dissipat omne malum intuitu*

*tuitu suo.*Sed est *quaestio*: Num fiet per vocalem sententiam? Quidam dicunt quod verbo tenus; & quod ad multum tempus durabit iudicium. Lactantius; quod durabit mille annis. Sed hoc non est verum. [*Dicet Rex.*] Hoc ad interiorem locutionem referri debet, qua inducet in cognitionem hominum, qui boni, digni sint gloria; mali pœna. Vnde pœna? Vnde, quod non erit vocale, sed secundum interiorem instinctum? Hoc dicit Augustinus, quod diuina virtute erit, vt vnicuique occurrat, quod fecit. Patet Rom. 2. *Testimonium reddente illis conscientia eorum & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die, cum iudicabit Dominus occulta hominum*, &c. Ideo ad interiorem locutionem debet deferri.

Et videtur tria tangere. Quia ponitur Inuitatio, Causa sententiæ, & Ipsum præmium. I. Inuitatio: [*Venite,*] Sed quare dicit, [*benedicti patris mei?*] Quia non erit nobis secundum nostrum meritum, sed secundum quod confirmamur merito Christi. Vnde Apoc. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, sedi cum Patre meo in throno eius.* Luc. 22. *Ecce ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum*, &c. Ego inquantum homo; & fruor Verbo. Item, quantum ad corpus; Phil. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* [*Venite,*] id est, conformamini. 1. Ioan. 3. *Cum apparuerit similes ei erimus.*

Sed numquid boni modo sunt coniuncti Deo? Dico quod sic; per charitatem non plenam. Item, per fidem ænigmaticam. Sed tunc congregabuntur in

tur in charitate plena, in fide non ænigmatica. Quia nunc *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Sap. 9.

II. Causa huius præmij est duplex. 1. Causa damnationis est ex homine; causa salutis ex Deo, Osee 13. *Ex te perditio tua Israel, ex me tantummodo auxilium tuum.* Vnde causam salutis inuenimus temporalem, & æternam. Temporalis est appositio gloriæ: & hæc tangitur ibi, [*Venite benedicti Patris mei.*] Dicere Dei, est facere. Psalm. 32. *Ipse dixit, & facta sunt*: Vnde eius benedicere, est gratiam infundere. Dicit [*Patris,*] quia non est ex nobis; sed ex Deo, Iac. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum.* 2. Alia causa est: Dei prædestinatio. Et hæc notatur cum dicit, (*Paratum vobis regnum.*) Vnde Rom. 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit.* Esa. 64. *Oculus non vidit; nec auris audiuit, quæ præmia præparauit Deus diligentibus se*: Et dicit, (*à constitutione mundi*)

Sed quomodo est hoc? Nonne ipse elegit eos ab æterno? *Ipse elegit nos ante mundi constitutionem.* Eph. 1. Dicendum. Elegit ab æterno; sed à constitutione mundi manifestauit.

III. Sed quid est præmium illud, quod tangit (*possidete paratum vobis regnum?*) Et quod est istud regnum? Istud regnum est regnum cœlorum. Psal. 144. *Regnum tuum Domine regnum omnium sæculorum.* Qui possidet Deum; possidet regnum. Apoc. 5. *Et fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes*: Sed dices. Nolo regnare; sufficit mihi quod non damner.

Hoc

Hoc non poteſt eſſe. Vel eris rex, & habebis regnum; vel eris damnatus.

Et dicit (*poſſidete*,) i. intrate in poſſeſsionem. Intrare autem in poſſeſsionem proprie conuenit ei, qui ius habuit; Iſtud autem ius habuimus 1. ex ordinatione diuina. Item 2. ex acquiſitione Chriſti, qui nobis hoc acquiſiuit. Item, 3. ex gratia ſua. 2. Cor. 1. *Quod eſt pignus hæreditatis noſtræ*. Dicitur etiam poſſeſsio, quæ pacifice habetur; vnde plenarium dominium ſignatur. Modo habemus Deum; ſed non quiete, quia inquietatur homo multis modis; ſed tunc quieta erit poſſeſsio. 1. Pet. 3. *In hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditate poſſideatis*. Mat. 19. *Et vitam æternam poſſidebit.*

PARS II.

De merito beatitudinis.

E*Suriui enim & dediſtis mihi manducare, &c.*) Supra poſita eſt ſententia de pręmio, hic poſita eſt de merito. Ex quo conſiderare debemus quod duplex eſt cauſa beatitudinis. Vna ex parte Dei, benedictio Dei: Alia ex parte noſtra, id eſt, meritum quod eſt de libero arb. Non enim debent homines eſſe deſides, ſed cooperari gratiæ Dei, vt dicitur 1. ad Corin. 15. *Gratia Dei ſum id quod ſum: & gratia Dei in me vacua non fuit.*

Sed cum ſint multa bona merita, ſolum fit mẽtio de operib. miſericordiæ. Et ex hoc aliqui acceperunt occaſionem errandi, dicentes q; ſolum per opera

opera misericordiæ saluantur, vel damnantur per omisśioné eorum:ita vt, si cõmiserit aliquis multa peccata, & exerceat se in operib. misericordiæ, saluetur. iuxta illud Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* Contra illud Rom. 1. *Qui talia agunt*, scilicet peccata, *digni sunt morte.* Galat. 5. Post enumerationem peccatorum carnalium dicit: *Qui talia agunt, regnum Dei non poßidebunt.* Ideo istud non est tenendum. Sed posset esse, quod aliquis abstinet, & pœnitet; & sic per eleemosynam liberatur. Eleemosynam enim debet homo incipere à se. Eccles. 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* At quare magis fit mentio de istis operibus, quam de alijs? Dicendum, secundum Gregor. Quia proponit ista, tamquam minora. Si enim ista quæ dictat natura, non faciunt; nec alia facient.

Et hoc consonat verbis Euangelij, quia isti dicunt. (*Quãdo vidimus,* &c.) q.d. Istud est modicum, & quo minus reputant, dominus eo magis exaltat dicẽs. (*Quod fecistis vni ex his,* &c.) 1. Aug. dicit, quod omnes peccant in mundo; non tamen omnes damnantur: Sed qui non pœnitent, nec satisfaciunt. Qui vero pœnitet, & promittit satisfactionem p opera misericordiæ, saluatur. 2. *Orige.* dicit, quod sub operibus misericordiæ omnia bona sunt. Et innuitur; quia eleemosyna non solum proximo fit, sed & sibiipsi. Si enim pascit esurientem, multo magis pascere debet se esurientem: & sic de alijs operibus. Item, non solum sunt eleemosynæ corporales: sed etiam spirituales: ideo

ideo quicquid facit homo vel ad ſuam vtilitatem, vel proximi; totum ſub opere miſericordiæ continetur. Ergo omnia vel ſub his continentur; vel ſub contrario.

Septem ſunt opera miſericordiæ: ſed ſex ſolum tanguntur. Iſta ſeptem habentur per verſum.

Viſito, poto, cibo, redimo tego, colligo, condo.

De ſepultura vero hic non tangitur. Quare? Ad excludendum errorem quorundam, qui dixerunt: Quod animæ non conſequuntur requiem, donec corpus condatur. Sed hoc non eſt verum: quia nihil recipit anima à corpore quando eſt ſeparata. Ponit ergo ſex quæ impenduntur contra defectum. Et quia eſt defectus quidam generalis: quidam ſpecialis: primo agit de generali, ſecundo de ſpeciali. Et quia quidam generaliter ab exteriori: quidam ab interiori: primo tangit defectum à parte interiori: ſecundo ab exteriori.

Dicit ergo I. (*Eſuriui, & dediſtis mihi manducare.*) Hoc habetur, Eſa. 58. *Frange eſurienti panem tuum.* [*Sitiui, & dediſtis mihi bibere:*] quia propter me dediſti proximo. Vnde Matt. 10. *Qui dederit calicem aquæ frigidæ vni ex minimis meis, non perdet mercedem ſuam, &c.* De iſtis duobus, Prou. 25. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere.* 2. Sunt defectus ab exteriori: & hi ſunt duo, ſcilicet à tegumento coniuncto, & ſeparato: Dicit ergo: [*Hoſpes eram & collegiſtis me, &c.*] Heb. vlt. *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci: Per hanc enim, &c.* Quãtum ad tegumentum coniunctum dicit. (*Nudus fui, &c.*) Iob. 31. *Si deſpexi prætereuntem eo, quod non haberet indumentum,* & ſe-

& sequitur, *Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est.* Esa. 58. *Cum videris nudum, operi eum.*

Item, Quidam sunt particulares defectus. Et horum quidam sunt naturales; quidam ab exteriori. 1. Defectus naturalis, & ab extrinseco est infirmitas. vnde dicit, (*Infirmus, & visitastis me.*) 2. Quantum ad exteriorem defectum dicit, (*In carcere eram, & venistis ad me.*) Potest per carcerem intelligi quælibet tribulatio, Heb. 10. *Nam & vinctis compaßi eius.*

PARS III.

De responsione Domini ad beatos.

T*Vnc respondebunt iusti dicentes.*) Bonarum mentium est, vt ea, quæ propter Deum faciunt, parua reputent. Luc. 17. *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, quia serui inutiles sumus.* Rom. 8. *Existimo quod non sunt condignæ paßiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Vnde dicent quod ignorantes fecerunt, & hæc dicent, parua reputantes. Inde (*Quando vidimus,* &c.) Vnde hoc dicent admirantes.

(*Et respondens dicit illis.*) Huic admirationi satisfacit, quia quando homo humiliat se, Deus exaltat eum; quando homo se vilificat; Deus collaudat. Vnde (*quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*) Matt. 10. *Qui vos recipit, me recipit,* quia caput, & membra sunt vnum corpus. Et

dicit (*Fratribus*) quia *fratres* sunt, qui Dei faciunt voluntatem. Matt. 12. *extendens manus in discipulos dixit, hi sunt fratres mei*. In quo notatur, quod bonis dandum est. Eccles. 12. *Da bono, & non recipias peccatorem*. 1. Numquid dandum est peccatori? Dandum est, cum fuerit in necessitate; sed magis, & prius iustis: ideo dicit *fratribus meis*. Multi enim veniunt, qui non fratres Dei sunt. Vnde 1. Io. 4. *Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est*. Quare, cæteris paribus, melius debemus facere bonis; tamen ad indigentiam, etiam malis dandum est in tempore necessitatis: non propter fomentum peccati, sed naturæ.

2. Numquid omnes sunt fratres Dei? Ita: sed quidam secundum naturam; quidam secundum gratiam. Secũdum naturam, omnes boni, & mali 2. Cor. 11. *Periculum in falsis fratribus*. Secundum gratiam autem, soli boni. Rom. 8. *Ipse est primogenitus in multis fratribus*. Et his principaliter est miserendũ, & subueniendum. Ideo Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei*.

3. Sed quare dicit eos minimos? Hoc dicit quantum ad opinionem vulgi. Constat quod homines qui propter Deum parui sunt, minimi reputãtur. Iac. 3. Item, minimi propter humilitatem, Matt. 11. *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*. Et loquitur à minori; quia possent dicere aliqui: Si fecissem pari, vel aliquibus de magnis hoc; credo quod redderetur. Ideo Dominus dicit, *minimis*.

PARS

PARS IV.

De condemnatione malorum.

TVnc dicet Rex, &c.) *Primo* ponitur condemnatio. *Secundo* excusatio eorum. *Tertio* confutatio. Et circa primum, *primo* ponit sententi m: *secundo* pœnam. De I. 1. [*Discedite à me maledicti, &c.*] Hæc sententia differt a prima: quia dixit in prima, *Venite benedicti patris mei*, &c. Hic autem non dicit, maledicti patris mei. quia benedictio nostra à Deo est: maledictio autem à nobis. Hebr. 5. & Deut. 23. *Vertit benedictionem in maledictionem.* 2. Differentia est: quia supra dixit, *Possidete paratum vobis regnum, &c.* Hic autem dicit. [*Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.*] Et quæ est ratio? Dicit Orig. quod pœnas non fecit propter homines: sed homines fecit propter bonum, ipsi autem *acquirunt sibi mortem manibus suis.* Esa. 31. *In die illa abijciet vir idola auri, & argenti sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ.* Dices. Nonne etiam fecit Dominus diabolum bonum? Nota quod loquitur dominus de præparatione, secundum quod manifestatur ab origine mundi: Sed diabolus ab initio peccauit, vnde angelo, qui quantum ad naturam creatus est bonus, non parauit, sed peccato.

[*Esuriui*] Hic non est aliud dicendum, nisi quod diuersimode loquitur ad bonos, & ad malos. Quia supra dixit explicite vnumquodque per se: hic multa coniungit. [*Infirmus & in carcere:*] Quia con-

quod Pilatus introduxit Aquilam in templum, quæ erat signum Romanorum. hoc Iudæi abominationem dicebant. Vnde tunc, cum videritis idolum positum in loco sancto, potestis cognoscere impletionem prophetiæ Danielis de destructione Hierusalem. 3. Vel potest dici quod Hierusalem destructa fuit dupliciter. Primo, à Tito, & Vespasiano, & tunc combustum fuit templum; & tamen dimissi aliqui. Postmodum aliqui rebellauerunt; & tunc Adrianus, successor Traiani, destruxit penitus; & dedit legem, vt nullus Iudæus ibi de cætero habitaret; & vocauit ciuitatem nomine suo. Item, posuit in sacro loco idolum; quod potest dici abominatio. Vnde, cum hoc videritis, &c. De hac deiectione, satis habetur, Thren. 2.

2. (*Qui legit intelligat.*) Et quare hoc dicit? Quia in illa prophetia Danielis multa dicuntur de passione Christi. Vt, *Occidetur Christus, & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio*, Dan. 9. Vnde qui videt, intelligat quod talia acciderunt.

PARS II.

De fugæ impedimentis.

TVnc *qui in Iudæa*, &c.] 1. Ponit admonitionem vtilem. *Secundo*, excludit impedimenta

 fugæ.

fugæ. Quædam enim sunt impedimenta euitabilia; quædam ineuitabilia. 1. Dicit *(tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes:)* tempore Vespasiani. Tunc temporis quidam dictus Agrippa dominabatur in montibus, & iste obediebat Romanis, nec rebellabat eis. vnde iste & gens sua in pace erat. Ideo ex Dei prouidentia admoniti fuerunt fideles, qui erant in Iudæa, vt recederent, & irent ad regnum istius Agrippæ, & sic fecerunt. Ergo *(tunc qui in Iudæa,)* fideles (fugiant in montes.) Zach. 2. *Fugite à terra aquilonis*, &c.

2. (*Tunc*) Remouet impedimenta fugæ. & *primo* ponit pericula euitabilia: *secundo*, ineuitabilia. *Vitabilia*, sunt negotia terrenorum: Et istorum quædam accidunt in ciuitate; quædam extra, ideo vtrumque ponit. 1. *(Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid, &c.)* id est, quicumque habitat in ciuitate, etiam si in domo sit, *non reuertatur tollere, &c.* 2. *(& qui in agro non reuertatur)* in domum *(tollere tunicam suam)* scilicet, quæcumque sint necessaria, quia *cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Quare hoc dicit? Quia imminente festo paschæ conuenerunt multi in Hierusalem: Quod sciens Titus, obsedit ciuitatem, cum sic essent congregati, vnde vult dicere: ita cito accidet istud malum, vt non posit quis sibi cauere.

Sequuntur impedimenta *ineuitabilia*. Et hæc erant Quædam ineuitabilia virtute hominum & simpliciter: Quædam, licet ineuitabilia, tamen virtute Dei vitabilia: I. Illud quod cum est, nullo modo vitari potest, est onus filiorum. Quamuis enim

possent

posset alicui dici; salua animam tuam: posset tamen dicere; quomodo possum dimittere filium? Ideo hoc exponit (*Va prægnantibus & nutrientibus.*) tales enim non poterant fugere. Quia nec illis dicendum erat, vt abortum procurarent: Nec nutrientibus, vt filios occidant. & sic impletur, quod dicitur Luc. 22. *Beata vbera, quæ non lactauerunt.*

Item, alia sunt impedimenta, vbi non potest homo ponere remedium nisi per Deum. Aliquod enim tempus est ineptum, vel per naturam, vel per legem. Per naturam, vt tempus hyemale. Propter legem; vt si accidat in sabbatho, quia Deus præcepit, ne irent vltra miliare. Et quia istud non est in potestate nostra, sed Dei, ideo (*orate ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbatho.*) quia in talibus ad Deum solum est recurrendum. Vnde Osee 6. *Venite, & reuertamur ad Dominum; quia ipse cœpit, & saluaui nos* Nota, quod dicit (*sabbatho.*) Designat, quod in die festo fuerunt debite interfecti.

PARS II.

De necessitate fugæ.

HÆc vnde accidet? Ex magnitudine tribulationis. Ideo *primo* ponit tribulationem & magnitudinem retributionis: *secundo* causam. De I. (*Erit enim tunc tribulatio magna, qualis, &c.*) Et hoc satis potest perpendi, qui legit historiam Iosephi, quanti fame mortui sunt. 2. Erant seditiones in ci-

uitate; vt ipsi seinuicem interficerent: Et cum Titus, qui erat mitissimus, vellet eis parcere, ipsi nolebant. 3. Erant latrones inter eos, qui interficiebant multos. 4. Et quædam mulier comedit filium suum: fuitque talis tribulatio, qualis nunquam visa est. Et hoc dicit Lucas 21. *Erit tribulatio, & cadent in ore gladij.* Sed numquid erit maior in tempore Antichristi? Sic: sed non erit inter Iudęos. Et quęrit Chryso. propter quod peccatum accidit? quia nec pœna Sodomorum fuit tanta. Nec esset pœna grauior, nisi peccatum grauius foret.

De II. At quia possent dicere, quod ista acciderant eis propter peccata Christianorum, ideo dicit (*Nisi breuiati fuissent dies illi*, &c.) August. dicit quod quidam sic exposuerunt, quod dies tunc facti sunt breuiores, sicut tempore Iosue longior. Sed contradicit, psalm. 118. *Ordinatione tua perseuerant dies. Respondetur. Primo*, quod dies tribulationis sunt breuiati primum in numero, quia si durasset tempus illud, omnes essent interfecti. Quare? quia Romani dominabantur per totum orbem, & iam Iudæi dispersi sunt per vniuersum mundum, ideo si durasset tempus illud, interfecti fuissent vbique terrarum. 2. Vel dicuntur dies breuiati, quando mala breuiantur.

PARS IV.

De dierum abbreuiatione.

QVare breuiantur? (*Propter electos.*) Non quod exci-

exciderit verbum Dei: multi enim conuersi erant de populo illo, & rogabant pro populo, vt relinqueretur semen, Esa. 1. *Nisi dominus reliquisset semen, quasi Sodoma essemus*, &c. 1. Dat Chrysost. duas rationes quare hoc dicatur, quia viuebant aliqui discipuli. Et S. Ioannes vltra vixit, ideo non fecit mentionem de hoc in Euangelio suo: quia scripsit post abominationem eam, Vnde dixisset præterita: At Matth. & Lucas ante scripserunt, ideo fecerunt mentionem, quia tunc erat futurum.

2. Hilarius ait, quod referantur hæc verba ad finem mundi. Cum videritis abominationem hanc, nominat Antichristum, 2. Thess. 2. *Nec terreamini, nec per spiritum, nec per sermonem, quasi instet dies domini: ne quis vos seducat vllo modo*, (*& tunc qui in Iudæa*), quia Iudæi deficient, vnde fugient terram Iudæorum, & conuertentur (*ad montes*) Christianitatis. (*Et qui in tecto*, &c.) Vult dicere quod perfecti non moueantur à sua perfectione: vnde tangit contemplatiuam vitam, quæ signatur per tectum. & tales à sua contemplatione non debent recedere. Ibi, *qui in agro*, tangit vitam actiuam. Tales non reuertantur ad pristinam vitam; sed maneant in suo proposito. Quid per *pragnantes*? Homines graues peccatis: *Nutrientes* sunt homines imperfecti.

3. Secundum August. *Prægnantes* sunt qui concipiũt male agere: *Nutrientes*, qui iam opere cõplent. Per hyemem signatur tristitia, per sabbathum lætitia: vnde ne fiat in hyeme per tristitiam absorbentem,

bentem, vel ſabbatho per lætitiam animum eleuantem. Vel per ſabbathum ſignificat otium bonæ operationis: per hyemem refrigerationem charitatis. (*Et niſi, &c.*) Quia parum durabit: & ſi duraret, *non ſalua fieret omnis caro*, id eſt, omnis carnalis.

4. Poſſunt referri ad aduentum Chriſti per eccleſiam, & ſic dicit Orig. Quod, ſicut verbum Euangelij diuulgatum eſt aduenientè Ipſo; ſic falſa doctrina diuulgabitur adueniente Antichriſto: & ſicut Chriſtus habuit ſuos prophetas, ſic & antichriſtus. Tunc, qui in ciuitate, fugiant ad montes perfectæ iuſtitiæ. *Prægnantes* dicuntur, qui adhuc percurrunt verbum ſalutis, *Nutrientes*, qui aliquid iam fecerunt. Orate ergo vt non impediantur per diſidiam & torporem. *Erit tunc tribulatio magna*; quia erit peruerſio doctrinæ chriſtianæ per falſam doctrinam. & *niſi eſſent dies breuiati*, ſcilicet documento doctrinæ per additamenta veræ doctrinæ, [*non fieret ſalua omnis caro*] id eſt, omnes vertentur ad falſam doctrinam.

II. CONCIONIS DISPOSITIO.

Tunc ſi quis vobis dixerit, &c. Mat. 24.

SCOPVS. Poſtquam Dominus reſpondit interrogationi diſcipulorum de deſtructione ciuitatis: hic incipit reſpondere his, quæ ad ſecundum aduentum pertinent.

PARTITIO.

I. Præmonitio de pſeudochriſtis.

II. De

II. De signis eorundem, effectuque signorum.
III. De ipsorum seductione.
IV. De signo dignoscendi aduentum Christi & pseudochristi.

PARS I.

Præmonitio de pseudochristis.

PRimum duo facit. *Primo*, præmittit quandam admonitionem: *Secundo* rationem huius admonitionis.

De I. (*Tunc si quis*, &c.] Nota quod [*tunc*,] non dicit tempus determinatum: sed tempus confusum, quia hoc non statim factum est post destructionem Hierusalem: sed expectatur futurum in fine mundi. Simile habetur Matt. 3. quod habitauit Dominus in Nazareth, vnde Nazarænus dicitur, & *Tunc venit Ioannes, &c.* Non quod *tunc* venerit: quia fuerunt forte xx. anni inter duo tempora. vnde accipitur pro tempore confuso. Sic hic. Futurum enim est, quod multi seductores venient, & dicent antichristum esse Deum [*Tunc si quis dixerit vobis: Hic est Christus, &c.*] 2. Thess. 2. *Non terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, quasi per nos missam, quasi instet dies Domini*, &c. [*Nolite credere.*]

De II. [*Surgent enim, &c.*] Assignat rationem admonitionis. Et quidem ex necessitate. Sed *Primo*, introducit seductores: *Secundo*, Vehementiam seductionis: *Tertio*, Admonitionem. I. Dicit ergo, tu di-

tu dicis, quod erunt, qui dicent se Christum: sed nunquid alij erunt? Ita, (*Surgent enim pseudochristi*,) id est, qui dicent se Christos, & hoc factum est ante destructionem Hierusalem, *1*. Ioan. 4. *Sed audistis quod venit antichristus , vnde antichristi facti sunt multi.* (*Et pseudopropheta.*) Sicut enim Christus habuit veros prophetas qui prænunciauerunt eum; sic Antichristus falsos. Et hoc est, quod dicitur 1. Ioan. 4. *Multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.*

PARS II.

De signis eorundem, & effectu signorum.

SEd nunquid facient isti miracula, & effectus? Vnde (*dabunt signa, & prodigia.*) 2. Thess. 2. *Cuius aduentus est secundum operationem satanæ.* Apoc. 16. *Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ exire spiritus tres immundos in modum ranarum.*

Sed est *quæstio*, nunquid dæmones possunt facere miracula. *Dicendum* quod non, si proprie sumatur miraculum: Quia miraculum proprie non est, quod fit præter ordinem alicuius causæ particularis; sed quando præter ordinem totius creaturæ, & hoc fit per solam virtutem diuinam. Bene autem posibile est, quod creatura superior non contineatur in ordine creaturæ inferioris; vnde aliquid fit per virtutem superiorum, quod non fit per virtutem elementorum. Sic in hominibus aliquis

quis facit per artificium quidpiam, quod mirum videtur alijs. Sic de dęmonibus, qa subtilioris sunt intelligentiæ, Ideo sicut artifices quid faciũt, quod videtur mirum alijs; sic & dæmones aliqua faciunt naturaliter, quæ videntur nobis mira.

Sed quomodo fiet istud? I. Opinio fuit *Auicen.* quod natura corporalis obedit ad nutum intelligẽtis: vnde ad apprehensionem immutatur corpus. 2. Sed *Augustu.* istud amouet. Quia non obedit ad nutum alicuius creaturæ, sed solius Dei. Ideo dicẽdum, quod in rebus naturalibus sunt virtutes determinatæ ad procreandum aliqua; vt ranas, & huiusmodi. Istas virtutes nouerũt melius dæmones, quam alij. Et hoc ꝓbat *August.* Quia ignis, qui descendit super oues Iob, fuit naturalis. Potest enim excitare corpora & congregare, vt faciant talia miracula. Illa vero miracula, quæ non procedunt ex virtute alicuius rei naturalis; hæc non possunt facere, sc. vt mortuus suscitetur. vnde talia non faciunt nisi in præstigijs: vt Simon magus fecit mortuum mouere caput. vnde ista quæ non fiunt ex virtute naturæ, non possunt. (*Dabunt signa magna,*) id est, quæ homines reputant magna.

Sed quis erit effectus? (*Ita vt in errorem inducantur si fieri potest, etiam electi.*) Dicit Orig. quod sermo dictus est per exaggerationem, quia quicumque homo est in hac vita, si secundum se consideretur, seduci potest, tamen comparando ad electionem Dei, vt sit sensus. Electum seduci, hoc est impossibile, ideo aggrauando dicit, quod tanta erit vis, vt, nisi præseruarentur ex prædestinatione

tione diuina iusti seducerentur. Vel dicendum, quod non vere electi: sed electi secundum apparentiam. 1. Tim. 1. *Quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt*, Esa. 19. *Dominus miscuit spiritum vertiginis in medio eius, & errare fecerunt Aegyptum.* [*Ecce prædixi*,] quia secundum Greg. minus nocent iacula, quæ præuidentur, Amos 3. *Non faciet dominus verbum, nisi reuelauerit secretum suum.*

PARS III.

De seductione pseudochristorum.

VNde [*si dixerint vobis*, &c.] Posita peruersitate in generali, nunc ponit magis in speciali, [*si dixerint vobis: Ecce in deserto, &c.*] Nota quod vera doctrina fit in publico. Matt. 10. *Quod dico vobis in occulto, dicite super tecta.* sed falsa semper quærunt angulos, Prou. 1. *Sapientia dat vocem in plateis.* Vnde veritas est lumen, & quærit in lumine videri: sed si fuerit peruersum dogma, id quærit occulta, Prou. 9. *Sapientia sedet in foribus:* & sequitur, *Aquæ furtiuæ dulciores sunt.* Vnde desertus est locus occultus, quia caret hominibus, vel quia est interclusus. [*Si dixerint*, &c.] Isti infideles & hæretici, dum sunt fideles in societate, vel congregatione: non possunt decipere: sed nituntur vt à societate separentur, & tunc decipiunt. At hoc significatur in isto: [*Ecce in deserto est, nolite credere.*) Nolite à bona societate & congregatione separari. Item, si *in penetralibus*: quia semper intendunt locum secretum, nec doctrinam in publico audent dicere. Ioa. 8. *Ego palam*, Ait Domi-

Dominus, locutus sum mundo. (Nolite credere,) quia *qui cito credit, leuis est corde.* Eccl.19.

2. *Secundum Hieron*. potest referri ad tempus ante destructionem: sed melius est vt referatur ad finem. 3. Item, potest intelligi de seductione facta in Ecclesia. Pseudochristi documentum est mendacij, & dicitur vnum documentum, quia omnia in vno vniuntur: & quodlibet mendacium habet suos prophetas. vnde dicunt: *(Hic est Christus, aut illic)* Ezech. 13. *Perseuerauerunt confirmare sermonem.* Et aliquando volunt confirmare per scripturas apocryphas; aliquando per occultos sensus scripturæ. Quando per apocryphas, dicunt quod in deserto est: quando per occultos sensus, dicũt quod in penetralibus. 4. Vel *secundum August.* Vera doctrina duo habet: quia & idem in omni loco: & publicè proferri debet. At ab istis deficit hæresis. vnde dicit, *(Hic est Christus)* id est, in hac terra, & non in alia. *Item,* quia doctrina eius non est publica, ideo dicit, *in penetralibus est;* vnde, *nolite credere.*

PARS IV.

De signo dignoscendi aduentum Christi & Pseudochristi.

S*Icut enim fulgur exit ab oriente, &c.)* Hic aliam rationem assignat, quia falsum dicunt quod Christus veniet occultus. Sed non est verum, immo veniet manifestus: Et ponit duas rationes. Vnam ex manifestatione Christi; aliam ex congregatione Sanctorum. Dicit, *nolite credere*, quod non veniet manifestus.

(Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret vsque ad occidentem, ita erit aduentus Filij hominis.) Psal. 49. *Deus manifeste veniet.* Sed numquid veniet, sicut fulgur, qui modo videatur hic, & post versus orientem? Non intelligatis, quod sic manifestetur solum in vno oriente; sed in omnibus. *Mystice,* 1. fulgur est aduentus veritatis. Nolite ergo quęrere occultum dogma; quia veritas manifestatur per totum mũdum. 2. Vel oriens principium, occidens finis: vnde veritas dogmatis semper habet concordantiam à principio vsque ad finem. Verum enim dogma totam scripturam recipit. Quidam non recipiunt vetus Testamentum: quidam non recipiunt prophetas, & ita non possunt confirmari per alias scripturas: sed vera doctrina à principio nascentis Ecclesiæ vsque ad finem habebit confirmationem. Vnde dicit Matth. vlt. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.*

(Vbicumque fuerit corpus, ibi, &c.) Posset enim aliquis dicere, Isti dicunt, hic est Christus, aut illic: quomodo cognoscemus quando veniet? Ostendit ideo, quod non indigebit quæri. quia manifestus fiet aduentus eius; quandoquidem & alij congregabuntur. Et erit simile, quod accidit, cum quidam petiit à domino suo; multum celante consilium suum de mouendis castris: Quando mouebitis castra? Et ille, Nonne audies tubam, ad quid petis? Sic dicitur hic. Tu dicis quod erit hic, vel illic; scio quod, *vbi fuerit corpus, &c.* Notate quod in Hebræo habetur: *Anathe*, quod est cadauer: vnde voluit signare pasionem Christi. Quia tunc veniet Chri-

Christus ostendens signa passionis. Et loquitur per similitudinem. Iob 39. (*vbi corpus, &c.*) 1. Thessa. 4. *Occurremus in nubibus obuiam Christo, &c.*

Sed quidam sunt aquilæ, quidam vultures, & corui. Non dicit vultures, vel corui; sed aquilæ; per quas Sancti signantur, Esa. 40. *Assument pennas vt aquilæ, volabunt & non deficient:* Sicut dicit Hieron. Vbicumque fit memoria Christi passionis, viri sancti debent congregari per iugem memoriam passionis eius. Hebr. 10. *Memoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum.*

IN DOMINICA DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Et ingressus perambulabat Iericho. Luc. 19.

Confutauerat ante Dominus cupiditatem, per approbationem paupertatis: Hic confutat tenacitatem, per approbationem liberalitatis. Et quia dispersio pia, & communicatio temporalium est via ad multiplicationem spiritualium: Ideo illam hic collaudat, eo quod per eam iniustus Zachæus sit iustificatus: & cum esset camelus, aptatus sit ita, vt transiret foramen acus; quod foramen dedit diuitibus aditum in cœlum. In hoc igitur exemplo duo

 sunt,

ſunt, quæ commendantur, ob quæ, ſit & imitandum; ſitque ſignum vocationis gentium, ſc. ſtudium eius, in ſuſcipiendo: Et beneficium in diſtribuendo.

PARTITIO.

I. De ſtudio Zachæi in excipiendo Domino.
II. De ſenſu dictorum myſtico.
III. De hoſpitalitate Zachæi in ſuſcipiendo Domino.
IV. De ſenſu dictorum myſtico.
V. De liberalitate Zachæi.

PARS I.

De ſtudio Zachæi in excipiendo Domino.

HOc abs tribus commendatur. 1. A vi attractiua Chriſti. 2. Retardatiua populi. 3. Expeditiua Sycomori. De I. (*Ingreſſus perambulabat Iericho.*) Atque ſic præſentia Chriſti attraxit Zachæum. *Iericho* eſt vrbs, quam, tranſito Iordane, euertit Ioſue. cap. 6. & reædificauit Achab, 3. Reg. 16. Hye. (*Et ecce vir nomine Zachæus.*) Nimirum pietas Chriſti trahit miſeros, vt adamas ferrum. (*Et hic erat princeps publicanorum.*) Notus infamia rapacitatis, non fama virtutis. Principatum vero habuit propter pecuniam, non ob iuſtitiam. Quia, (*& ipſe diues,*) id eſt, gibboſus vt camelus, ac ideo ineptus ad Dei regnum. In hoc tamen fuit introductus; quia amore Chriſti fuit attractus. Vnde, (*Quærebat videre Ieſum, quis eſſet.*) Quod non faceret, niſi amaret: Nec ama-

amaret, nisi gratia præuentus esset. Nam Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me nisi pater, qui misit me, traxerit eum.* Hic tractus, impleuit consilium hoc. Prou. 8. *Accipite disciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam magis, quam aurum eligite.*

Sic quærens Iesum, inuenit ipsum. Sap. 1. *In simplicitate cordis quærite illum, quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum.*

De II. *De retardante eum populi frequentia.*

(*Et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.*) A turba semper est remora perueniendi ad Christum. Vt cœco fuit; Lucæ 18. Increpabant eum vt taceret. Vt Paralytico; Marci 2. Nam eum quatuor baiuli vix poterant etiam per tectum offerre Christo. Vt surdo, & muto; Marci 7. *Ideo apprehendens eum de turba seorsum misit digitos, &c.* Vt mortuæ excitandæ; Matt. 9. *Cum eiecta esset turba, intrauit Dominus, &c.* Ideo Eccl. 18. *Ne oblecteris in turbis, nec in medicis: assidua enim est commissio illorum.* Fuge ergo, Exo. 23. *Non sequeris turbam ad faciendum malum; nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies.* Idcirco Dominus; Matt. 14. *Dimissa turba ascendit in montem solus orare.*

De III. *Quo ad expeditiuum Syccomori ad videndum Iesum.*

(*Præcurrens ascendit.*) Glossa. *Mira deuotio fidei ad*

videndum Saluatorem, quod natura minus habuerat, ascensu supplet arboris: Atque ideo iuste, etsi rogare non audeat: benedictionem dominicæ susceptionis, quam desiderabat, accipit.

PARS II.

De sensu dictorum mystico.

PVblicanus designat populum gentilem. *Iericho*, id est, *Luna*, notat mundum ob defectum, & mutabilitatem. Quia 1. Ioan. 2. *Mundus transit, & concupiscentia eius.* Hanc ciuitatem destruxit Iosue; cap. 6. nec vllus saluatus est in ea, nisi Raab meretrix, quæ credidit nunciis, & ipsos recepit: Quia veniens Iesus hanc mundanam conuersationem, in carne apparendo damnauit. Nec saluari quis potest, nisi qui credit. Ioan. 1. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit*: Et post: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt, &c.* Vnde Hebr. 11. *Fide, muri Iericho corruerunt: Fide Raab meretrix non periit.* Vnde illa Raab Ecclesiam signat gentilium ad Christum conuersam.

Et hoc ipsum significatur per Zachæum publicanum; qui *quærebat videre Iesum*, vt sc. cognosceret verum Deum. In quo signat populum gentilium, sicut Naaman Syrus. De quo, 4. Reg. 5. *Naaman princeps militiæ Regis Syriæ, diues: sed leprosus, & ab Helisæo curatur.* Vnde Ioan 12. Dicunt gentiles: *Volumus Iesum videre.* Sed non possunt ob turbam phantasmatum; & defectum lucis naturalis, quæ tam altum vi-

tum videre nequit. Ideo opus est ascendere per fidem, in Sycomorum, id est, ficum fatuam: Quia fides stultitia videtur. Inde 1. Cor. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* In huius fatuitatis credulitatem oportet conscendere eum, qui vult ad Sapientiam peruenire. 1. Cor. 3. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens.*

Nam stultitia fidei deducit ad Sapientiam Christi, idque sex gradibus. Quia fides disponit ad prudentiam: Hæc ad scientiam: Ista ad consilium, hoc ad intellectum; hic ad sapientiam. Atque hic est thronus Salomonis, ad quem sex gradibus ascenditur. 3. *Reg.* 10. Ideo Psal. 83. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, &c. Etenim benedictionem dabit Legislator; Ibunt de virtute in virtutem.*

PARS III.

De hospitalitate Zachæi in suscipiendo Domino.

HIc tria. *Primo*, Christi designatio. *Secundo*, Zachæi deuotio. *Tertio*, Turbæ murmuratio. De I. (*Et cum venissent ad locum, suspiciens Iesus vidit eum.*) aspectu benignitatis. Approbans aspectum publicani visu. Psalm. 32. *Oculi Domini super metuentes eum; & in eis qui sperant super misericordia eius.* Hunc aspiciebat: quia statura pusillus erat. Psalm. 137. *Excelsus Dominus & humilia respicit,*

per dignationem. (*Et dixit ad eum: Zachae festinans descende.*) Glossa. *Non inuitatus se inuitat; Quia etsi non audierat vocem inuitantis: audiebat tamen affectum.* Et nota hoc: (*festinans:*) Quia ad opera misericordiæ promptos esse oportet. Sic Abraham, Gen. 18. *Festinauit in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcineritios panes. Ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero: qui festinauit, & coxit eum.* Ecce festinam promptitudinem.

(*Quia hodie in domo tua oportet me manere.*) Mira humilitas Christi, ad peccatorem se inuitantis, & ingerentis. Item non erubescentis suam egestatem: Iuxta Matth. 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, &c.* Ergo Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Hanc dignationem miratur Ieremias cap. 14. *Quare quasi colonus futurus es in terra: Et quasi viator declinans ad manendum.*

De II. *Quoad deuotionem Zachæi.*

(*Et festinans descendit: & excepit illum cum gaudio*) Nota. Prius festinanter; iam etiam lætanter. Similiter 1. Pet. 4. *Ante omnia in vobismet ipsis charitatem cõtinuam habentes: Hospitales inuicem sine murmuratione.* Nam 1. Cor. 9. *Hilarem datorem diligit Deus. Charitas fraternitatis maneat in vobis: Et hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc.n. placuerunt quidã angelis hospitio receptis.* Propter q. S. Iob. dicebat. Iob 13. *Foris nõ mansit peregrinus: Ostium meum viatori patuit.* Et hoc debet fieri:

fieri: quia qui recipit membrum Christi, & ipsum Christum recipit, Matt. 25. *Hospes eram & collegistis me, &c.* Quærentibus, quo modo hæc fecerint? respondet: *Quandiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Et ideo Zachæus per hanc hospitalitatem saluatus est. Similiter & Loth, liberatus est à Sodomis, per angelos hospitio receptos. *Gen.* 19. *Et* 4. *Reg.* 4. Similiter mulier à Sunamitis, per Eliseum; quem hospitio recepit; & habuit prolē, cum esset sterilis: & post, filius eius à mortuis suscitatus est. 3. Reg. 17. Mulier Sareptana, suscipiendo Eliā, periculum famis euasit. Tanti est hospitalitas, vt nunquam gratia vacet! Quia etiam Deut. 10. *Dominus amat peregrinum, & dat ei victum atq; vestitum.* Idcirco, Prou. 19. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.*

De III. *Quoad murmurationem turbæ.*

(*Et cum viderent omnes,*) Oculo peruersi iudicij: qui, Eccl. 11. *Bona in mala conuertens insidiatur, & in electis imponet maculam.* Quia vero ex malo iudicio murmur sequitur: ideo (*murmurabant dicentes: quod ad hominem peccatorem diuertisset.*) Sap. 1. *Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest; & à detractione parcitæ linguæ: Quia odit murmur Deus.* Thren. 3. *Quid murmurauit homo viuens vir pro peccatis suis?* Iste populus Iudaicus, pronus semper ad murmur fuit. Num. 11. *Ortum est murmur populi contra Dominum.* Ideo 1. Cor. 10. *Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt; & perierunt ab exterminatore.* Vnde Glossa hic. *Iudæi semper oderunt Gentes, & non intel-*

intellexerunt salutem; ad quam Gentes suscepit Dominus. Ideo contra Petrum murmurabant. Act. 11. *Quare introisti ad viros praeputium habentes.* Sed nihilominus, sicut ab Zachaeo, sic ab gentium Ecclesia liberaliter semper est susceptus Dominus, desertâ Synagogâ. Vnde Act. 13. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud & indignos vos iudicatis vita aeterna; ecce conuertimur ad gentes.*

PARS IV.

De sensu mystico dictorum.

DE septemplice domo, in qua Dominus remanet. *Prima* est, Habitationis materialis: In qua manet sub persona pauperis. Isa. 58. *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam, &c.* *Secunda* est Templi: In qua manet sub Sacramento altaris. Matth. 21. *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Psal. 5. *Introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum, in timore tuo.* *Tertia* est Ecclesia militans, in qua manet in membris suis. 1. Tim. 4. *Haec tibi scribo fili; vt scias, quomodo oporteat te in domo conuersari, quae est Ecclesia Dei viui.* *Quarta* est, vterus virginalis. Vbi mansit per praesentiam carnis. Psalm. 92. *Domum tuam decet sanctitudo in longitudine dierum.* *Quinta* est Conscientia munda: Vbi manet, spiritu sanctitatis. Sap. 8. *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, non enim habet amaritudinem, &c.* Vnde Eccl. 32. *Praecurre prior in domum tuam; & illic auocare, & illic lude, & age conceptiones tuas.* *Sexta* est Scriptura sacra. Vbi manet

manet in lumine veritatis. Psalm. 47. *Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam.* Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum,* &c. *Septima* est Ierusalem superna. Vbi manet in gaudio felicitatis. Ioann. 14. *In domo patris mei, mansiones multæ sunt.* Psal. 121. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.*

Quia his modis suscipitur Christus, in Ecclesia Gentium, per Zachæum designata; ideo hoc euangelium legitur in Dedicationibus: Vt simus memores nostræ domus: Nam & ipsi 1. Pet. 2. *Accedentes lapidem viuum, tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, & acceptabiles.*

PARS V.

De liberalitate Zachæi.

HÆc describitur à triplici conditione. *Prima* est, Zachæi oblatio sufficiens. *Secunda*, Christi acceptatio suscipiens. *Tertia*, Ratio principaliter mouens. De I. [*Stans autem Zacheus,*] in cordis humilitate, Iuxta Eph. 6. *State succincti lumbos vestros in veritate.* 1. (*Dixit ad Dominum: Ecce, dimidium bonorum do pauperibus;*) ex cordis liberalitate. Iuxta Tob. 4. *Fili, si multum tibi fuerit, abundanter tribue. Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude.* Exemplo Dei: Iac. 1. *Qui dat omnibus affluenter, & non improperat.*

2. Dat licite: Vnde ait: (*bonorum meorũ.*) Prou. 3. *Honora Dominũ de tua substantia.* Nam, Eccl. 34. *Dona iniquorum non probat Altißimus.* Et ideo *qui offert sacri-*

ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris. 3. Dat cito: Prou. 3. *Ne dicas amico tuo, vade, & reuertere; cum ſtatim poßis dare.* Eccl. 4. *Cor inopis ne afflixeris: & non protrahas datum anguſtianti.* 3. Dat diſcrete; (*Pauperibus.*) Eccl. 12. *Si benefeceris, ſcito cui feceris.* Luc. 4. *Pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc.* 4. Dat ordinate propria, reſtituendo aliena. Item damnum cum ablato: vnde ait, [*Et ſi quid aliquem defraudaui, reddo quatruplum.*) Nam lex eſt, Exod. 22. *Si quis furatus fuerit, reſtituet quatuor oues pro vna.* Et hoc vtrumque neceſſarium eſt. Vnde Aug. *Alterum horum non eſt ſatis, nec habet gratiam liberalitatis. Quia non ſpolia, ſed dona quæruntur.*

De II. *Quoad Chriſti acceptationem ſuſcipientem.*

(*Hodie ſalus domui huic facta eſt;*) per gratiam collatam, & Chriſti præſentiam ſanctificantem. *Salus,* inquam, à Iudæis ad gentes translata ſignificabatur. Iſa. 49. *Parum eſt, vt ſis mihi ſeruus, ad fæces Iſrael conuertendas: Dedi te in lucem gentium; vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.* Ideo ſubdit. *Eo, quod & ipſe filius ſit Abrahæ.*) Gloſſa: *Non carne, ſed fide.* Vnde Roman. 9. *Neque enim qui filii ſemen Abrahæ ſunt, omnes filii; ſed qui filii ſunt promißionis, æſtimantur in ſemine.* De his Luc. 3. *Potens eſt Deus, de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Ioan. 11. Ieſus moriturus erat, *vt filios Dei, qui diſperſi erant, congregaret in vnum.*

De III. *Quoad rationem mouentem.*

(*Venit autem filius hominis, quærere,*) per ſapientiã,

Pſal.

Pſ.118. *Erraui ſicut ouis, quæ periit; quære ſeruum tuum, &c.* (*Et ſaluum facere, quod perierat,*) ſc. per miſericordiam. 2. Para. vlt. *Saluabis me, ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Propter hanc dicitur Matth. 1. *Vocabis nomen eius Ieſum: Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Act. 4. *Non eſt in aliquo alio ſalus. Nec enim aliud Nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Quocirca Rom. 10. *Omnis, quicunque inuocauerit Nomen Domini, ſaluus erit.* AMEN.

Tu me, Saluator, ſalua: pro me, optime Lector,
Mandalii Andreæ, dic, *Miſerere Deus.*

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

F
I N I
S

PARTIS PRIMAE IN DOminicas.